M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIAE

LIBRI X.

AD MELIORUM LIBRORUM FIDEM

RECENSUIT

SCHOLIISQUE INTERPRETATUS EST ET INDICEM

ADIECIT

CAROLUS HERM. WEISE.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE.

TYPIS AC SUMTIBUS GODOFR. BASSI.

1835.

EXCELLENTISSIMO VIRO

CAR. FERD. RANKIO

PHIL. DOCT. ARTT. QUE LIBB. MAGISTRO

GYMNASII QUEDLINBURGENSIS

DIRECTORI

AMICITIAE CAUSSA

D. D. D.

EDITOR.

EPISTOLA.

Haud ingratam cassamve, RANKI, me confido dedisse operam, quum iis qui Lucanum legere cuperent, textu, quantum fieri posset, emendando et illustrando, commoditatem aliquam parare studui; is enim est poeta, qui et sententiarum gravitate, et pondere rerum, et doctrinae elegantia profunditateque inter praecipuos iure meritoque censeri queat, quidquid obiecerit illi Scaligerus, cuius obtrectationem quasi animo ipse praesentiens scripsit libro IX, versu 360.

Invidus, annoso famam qui derogat aevo,
Qui vates ad vera vocat.

Pariter enim atque illic aurea sylva Hesperidum, quae numquam exstitit, nisi in poetarum carminibus, reliqua etiam omnia iudicanda sunt non historiae caussa ab Lucano scripta esse, aut astronomiae geographiaeque, sed ut lector et novitate et magnitudine et vigore imaginum versuumque elegantia delectaretur, egregiaque praecepta mente sua conciperet, quae per omne carmen tamquam stellae in sereno elucent.

Scribit autem Lucanus non remota ab se suisque temporibus aut longa vetustate obscurata, sed ea, quae suam ipsius aetatem brevi antecesserant, eaque ita exponit, ut, reliquis omnibus relictis, nonnisi haec tractet in iisque depingendis versetur atque la-

boret, quae tractari poetice possint, eaque vividissimis coloribus et egregia imitatione ob oculos ponat, philosophicis ubique sententiis intermixtis, et oratoria arte ea adhibita, quam iure omnes admirati sunt, quicunque de Lucano scriptitaverunt. Quamquam ego nonnisi mediocris signum lectoris esse iudicem, qui hanc solam laudis caussam esse censuerit. Nam tamenetsi haud inficiandum sit, praecipuam sane Nostrum in orationibus quas carmini suo intexuit, (eam enim intelligunt) exseruisse oratoriam artem atque vim et copiam, tamen ego tantum abest ut eam ob rem praecipua palma donandum censeam, ut existimem magis ideo esse laudandum, quod in ipsis illis orationibus, quas tantopere omnes admirantur, moderatiorem sese gesserit, artemque illam declamandi, quae illa aetate, uti nosti, Ranki, iam in vitium eruperat, quantum fieri potuit, constrinxerit, ita ut vera potius quam exornata ubique in illis orationibus prudentissimus poeta eloqui praetulerit. Quam vividis autem coloribus reliqua etiam depingit! quam forti lucidoque carmine heroum suorum mores illustrat! quantam philosophiam ostendit in caussis rerum declarandis! quantam artem in eligendis et enarrandis iis rebus, quae veram et ingenuam delectationem parere possint! ut in unoquoque libro satis multa suppetant, in quibus cum iusta admiratione lectoris animus haerere possit; veluti in primo, Caesaris in Italiam adventus, et metus populi; in secundo, recordatio temporum Syllae Mariique, Cato Uticensis, Rubico, fuga Pompeii; tertio, Romae status, recensus copiarum Pompeii, et pugna ad Massiliam; quarto,

res in Hispania gestae, Vulteius, Antaeus, Curionis fata; quinto, oraculum Delphicum, Caesaris periculum traiecto noctu mari, Cornelia; sexto, ad Dyrrhachium bellum, Scaeva, Thessalia, Erichtho maga Sexto Pompeio per mortuum vaticinans; septimo, pugna ipsa Pharsalica, tamquam summa rei, cum strage cruenta, ita illustrata, ut quasi ob oculos videas utrumque ducem et utrumque exercitum inter se concurrentes et de orbis terrarum imperio decertantes; octavo, Pompeii cum Cornelia navigatio, consultationes cum proceribus, adventus in Aegyptum et interitus; nono, Catonis fortitudo et constantia, Perseus atque Medusa, Caesaris ad Troiam commoratio, eiusque in Aegyptum adventus; decimo denique, eiusdem in Aegypto res gestae, Achorei de Nilo enarratio, et pericula Caesaris — ut nihil magis dolendum sit, quam fata noluisse poetam reliqua etiam pari arte absolvere; quae per singulas partes iam descripta animo eius obversata esse, haud desunt, quae testentur in carmine ipso.

Quoniam autem in unoquoque poeta non magis res ipsae, quas canit, rerumque momenta atque sententiae sunt ponderandae, quam exterior quodammodo habitus et ornatus ipse poeticus, quo singula exponuntur atque declarantur, dictionem, inquam, quod attinet poeticam in singulis concisis et verbis et versibus conspicuam, nescio profecto, an non nimio huius poetae studio et amore abreptus praeter verum laudando ducar, si dicam, illum ab hac parte nisi reliquis paene omnibus Latinis praeponendum, at certe optimis quibusque aequiparandum esse. Sic

enim otiosa omnia et languida fugit, sic ubique, quae vim habent atque virtutem, ea sectatur, sic unicuique verbo pondera iusta tribuit, sic consueta relinquit, nova deligit et res in luce collocat, ut satis superet in singulis quibusvis versibus materiae, unde demonstrare possis, quae verae sit poeseos virtus, quod eius officium, et unde summa rerum in carminibus faciendis pendeat.

Rhythmus autem versuum et verborum numerus ita est insignis, ut cum nullo nisi Virgilii rhythmo comparari posse videatur, neutiquam Virgilio postponi, quemadmodum quidam faciunt, qui in hoc sapientiam suam ostentare cupiunt, ut et in his velint aliquid reprehendere, in quibus nihil est reprehendendum, sed pleraque omnia laudanda. Ego vero et rhythmum et dictionem Lucaneam tanti facio, ut existimem, qui artem poeticam condiscere velit, verumque vigorem poeticum imbibere et experiri quid liceat vero poetae, et quo assurgat vera ars, quid audeat et quo tendat, ex nullo paene melius quam Lucaneae artis exemplo edoceri posse.

Quod autem in omni carmine suo historiam sequitur Noster, neque mythologiam aliquam intertexuit, quo Homeri exemplum aut Virgilium, imitatorem eius, ipse etiam imitaretur, id laudi dandum esse et licere bono poetae, quivis iustus harum rerum arbiter concedet. Ceterum elementa mythologica haud deesse in Lucano, qui recte rem consideraverit, neque in formis aut nominibus haereat, facile fatebitur, si meminerit, quantum poeta ominibus atque prodigiis tribuat in iisque exponendis multus sit et

egregie laboret, quae canat de oraculo Delphico, quaeque de Thessaliae magis, de Erichtho, et de aliis rebus humana excedentibus exposuerit. Atque in Homericis istis omittendis meliori profecto obsecutus mihi videtur consilio atque rationi, quippe qui numquam pariter laudandus esset, si in tam recenti materia Venerem aut Martem vel Pompeio vel Caesari auxilio adduxisset, aut concilia deorum de Romanorum rebus habita enarrasset. Potius quod in hoc ab imitatorum grege se segregavit, eo ipso tantum abest ut inferior illis, ut melior fortiorque sane omnibus iis iudicandus esse videatur, qui talia in poeta maximopere desiderant. Qui vero historicam seriem reiiciunt, eos pariter Annales omnes cyclicaque carmina et magnorum nominum in hac aut simili poesi exempla improbare oportet. Vera poesis nulli tali legi adstricta est; neque quisquam hoc praeceptum dedit aut dare debuit, ut in unoquoque carmine epico deorum interventus et concilia interponerentur, aut ut omnia ad exemplar Homeri componerentur; post quem quicunque similiter eadem facere instituerit, is semper se scierit secundarum in istis esse futurum partium, quoniam omnis imitatio plerumque exemplo suo longe inferior evadere solet.

Quod denique aiunt de Pompeio, ut persona in carmine principe, deque effectu lectionis et affectu lectoris, quo fiat ut pariter Caesar in carmine quoque superior sit et vincat Pompeium, atque vicit in proelio Pharsalico, id quale sit, recte rem considerantibus dubitari non potest. Voluit in universum poeta memorabile illud bellum ob oculos lectorum

ponere, quo omnis status reipublicae Romanae tantopere est immutatus; non voluit autem a partibus Caesaris stare, primum quia ab eo eversae fuerant leges, deinde quia noluit encomium potius eius scribere, quam rem ipsam ab utraque parte spectandam praebere, quo ipsi lectores, utrum sequerentur aut admirarentur, sibi eligerent. Nequaquam autem noluisse Caesarem quoque ab sese laudari, aperte prodit in iis, quae libro IX, vs. 983 sqq. ad ipsum loquitur his verbis:

Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent: Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabimur aevo.

Sed idem tamen, ubicunque eum inducit vel facientem vel eloquentem aliquid, nisi in rebus adiaphoris, constanter et ubique ita inducit, ut carpat eius consilium suscipiendi illius belli, potestatemque summam eo ipso bello partam aversetur. De Pompeio autem quid vere sentiat, disertis eloquentem facit Catonem libro IX, vss. 190 sqq. Quem profecto laudavit et extulit carmine suo, quantum potuit poeta magnus et fortis et veri legumque amans. Idem tamen impedire nec potuit neque voluit, quin Caesaris quoque laureae clare effulgerent. Quas si unice aut praecipue sectandas sibi sumpsisset, Pompeii sane res gestae totaque eius imago in omni carmine ad nihilum quasi reducta esset, quandoquidem per omnia nonnisi fugae eius aut clades fuissent explicandae. Quoniam autem ipse poeta a partibus Pompeii stat, a quo et universus senatus, et Cicero, et Cato Bru-

tusque et quilibet proceres steterunt, eo ipso effectum est, ut et in carmine aliquae certe partes verae Pompeii comparerent, quae sane nullae fuissent, nisi poeta semetipsum quoque Pompeianum praestitisset. Atque sic vere effectum reddidit, quod libro VII, vss. 210 sqq. esse ait futurum:

Haec quum bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt;
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa, legent, et adhuc tibi, Magne, favebunt.

Quod igitur alibi notandum merito fuisset partium in poeta studium, id in hoc merito laudandum, quoniam ea sola ratione et effici potuit et effectum est, ut in carmine quoque duae quasi partes ad concertandum inter se committerentur. Nam si a neutrius stetisset poeta, pariter nil nisi victoriae Caesaris fuissent referendae. Quod autem Caesar in carmine quoque eminet, uti in victoria ipsa eminuit, id ipsum egregium est veritatis in poesi signum, contra quam propter apertissima historiae documenta neutiquam niti poeta debuit.

Haec sufficiant, Ranki, de carmine ipso eiusque ratione, et de obiectionibus criticorum poetae factis, de quibus quid censendum sit, Tu ipse optime nosti, ut qui certum habeas, in carminibus ea esse longe optima et maxime laudanda, quae certissimam oblectationem pariant, atque sine dubio iudices, nullam in Lucano esse paginam, ex qua non vel ob rerum vel verborum delectum magnam veramque oblectationem eruditus lector haurire queat.

Ergo mittam ista, et iam Tibi exponam, quam

rationem secutus sim in textu hoc, quem vides, Lucani recensendo atque constituendo, deinde de reliquis addam; quemadmodum hoc secundum Quintilianum et apud antiquos moris semper erat, primum ut de lectione, deinde de explicatione atque interpretatione videretur.

Circumspicienti autem mihi, quum editio aliqua minor Lucani esset curanda, quem textum potissimum sequerer operisque exscribendum darem, facile apparuit inter duas potissimum mihi optionem dari recensiones, vulgatam, quae a Grotio ortum duxit, et Cortianam, quae ante hos centum et quod excurrit annos prodiit. Nam Weberus in duabus quas adcuravit editionibus, textum ipsum quod attinet, nihil mutavit, sed in altera, quae Bentleii et Clercquii notas praestat, vulgatum dedit, in altera, quae Cortii imprimis commentarium et Martyni Lagunae aliqua scholia habet, uti fieri necessario oportuit, Cortianum. Sed earum recensionum neutram hodie posse aptam iudicari, quae subiiciatur editioni lectorum usui vere subventurae, non puto dubium esse debere, quum vulgata, praeter interpunctionem minime probandam, innumeris etiam in locis lectiones habeat absque dubitatione reiiciendas, Cortius autem, in bonis multis atque praeclaris quae restituit, nimis multa etiam vel ex ingenio vel ex libris intulerit, in quibus vulgata lectio esse praeferenda videatur. Potuisset sane media quaedam via iniri, Oudendorpii textu exscribendo; sed is ipse quoque in longe plerisque locis, quae discrepantem praebent lectionem, vulgatam sequitur, in quibus ea debebat emendari, nec omnino

per omnia certa videtur usus esse ratione; quemadmodum plerique critici faciunt, ut hic illic aliquid immutent, alia contra sine caussa intacta relinquant. De cuius omni ratione et de emendationibus ab eo factis, Ranki, paullo infra accuratius exponam.

Igitur ipse textus recensionem aliquam facere institui; quae quoniam sine certa aliqua norma, uti ego quidem existimo, numquam bene procedere poterit, Argentinensem cepi editionem, multum illam et ab aliis et ab Cortio etiam laudatam, quae prodiit anno 1509 cum Sulpitii commentario, textumque habet sine dubio perboni et praeclari codicis, cuius lectiones discrepant in haud paucis locis ab eo codice, quo usus est Sulpitius, quum commentarium suum conscriberet. Eum igitur textum diligenter cum vulgato et cum Cortiano contuli, adhibuique quatuor codices Lipsienses, quorum lectiones accurate Weberus in editione Fleischeriana dederat.

Praeterea usus sum antiqua editione Petri Aeolici, Lipsiae impressa a Martino Landsbergio typographo, ante annum forte 1494, quam mihi Nobbius, vir excellentissimus mihique amicissimus, ex sua bibliotheca commodaverat; cuius editionis textus egregie cum optimis libris concinit, in multis comprobat Argentinensem, in quibus ea a vulgaribus libris recedit, in aliis adeo haud raro reliquis omnibus praeferendus esse videtur.

Hac igitur supellectili ita usus sum, ut Argentinensem prae ceteris in omnibus iis locis sequerer, in quibus ea vel propter sensum vel assensum reliquorum librorum Aeolicique esset probanda. Qui-

bus ducibus ubicunque ab vulgata mihi recedendum esse visum est, ibi semper notam adieci, auctoribus instituendae mutationis accurate adductis, et adscripta vulgata lectione. Cortii aut aliorum varietatem integram adiicere nolui, quia non apparatum sed recensionem textus dare in decretis habebam. Ergo nota Ar. in animadversionibus mihi significat editionem Argentinensem 1509 ab Joanne Prüfz impressam; nota Ae., Aeolici, professoris olim Lipsiensis editionem, de qua paullo pluribus egit Martyni Laguna in epistola ad Heynium de Lucani editionibus antiquissimis datam. Porro litera C. significat Cortium cum suis omnibus quos contulit codicibus atque editionibus antiquis; litera V. vulgatam, imprimis eam quam Farnabius Schreveliusque exhibuerunt; nam vulgatae quoque ipsae quae vocantur editiones, in quibusdam locis inter sese discrepant. Cortius autem quam vulgatam vocat, Schreveliana est, quam ille ob oculos habuit. Denique literae a. b. c. d. more ac ratione ab Webero instituta denotant codices Lipsienses, quos dixi, de quibus et ab Cortio et a Webero accuratius expositum est.

His deinde adminiculis accesserunt editiones eae, quas Tuo, Ranki, beneficio, Tuaque, qua soles omnibus hic subvenire, qui docti aliquid elaborare cupiunt, humanitate ex bibliotheca Schaumiana nactus sum; ac primum Bersmannianae editionis exemplar, quae Lipsiae prodiit anno 1589, non optima quidem illa charta impressa, sed magno summeque laudando studio a Bersmanno adcurata, qui quatuor codices contulit, quorum unum acceperat a Camera-

rio filio, alterum ex bibliotheca academica Lipsiensi, tertium a Weidnero, quartum ex Fabriciana bibliotheca. Eorum variantes in margine adnotavit, ipsos notis non distinxit, textum autem haud paucis locis ex iis emendatum dedit. Praeterea parva scholia explicantia adiecit. In fine legitur carmen ad Pisonem, a Bersmanno emendatum, quod ego hic adiicere nolui, utut vere Lucani sit; porro Camerarii notae ad lib. I. Pharsaliae, Scaligeri notae ad ecl. ad Pisonem, Micylli notae in Pharsaliam; denique Pullmanni variae lectiones ex manuscriptis et editionibus antiquis.

Porro Schrevelii editio, cum notis variorum, Lugd. Bat. 1658, qui in textu Grotium sequitur, Variorum notas imprimis ex Hortensio, Sulpitio, Salmasio, Gronovio, Farnabio aliisque selectas exhibet, difficiliora autem paene omnia praepostere explicita habet; unde explicationum eius non magnus ad intellectum verum Lucani potest iudicari usus. Addit locum ex Petronio, supplementum Maii, variantes codicum quibus usi sunt Pulmannus et Bersmannus, et in fine indicem satis copiosum et diligenti manu congestum, in quo, quod mireris, occurrunt interdum et lectiones et interpretationes longe aliae atque quas habet ipse Schrevelius; quas fere omnes recepit Cortius.

Venio nunc ad Oudendorpii editionem, quae Lugd. Bat. prodiit 1728. 4. cum selectis omnium superiorum editorum notis, et variantibus lectionibus ex VI codd. Vossianis in bibliotheca Lugdunensi adservatis, ex Divionensi, duobus Parisiensibus, duobus

Oxoniensibus, porro Cantabrigiensibus, Marburgensi, Amstelodamensi, etc. denique editionibus: Romana 1469. Veneta 1477. Parmensi 1473. Brixiensi 1476. Mediol. 1491. Argentinensi 1509. Aldinis 1502, 1515. Parisiensi 1512. Textum ante oculos habuit Oudendorpius Grotianum. — Quodsi quaeris, Ranki, quis tandem usus verus ex illis tantis Oudendorpii opibus atque copiis ad ipsum Lucanum pervenerit, haud equidem Te celabo, potius Tibi et lecturis omnem lectionem Oudendorpianam, qua ille a vulgata recessit, hic descriptam dabo, quo, et quid iudices, materiam in propatulo habeas, et quid eligas, uno obtuitu iudicare queas.

Lib. I. v. 31. dedit: *descendere.* 120. *permissum.* 181. *in tempora.* 229. *it torto*, uti et Cortius. 247. *in pectore.* 279. *faciet.* 335. *descendere.* 453. *remoti incolitis luci.* 481. *Alpemque.* 507. *Conciperet.* 534. *e partibus.* 580. *e medio.* 586. *Lucae.* 588. *errantis.* 600. *Cybeben.* 608. *numen.* 642. *ulla sine lege.* 695. *deserta.*

Lib. II. 16. *orbi.* 31. *Adfixere.* 76. *hosti concessa.* 110. *visum lenti*, ubi vulg. *visum est l.* quod nos omisimus adnotare. 134. *hominis quid fata paterent.* 174. *cum victima tr.* 194. *ense recepto.* 213. *aquae.* 214. *Jam sangu.* 216. *in flumina.* 264. *nolit in isto.* 273. *laetae.* 293. *R. que bella s.*, *Diductique.* 296. *Dahas.* 299. *tumulos.* 335. *contusaque.* 346. *comitem.* 351. *sint.* 356. *adclinis.* 406. *iuncto Sapis Is.* 407. *Senaque.* 409. *fractas devolvit.* 429. *adspicit.* 470. *Devertitque.* 473. *firmissima.* 506. *subrepit.* 527. *inmixto.* 645. *Latio.* 654. *depulsis.* 693. *tacitas.* 722. *flexi.*

Lib. III. 32. *genero.* 38. *Abscidis.* 85. *Pomptinas.* 127. *voverunt.* 185. *Gnososque.* 191. *Penei.* 227. *extremae.* 280. *Essedoniae.* 286. *Xerxes.* 305. *Pacifero.* 404. *diris altaribus.* 450. *caesi.* 469. *verberis ictu.* 475. *innixa.* 477. *recussu.* 526. *puppes.* 552. *retulit.* 586. *Catus.* 612. *nisu.* 625. *robore nervis.* 630. *descendit.* 659. *remis.* 660. *Deiectum.* 672. *totum.* 673. *expulso.* 713. *procurrunt.* 729. *cecidit robur.* 749. *Polluerit.* 757. *quanti.*

Lib. IV. 102. *aquas.* 123. *rarior.* 270. *hoste.* 290. *animam.* 298. *Asturii.* 317. *Destringunt.* 329. *ora tamen, noct.* 406. *Curictum.* 447. *Inpedit.* 451. *laxe.* 520. *extulit.* 525. *vergere.* 651. *permittere.* 662.

Bella regat. 665. *ferox.* 669. *Libyae gentes.* 705. *voluptas.* 719. *incauto ex h.* 726. *Obliquusque.* 821. *nostri sibi f. ensis.*

Lib. V. 16. *e celsa.* 43. *nobis.* 71. *submotus.* 79. *premeret.* 91. *Contactumque.* 129. *futura.* 155. *limina.* 157. *sensit.* 209. *expulsaque.* 307. *omnia certe.* 311. *suis.* 328. *sequentur.* 333. *despecta.* 349. *relinquens.* 372. *diri.* 409. *virum, rap.* 434. *ligata.* 481. *mundo — laborum.* 633. *Intonuit.* 640. *e summis.* 648. *fluctum.* 665. *Nec sciet.* 680. *gemitusque.* 681. *ingratas ingessit — querelas.* 693. *morti.* 696. *labor iste, favorque.* 758. *prement.* 761. *vix.* 763. *rumpet.* 769. *non olim.* 773. *sorte parata.* 785. *hic coniuge.* 804. *vadit.* 805. *fugit — tibi.*

Lib. VI. 24. *et illisum scopulis revomentibus.* 27. *rabido.* 42. *vastaque.* 55. *aut iungere.* 66. *rabidum.* 76. *modo terrae pr.* 88. *dum.* 109. *turgentibus.* 112. *Et foliis sp. nem.* 116. *ante hoc.* 123. *impulsu valli.* 139. *patebant.* 201. *Promoveat.* 208. *Sic Libycus densis.* 226. *e sanguine.* 227. *furorem.* 244. *putatis?* 246. *effatur.* 294. *Enceladon.* 314. *averso.* 317. *devertere.* 382. *Boebrycio.* 384. *rupere coloni.* 390. *Rhoete.* 410. *hic.* 412. *incurrens.* 466. *praeducunt.* 482. *nisus.* 484. *Perspectumque.* 499. *illic.* 507. *crimina.* 532. *Retulit — lectum.* 535. *undantia.* 541. *Inmergitque.* 576. *Pharsalia.* 585. *averrere.* 650. *metuant.* 655. *aperitur crine remoto.* 664. *possint.* 673. *medullae.* 704. *Tracturae.* 717. *nostri.* 724. *inique.* 771. *decet — discedat.* 778. *Adspexi.* 810. *adluat.* 826. *liquit.*

Lib. VII. 28. *populis.* 94. *Romanae tradere.* 130. *Et mors ventura est.* 156. *Siphonas.* 179. *Defunctos ululare patres, et s.* 191. *nescius arvis.* 198. *Aethera.* 199. *Perspexitque — numen.* 225. *habenae.* 244. *Casuram fatis.* 260. *nocentem.* 261. *flammaque.* 262. *gladioque exsolvite culpam.* 272. *aut mixtae.* 286. *quarum.* 295. *in bella furentes.* 313. *destringere.* 331. *Sumta Ceresque viris.* 342. *praevectus.* 363. *compressum lim. c.* 374. *populus.* 385. *procurrunt.* 396. *Senatus.* 406. *in corpore bellum Jam possit.* 434. *Ah — vagatur.* 452. *Inpulit.* 482 *fremitus.* 495. *timebat.* 503. *calet inde nocens a sanguine ferrum.* 514. *soluti.* 530. *nubes.* 549. *rogatae.* 557. *populis — furorum.* 571. *scelerum est. Caed.* 579. *rerum.* 584. *regum.* 594. *premuntur.* 621. *demissum f. ensem.* 622. *ar'ma.* 623. *pectore tela.* 641. *Vincimur.* 658. *vovitque.* 676. *fatisque negatum.* 699. *Perspectasse.* 715. *promittunt.* 646. *rapiuntur.* 751. *Scire ruunt.* 761. *cassumque cubile.* 768. *putem.* 785. *ingestaque.* 828. *ursae.*

Lib. VIII. 11. *quantam.* 20. *per orbem.* 27. *pudet.* 41. *iubet.* 64. *fato.* 113. *dignere.* 161. *Pomp. pectore.* 215. *Ne pigeat.* 251. *Phaseli.* 259. *Syedris.* 279. *curarum vobis arc.* 314. *sat magna.* 327. *Crassos.* 337. *Aversosque.* 342. *auditu.* 378. *Aut fossas — sequenti.* 390. *misisse.* 413. *Saevitia.* 426. *iaceret.* 444. *Aegyptos.* 449. *qui.* 455. *habes.* 463. *tenuit gratum.* 479. *vexerat.* 487. *terrae.* 488. *ut*

flamma. 539. *exsultat ar.* 567. *adpellere.* 580. *e litore.* 588. *e terris.* 601. *vacaret.* 615. *praestare.* 617. *Vellet*, et. 618. *Sed.* 620. *Respexitque*, ut sit supplenda negatio. 632. *Non fit.* 655. *aptare.* 665. *aciem.* 674. *abscisa.* 685. *reges.* 688. *sceleris.* 690. *Exsiccata.* 693. *sorori.* 720. *in litora.* 734. *cantu tristi.* 777. *destillat.* 802. *Magni est l.* 833. *Osirin.* 841. *umbram.* 857. *Avertet? — libebit.* 862. *in aequore.* 864. *Tusco venerantur caespite fulmen.* 865. *mansura futuris.* 870. *illud.*

Lib. IX. 12. *miratur.* 67. *dare iusta.* 70. *non toto in p.* 73. *Num tamen.* 109. *obduxit.* 131. *Hospitiis.* 186. *umbras.* 190. *multum.* 195. *iure.* 213. *Fac talem.* 219. *Tunc Tarchondimotus.* 250. *signa sequamur.* 259. *morerisque.* 261. *vacanti.* 263. *potuit vestro Pomp.* 288. *Phrygii sonus increpet aeris.* 290. *floriferi.* 301. *vetabat.* 333. *liber, ventis.* 355. *Lethon.* 379. *mea signa secutis.* 405. *turba.* 406. *paventes.* 420. *Libyae.* 430. *petimus ab orbe.* 449. *nocens — ortum — Libye — liquidas.* 454. *arenis.* 474. *extrema.* 484. *nisu.* 512. *stat certior illic.* 525. *abstulit.* 542. *mari.* 572. *haec.* 576. *sterilesque elegit harenas.* 584. *profatus.* 587. *gerit.* 588. *vapores.* 590. *Carpentoque.* 604. *Deum es!* 615. *fatum in dente.* 619. *exsudet.* 627. *suco.* 632. *Femineo quae — solutae.* 633. *aversa.* 646. *Phorcys — Cetoque.* 648. *abducere.* 653. *Gorgonos.* 656. *Phlegraeos, st. s., Gigantas.* 668. *Gorgonos — meatu.* — 684. *rapta sic Gorgone.* 686. *Aera.* 722. *fumantia.* 764. *flexo.* 765. *harenae.* 810. *rutilatum sanguine.* 820. *Sabaeas.* 831. *dimittit.* 840. *Suspectam mis.* 865. *Claustra ferit m.* 896. *mixtis.* 907. *tactos si quis.* 917. *comas.* 919. *Peucedanonque.* 942. *illi.* 944. *rarae nemorum.* 954. *natatum.* 955. *Heroas.* 1016. *belli pelagique.* 1040. *potens.* 1049. *generis; — neposque* cum puncto, non interrogatione. 1051. *tuis.* cum puncto. 1052. *Angeris.* 1056. *gener?* 1062. *audet — Acquiritque.* 1081. *vosmet.*

Lib. X. 10. *secutam.* 84. *Qua decuit.* 95. *amat.* 97. *Iuris inire.* 120. *subfecta.* 122. *Fulcit gemma toros.* 128. *fuco.* 130. *nullis.* 136. *Discubuere illic reges.* 142. *percussum.* 232. *neu.* 238. *discurrere.* 241. *in aëra.* 242. *pellunt tot.* 245. *adsidue — flatu.* 290. *in occasus.* 328. *in alta.* 334. *sacra tam* c. 340. *belli, vindicta.* 357. *nubit.* 361. *puerum.* 397. *Superos.* 398. *Non segnis A.* 419. *Romani.* 421. *vincunt.* 447. *Nec secus.* 488. *Ambitiosa d.* 490. *menti.* 512. *ad bellum.* 514. *Caesar et, auxiliis ut vidit libera ponti Ostia, non fatum meriti poenasque Pothini Distulit ulterius.* 517. *non flammis rapuit.* 518. *gladio cervix.* 536. *subitus.*

Apparet, in primis libris pauca, in postremis plura mutasse Oudendorpium; quorum quae ego cum illo communia habeo, dudum equidem receperam,

ante quam eius editionem manibus meis tractavi. Utut enim magni semper fecerim atque faciam Batavos, tamen eorum editiones nonnisi tum plerumque adire soleo, quum ipse proprio Marte rem satis iam sum contemplatus atque perspectam habeo, quia nolo memet obrui notarum et explicationum, quas adiiciunt, mole atque pondere; quae et in Oudendorpio ad satis grande volumen excreverunt. Qui quidem, critica quod attinet, eo valde laudandus est, quod longe pleraque ex codicum auctoritate emendavit, raro aliquid ex coniectura, numquam autem ita superstitiose manuscriptis adhaesit, ut et reprobanda reciperet opinione aliqua praepostera et praeconcepta adductus, uti multi hodie faciunt, qui, quum numquam antea codicem oculis suis adspexere, ubi unum aut alterum nacti sunt, tum demum se verum auctorem, quem tractant, manibus terere existimant. Contra in Oudendorpio hoc notandum esse merito dixeris, quod ille ex tam multis quas attulit bonis memorabilibusque lectionibus, tam paucas, certe in prioribus libris, in textum suum recipiendas duxerit. In commentario exegetico, uti titulus praefert, suis praecedentium plerorumque commentatorum interpretationes praemisit. De ipsius autem explicationibus si, quid sentiam, Ranki, ex me exquiris, in his ille, ut fatear quod ego verum esse deprehenderim, haud multa bene, difficiliora haud raro perperam, alia plane non explicuit, innumera contra sine necessitate longissimis notarum ambagibus oneravit. De falsis vide verbi caussa ad I, 7. 55. 170. 173. 371. (cuius loci quam ego dedi explicationem, unice proban-

da videtur; cf. indicem v. *Spumare.*) Porro: 46 ubi intelligit Germaniam irruptionibus barbarorum p decessum Romanorum patefactam. Dein I, 589. I 93. 126. 162. 230. 250. 279. (ad quem locum c VI, 806.) et sic porro innumera; ut nemo debe existimare se intelligere Lucanum, nisi melius Ou dendorpio intelligat.

Burmannus, cuius editio Lugduni Bat. prodi 1740. 4. in textu plerasque Oudendorpii mutation recepit, in ceteris vulgatam restituit; ipse paucissim novavit, omninoque sese, uti faciunt, qui tuta diligun in emendando perquam timidum, et multo etiam ti midiorem praestitit, quam Oudendorpius. Nactu erat Burmannus exemplar editionis Gryphianae 154 cuius margini Heinsius variantes codicum 25 una cu suis coniecturis adleverat. Id ab eo Bentleius expe tierat, in usum suum conversurus, quum editione pararet, itemque Cortius; at ille Euclio noluer suum thesaurum illis commodare, inimicitiasque ma gnas inde sibi eorum conflatas iactat, quum tame interim ipse opum istarum Heinsii in editione sua au nullum aut in paucis usum fecerit. In interpre tandis difficilioribus pariter cum Oudendorpio vacil lat, alia plane non tetigit, quae maximopere era explicanda; quaedam tamen bene explicuit. Ceteru stilo egregie Romano, uti in reliquis suis, ant omnes elucet.

Cortii minor editio, quae Lipsiae 1726 prodii textum habet emendatum ex plus sexaginta libris e editionibus, et praeter critica imprimis etiam laudan da est ab elegantia typorum et ideo, quia distincta

sunt in ea orationes ab narratione reliqua literis obliquis, quam rationem etiam nos hic sequendam esse duximus. Emendationes eius magnam sane partem necessario fuerunt limitandae atque amputandae, clamitante cum sensu ipso et usu scriptoris, tum codicum optimorum longe maiori numero. Adiectae sunt sub textu notulae criticae, in quarum plerisque nonnisi vulgata lectio adnotata legitur. Reliqua omnia cum explicationibus editor maiori editioni reservaverat, quae vivo Cortio numquam prodiit, quia prodierat interim Oudendorpii editio, et suas tum moliebantur Bentleius Burmannusque. Sed eius notae et integer commentarius, ad nonum usque librum ab eo absolutus, nescio quomodo, ad Martyni Lagunam devenit, ex cuius bibliotheca nactus est Weberus, una cum ipsius quoque Martyni Lagunae notulis, ex quibus omnibus Weberus alteram editionem adornavit, quae, uti iam dixi, imprimis Cortii et textum et notas omnes quoad extabant exhibet, haud inutilem sane vel ad criticam vel ad interpretationem apparatum. Ceterum in explicationibus haud magis saepe Cortius quoque tetigisse verum mihi iudicandus esse visus est, quam reliqui tantum non omnes tetigere; ut nihil magis dolendum esse videatur, quam Webero aut non licuisse aut non in decretis fuisse, ex his et ex Bentleii aliorumque quas dedit animadversionibus breviorem concinnare editionem, in qua aliorum erroribus commemoratis suas potius posuerit interpretationes, suumque iudicium unicuique loco adiecerit; quem ego ex his, quae adiecit, omnium optime eorum qui ante me interpretati sunt, sensum Lu-

tani assecutum esse arbitror. Nam qui ex Martyni Lagunae additamentis multum se vel ad crisin vel ad intellectum Lucani proficere posse speraverit, nae is egregie frustratum sese senserit. Eius enim opera, saltem in his quae extant, prorsus nihili est iudicanda, quippe qui ita totus ab Cortii iudicio pependerit, ut tantum non ubique ei adstipularetur, nusquam fere proprium aliquid, quod vero usui esse posset, adferret, quemadmodum saepenumero illis accidere solet, qui potius in accumulandis et inspiciendis hic illic, quam recte usurpandis codicibus editionibusque veteribus industriam suam ponunt. Ceterum Cortium haud raro in metricis impegisse, est sane quod mireris in homine tam docto tamque subacti iudicii. Producit enim *Pharon*, *uvidi* autem et *leniter* corripit, et alia quaedam habet similia, quae per se iam efficiunt, ut eius textus numquam possit ad vulgarem usum commendari; nam Lucanus profecto nusquam contra iustam Romani oris prosodiam commisisse ab quoquam iudicari debet.

Bentleius uti in aliis propter incredibile acumen ingenii sine dubio magnus habendus et inter maximos quosque extollendus, ita in Lucano tamen magis ideo est admirandus, quod tam falsa potuerit proferre, tantosque errores tanta doctrina eloqui, quantos elocutus est; id quod inde absque dubio ei accidit, quod opinatus est, posse Lucanum et intelligi penitus et explicari vel a doctissimo homine, antequam etiam integrum fortasse perlegerit, ingeniumque eius et indolem omnem illi propriam recte per-

spectam habuerit. Cuius si voluissem falsa omnia convellere, magis in his debuissem operam impendere, quae non vera essent, quam in verioribus commonstrandis. Atqui ego tamenetsi neutiquam vel in mathesi vel in reliquis rebus plane reiiciendam censeam apagogicam illam rationem, quam quidam magis etiam iusto diligunt, tamen ubi brevitas ante omnia sectanda est, potius in veris ponendis quam in falsis refutandis industriam meam me collocare posse cupio. Nec minus Bentleio Clercquius ille van Jever cum longis suis animadversionibus tantum non ubique laterem lavit oleumque et operam omnem perdidit; quum Bentleius tamen, uti in omnibus suis, certe ob dictionem qua cuncta illustrat et propter reliqua egregia ubique eandem, quam et in melioribus suis, oblectationem pariat. Verum haec philologi gustent, elegantiorisque adament doctrinae sectatores, ubi aut ingenium exercere, aut oblectamentum capere satagunt. Qui verum auctoris intellectum sectatur, eum abstinere saepe oportet ab his, a quibus vel propter auctoritatem nominis, vel per insignem, qua excellunt, oratoriam artem ad falsissima quaeque amplectenda deduci queat.

Denique adhibui splendidissimam illam quae Vindobonae apud Degenium prodiit editionem, ab Illycino quodam curatam, qui Viennenses aliquot codices contulisse se scribit, ceterum recensionem exhibuit plane vulgatam, praeter paucissimos aliquot locos, in quibus partim textum misere pessumdedit, ut I, 169 (nisi memoria me fallit; nam librum nunc non ad manus habeo) ubi ex cdd. puto rescripsit

Curionum Jonico a minore, et II, 440, quo loco sic inchoat hexametrum: *Gaudens habere vias*, et constructionem infert, quae numquam poterit Romana vocari. Idem tamen duobus aut tribus locis lectiones habet commemorabiles, e quibus unam adeo in textum recipiendam duxi, lib. VII, 751 *Scire volant* pro ieiuna illa vulgata *Scire volunt*, certissime ratus, Illycinum illum in codicibus suis invenisse, quod in hac similitudine literarum et in verbo tantopere usitato reliqui omnes non agnovere. In qua re si Tibi, Ranki, iusto paullo audacior visus fuerim: constructionem quidem quod attinet, et Oudendorpium et Cortium scito eandem fere habere, ut qui reposuerint *Scire ruunt*, quod ad sensum idem fere est cum nostra lectione.

His igitur quae dixi adminiculis hoc me assecutum esse spero, quod assequi volui, primum ut vulgatam ad certum aliquem librum, qui haud improbandus esset, emendarem, deinde ut rescinderem superiorum omnes eas emendationes, quibus non adstipularentur eorum librorum lectiones, qui mihi innotuere et quos ego sequendos duxi; denique ut bona etiam Cortii amplecterer, et imprimis eius interpunctionem sequerer, exceptis his, in quibus ab eo recedendum propter sensum et propter codices arbitrarer. Semper autem equidem existimavi, orationem dictionemque auctoris nonnisi ita recte posse restitui, si integer textus vulgatus cum uno certe libro antiquo, qui probandus esset, ad verbum a principio usque ad finem accurate conferretur, ad eumque, iudicio, quo oporteret, adhibito, vel bona vel mala

editionum interpositarum corrigerentur; ita enim profecto fieri, ut saltem una recensionum antiquiorum, ad quas omnis critica nostra necessario recurrere debet, (quoniam ipsius auctoris textus nulla umquam arte certo demonstrari poterit,) certo quodammodo vestigio premeretur; eius autem libri lectiones vel ex sensu, vel ex usu auctoris vel ex assensu aliorum librorum esse ponderandas. Quae res quoniam a plerisque non ea ratione instituitur, qua institui debet, inde accidit, ut saepe textuum recensiones exsistant, quae plane nullae sint vocandae, quia non apparet, quare editor, quum in aliis locis certos libros secutus sit, in aliis eosdem neglexerit, in quibus vel imprimis fuissent sequendi. Atque sic recte nuper a quodam animadversum legimus, plerorumque et tritissimorum adeo Latinorum imprimis auctorum desiderari etiamnum tales editiones, quae meliori criticae arti lectorumque vero usui responderent, utut multi edendis operam navarint codicesque et apparatum criticum et exegeticum adhibuerint. Nam neque Horatius nec Livius aut Cicero aut Tacitus aut Ovidius ita sunt emendati, ut merito laudari recensiones possent, nisi fortasse Jahnii Horatium aut eiusmodi proventus bonas editiones vocare velis; ut nihil dicam de Phaedro Orellii similibusque, quae quasi monstris editionum mihi videntur accensendae, utut ab aliis magnificis etiam verbis sint laudatae. Omnium autem ii plerumque minimum certe conferunt ad textus bene emendandos, qui, ubi sibi scriptorem aliquem edendum sumpsere, nihil potius habent, quam ut longa per omnes terras itinera suscipiant magnis-

que sumtibus sibi ea colligant, quae saepenumero melius intra muros parietesque suos nancisci possent, si vellent iis uti, quae ante omnia primum sunt inspicienda. In quos sine dubio illud est repetendum, quod vetus quidam poeta cecinit:

Quod est ante pedes nemo cernit; coeli scrutantur plagas.

Qui furor inter nostrates ad summum videtur erupisse, ita ut omnes se cupiant Bekkeros evadere, quum, ut in omni re, ita et in critica, multi quidem ναρθηκοφόροι, Bacchi autem per profecto pauci existant. Quodsi existimant istiusmodi scrutatores, quoniam ipsi plerumque aut parum emendant, aut non satis considerate multa instituere solent, certe post venturis editoribus se magno praesidio esse futuros, ego de hac re ita existimo: qui recte velit auctoris recensionem instituere, eum suis ubique, non aliorum oculis uti debere, allata autem et oblata ab aliis nonnisi ad rem forte stabiliendam esse adducenda, ita tamen, ut eiusmodi auxiliis numquam nimis magna aut nimis secura fides habeatur; iudiciumque, si adsit, subactum, et linguae ipsius scriptorisque usus notitiam vel summis opibus largissimaeque supellectili esse praeferendam. Agant igitur alii, ut volent, auxiliaque sua sibi, tamquam in Lucano Pompeius facit, ex omni ortu atque occasu conquirant; ceterum aliorum virtutem non ex opum aut copiarum magnis nominibus, sed ex effectu iudicent, eum ipsum autem non ex opinionibus praeconceptis, sed ex vero ponderent. Sciant autem, non uno tempore vel in minimo scriptore omnia posse perfici, singularumque aetatum singulos quasi quosdam esse gradus, per

quos ad meliora adscendere debeant, nullumque opus recte posse procedere aut excoli atque perpoliri, nisi, quid ante omnia curandum atque perficiendum sit, recte perspectum habeamus. Quemadmodum multos nunc in Plauto laborare video, ut uno temporis momento omnia ac singula statim summa perfectione absoluta ab sese praestentur; quos omnes certissimo augurio Icaros praevideo esse evasuros, nullam aliam ob caussam, quam, quoniam, uti supra ex Cicerone nostro attuli,

Quod est ante pedes, nemo cernit, coeli scrutantur plagas.

Etenim si ea via contenti fuissent, quam ingressi fuerant antehac magni sed multo modestiores viri, dudum haberemus principis Latinorum poetarum talem editionem, ex qua legi tamen tamquam poeta posset, et in qua nisi posteri certo vestigio altiora olim persequendi copiam haberent.

Haec satis sunto de consilio meo rationeque, quam secutus sum, Ranki, in hoc Lucani textu enucleando atque emendando. De qua re ideo hic paullo pluribus exponendum a me esse duxi, quanto iustiores sunt hodie querelae de perversitate criticorum, qui, quum ipsi aut nihil perficiant, aut omnia vel mediocriter vel praepostere instituant, iudicare tamen se posse putant de aliorum operibus, et summa quaeque in aliis requirunt. Quorum ego stultitiae et importunitati tanto magis occurrendum esse arbitror, quanto minus umquam partibus aliquibus sum addictus aut esse volo, et quanto magis hodie in ephemeridibus literariis similibusque institutis a partium plerumque studiosis omnia geruntur atque

reguntur; a quibus Tu me, quantum potes, defende atque protege.

Compendio brevitatique me, uti in criticis, ita et in exegeticis studuisse, ex ipso scholiorum meorum adspectu continuo Tibi patebit, RANKI; certissimeque spero, Te hoc meum consilium haudquaquam esse improbaturum. Nolui equidem librum mei, non Lucani ipsius, caussa legi, nolui longis notarum ambagibus morari lectorem, neque commentarium scribere, qualem nuper Kritzius ad Sallustium, in quo, tamquam in iure immenso lepusculus, sic autor innatat, notis plane suffocatus, in quibus falsissima saepe pro veris venumdantur. Quem longissimarum notarum conscribendarum, commentariorumque immensorum congerundorum condendorumque morem nostratibus plane relinquendum esse duco, quum sensus qui subsit loco, saepe paucissimis verbis possit demonstrari, gloria autem non adeo magna ducenda sit, quam plurimis verbis interpretem existere eorum, quae alius quispiam aut scripsit aut cecinit, ut ibi multis utare, ubi vel uno vel paucissimis possit res absolvi. Itaque ego hic satis esse duxi, si rectiorem ubique ponerem interpretationem; quam memet in multis sane, si non in omnibus, indigitasse, credo haud inficiabitur, qui v. c. cum aliorum interpretationibus contulerit ea, quae, etsi perbreviter saepe, adnotavi ad I, 1. 2. 7. 31. 55. 58. 76. 103. 135. 267. 282. 314. 369. 371. 380. 465. 493. 610. 663. II, 40. 98. 126. 150. 162. 237. 250. 276. 277. 324. 342. 397. 439. 519. 524. 537. 577. 621. 635. 682. 712. 728. III, 14. 35. 64. 93. 111. 181. 190. 230.

233. 234. 244. 277. 314. 328. 389. 410. 419. 455. 457. 459. 497. 527. 549. IV, 67. 77. 82. 158. 163. 182. 197. 226. 243. 260. 278. 303. 385. 405. 432. 484. 489. 518. 545. 554. 638. 673. 724. 749. 750. 809. V, 137. 193. 279. 316. 371. 399. 457. 473. 707. 720. 771. VI, 29. 58. 85. 267. 285. 301. 432. 651. 702. 710. 819. VII, 103. 154. 173, ubi plerique nullam habent parenthesin. 187. 306. 325. 462. 546. 549. 658. VIII, 5. 10. 31. 100. 102. 158. 288. (ubi in nota lege: supra vs. 31.) 400. 404. 417. 492. 590. 619. 651. 684. 750. 863. IX, 190. 192. 426. 435. 648. 656. 680. 740. 753. 776. 820. 867. 877. 924. 938. X, 24. 43. 50. 127. 188. 191. 263. 275. 278. 329. 356. 408. 451. 455, (ubi l. *hospite affixo.*) 473. 483. 492. 499. 533. quibus in locis me opinor rectius aliis plerisque sensum auctoris explicitum dedisse, secundum leges explicandi, quas ipse usus Lucani praescribere mihi visus est; cuius de peculiaribus evolvere velim lectores indicem, quem adieci, in vocibus: ***hypallage***, ***simplicia***, ***ira***, ***spargere***, ***bella***, ***adiectivum***, ***praeteriti***, ***anima***, ***spumare***, ***cardo***, ***exigere***, ***fata***, ***ius***, ***rapere***, ***hi***, ***tunc***, ***iacere***, ***impellere***, ***iste***, ***orbis***, ***nulli***, ***obliquum***, ***os***, ***par***, ***post***, ***regnum***, ***sed***, ***si***, ***squalentia***, ***tot***, ***negatio***, ***et***, ***transpositiones***, ***tremulus***, quae etsi in aliis pariter atque in Lucano occurrant, tamen in hoc quia ignorata sunt, saepenumero falsae interpretationi ansam praebuerunt, aut non statim primo intuitu recte ab unoquoque capientur. In aliquibus enucleandis et interpretandis aliorum interpretum, imprimis antiquiorum, ipsis verbis usus sum; ex-

qua in arte ita eminuit inter coaevos suos, ut optimis quibusque poetis latinis par haberetur; quemadmodum auctor dialogi de causis corruptae eloquentiae ait: *Exigitur iam ab oratore poeticus decor: non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus.* Et recte cum Virgilio potest comparari, siquidem et ille sua habet vitia, et haud desunt loca, in quibus ultima corrigentis manus in eo aperte desideretur; Horatio autem in multis praeponi, certe quoad virtutem virilemque, quem in omnibus praestat, animum, quamquam et ipse quodammodo ad adulationem delapsus est in laudando Nerone. Scripsit Lucanus, quum paene puer esset, (ut Papinius docet) certamen Hectoris et Achillis, cum cadaveris Hectorei redemtione, seu Hectoris lytra, deinde fabulam Orphei inferos adeuntis, incendium urbis Troiae seu Catacausmon Iliacum, catalogum Heroidum, Saturnalia, Silvarum libros decem, Medeam tragoediam, hypomnemata prosa oratione, declamationes, epistolas ex Campania, fabulas satyricas; quae eius opera ad unum omnia interierunt. Pharsaliam, quae ex maioribus una exstat, primis Neronis imperii annis scribere instituit, eamque perfecit usque ad decimi libri dimidiam forte partem. Cuius operis primos tres libros adiuvante Polla uxore dicitur correxisse, reliquos, si vixisset, emendaturus. Additurus autem fuisset sine dubio reliquam omnem belli civilis historiam, cuius omnem seriem animo certe descriptam habuisse coniici potest ex loco libri VI, vs. 813, ubi haec ad Sextum loquitur vaticinans:

Tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in arvis, etc.

in quo sine dubio Virgilianum Anchisem imitaturus fuisset, Aeneae filio quae ventura essent vaticinantem. Ceterum Pharsalia nomen ex prima declinatione esse flectendum, non ex secunda, ut quidam fecere, qui pro plurali videntur habuisse, apparet ex ipsius Lucani verbis supra iam allatis, quae leguntur libro IX, vs. 985. ubi Pharsaliae nomen cum verbo singulari numero posito constructum deprehenditur.

Praeter Pharsaliam autem inter catalecta poetarum Nostro tribuitur etiam carmen panegyricum ad Calpurnium Pisonem, in quo Pisonis et publicae et privatae laudes celebratae sunt a poeta nondum vigesimum annum ingresso. Quo in carmine hoc certum esse videtur, quae in vulgatis editionibus leguntur a vs. 250 usque ad finem, collocanda esse post versum 71, quemadmodum recte et in Gryphiana et Bersmanniana editione factum est. Ceterum huius poematis lectio in editionibus ita male dum est constituta, ut nisi alia supellectili adhibita neque sensus recte declarari neque dictio bene emendari possit.

Vixit Lucanus ad vigesimum septimum aetatis annum; periit enim in coniuratione Pisoniana eodem mortis genere, quo et patruus eius Seneca ab Nerone est interemtus; de qua re legendus Tacitus Annalium libro decimo. Decessit autem pridie Cal. Maii, eodem anno quo consul est designatus; sepultusque est in hortis suis, quos pulcherrimos habuit. Ipse Nero ei iussisse fieri videtur inscriptionem, quae inventa est Romae in divi Paulli templo his verbis:

M. ANNAEO LUCANO CORDUBENSI POETAE BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA.

MARTIALIS de natali Lucani:

Haec est illa dies, quae, magni conscia partus,
Lucanum populis et tibi, Polla, dedit.

QUINTILIANUS: *Lucanus ardens et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus, quam poetis, adnumerandus.*

De quo rhetoris clarissimi iudicio videnda, quae supra in praefatione p. VI a nobis dicta sunt.

De Lucano Barthius Adversariorum libro LIII, c. 6. haec habet:

Lucanus, poeta magni ingenii, neque vulgaris doctrinae, spiritus vero prorsus heroici, iam inde ex eo tempore, quo floruit, maxima semper fuit auctoritate, praecipue apud philosophos, propter grave, nervosum et acutum vibransque et penetrabile sententiarum pondus, quibus universa eius oratio mirifice floruit, adeo ut in eo genere parem nusquam ullum habuerit.

Maresiusque Epist. I, 8.: *Lucanus poeta est, in quo, quamvis quaedam reprehendantur, longe tamen plura laudanda sunt. — De rebus acres et sanas habet opiniones: de virtute vero non fere aliter, ac Zeno, loquitur, gravesque de ea sententias ubique inculcat, quae eo altius hominum mentibus insident, quod non sine aliquo acumine infiguntur.*

Quanti Lucanum fecerit summus homo, praestantissimusque poetarum omnium recentiorum, magnus

noster Goethius, inde coniici licet, quod ille in tragoediae suae inclutissimae Fausti parte altera, in qua classicam et poesin et omnino culturam tractat atque informat, et Thessaliae omnis et Erichthus magae, quam ibi inducit, imaginem ex Lucani libro sexto adumbratam dedit. Non enim solum haec, sed et ipsa illa scena et castra in Thessalia facta, quae canit Lucanus, illic ob oculos posita leguntur, aperto testimonio, et diligenter cognitam Goethium habuisse poesin Lucaneam, et inter reliquos Latii poetas Nostrum sine dubio praecipuo loco posuisse.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER PRIMUS.

SUMMARIUM.

Praefatur poeta argumentum. — 7. *Conqueritur de bello ipso.* — 32. *Alloquitur Neronem.* — 66. *De causis belli internis.* — 97. *Aemulatio inter Pompeium et Caesarem, mortuo Crasso.* — 157. *Luxuries Romana.* — 182. *Caesar Rubiconem transit, Ariminumque invadit.* — 230. *Queruntur incolae eius regionis, sese primos cuiusque belli sentire damna.* — 260. *Accedit Curio, Roma expulsus, ad Caesarem, eumque ad bellum hortatur.* — 291. *Caesar milites alloquitur.* — 351. *Dubiis militibus, Laelius item ad bellum hortatur.* — 385. *Adsentiunt milites.* — 391. *Ergo Caesar Romam petit. Enumerantur copiae.* — 465. *Fama maior vero Romae de eius adventu. Metus populi. Fugiunt senatores et cives, et ipse Pompeius.* — 522. *Prodigia visa enarrantur.* — 583. *Ea propter consulitur Tuscus vates Aruns. Lustratur urbs. Sacrificium fit infaustum. Mala praesagit Aruns.* — 638. *Item Figulus.* — 672. *Item matrona quaedam.*

Bella per Emathios plus quam civilia campos
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem

1. *Bella*, plurali numero pro singulari posito, ut *corpora* ponuntur pro corpore, et *ora* pro ore. — *per campos* i. e. q. in campis, uti II, 90. Marius *Nuda triumphati iacuit per regna Jugurthae.* Emathia proprie pars erat Macedoniae. Cf. Gell. 14, 6. Plin. 4. 10. Solin. 14. Poetae autem communi errore et Pharsalicam pugnam ad Philippos pugnatam referunt, duce Virg. Georg. I, 490. Cf. Nostr. in fine huius l. — *plus quam civilia*, maiora civilibus, ut v. c. illo, quod gestum erat inter Syllam et Marium; ideo quod integrae nationes externae in partibus erant, et quia Caesar contra ipsum imperium populumque Romanum bellum facere videbatur.

2. *ius datum sceleri.* Jus crebro est Lucano aliisque i. q.

In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies, et rupto foedere regni,
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas, infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
  Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium praebere cruorem?
Quumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu quantum terrae potuit pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextrae,
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis,
Et qua bruma, rigens ac nescia vere remitti,
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum!
Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes,
Et gens si qua iacet nascenti conscia Nilo.
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges quum miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod moenia tectis

Vs. 8. Quidam cum Cortio interrogandi signum post *ferri* ponunt, sequenti versu ad *placuit* constructione tracto. Falso. Nam adamat Lucanus hunc copulae usum, in plane diversis enunciatis. Eandem constructionem v. III, 300. similemque III, 450. 633. IV, 138. 199. 698. VI, 100.

13. Sic Arg. Ae. C. — Vulg. *pot. terrae pelagique.*

summa potestas, imperium, ius in cives, potestas magistratus alicujus. Cf. I, 267, 276. VII, 63. 265. *Scelus* est audacia in bello illo suscipiendo conspicua, deinde bellum civile ipsum, denique, ut h. l., intelligi possit is, qui bellum illud gessit, Caesar. Est igitur: ius imperii per bellum illud ad Caesarem translatum.

4. *rupto foedere regni;* regnum est dominatio vel unius vel plurium, velut triumvirorum, Caesaris, Pompeii, Crassi, aut, mortuo Crasso, Caesaris et Pompeii. Id ruptum, quum transiret Caesar Rubiconem. Sic IV, 27. *ruptis legibus.*

5. *certatum*, substanstive, pro: quod certatum est, uti vs. 70. *negatum* et 462. *ignavum.*

7. *pares aquilas*, i. e. ad certamen sibi invicem oppositas. Dictio ab re athletica deprompta. Cf. V, 3. VI, 3. Similiter Virg. Georg. I, 489. *paribus concurrere telis.*

9. *invisis*, i. e. infestis, ut v. 488. et II, 227. IV, 788. — *tropaeis*, de Crasso reportatis.

12. *nullos*, quia ex bello civili nullus decernebatur triumphus, libera republica. Cf. III, 73. VI, 260.

23. *Nondum.* Sensus: At nunquam habebis copiam in te manus vertendi; numquam enim hucusque hostis tibi defuit, nec deerit umquam.

Urbibus Italiae, lapsisque ingentia muris
Saxa iacent, nulloque domus custode tenentur,
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat,
Horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit: nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextrae.
Quodsi non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque aeterna parantur
Regna deis, coelumque suo servire tonanti
Non nisi saevorum potuit post bella Gigantum:
Jam nihil, o superi, querimur: scelera ipsa nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat, et Poeni saturentur sanguine manes;
Ultima funesta concurrant proelia Munda.
His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores
Accedant fatis; et quas premit aspera classes
Leucas; et ardenti servilia bella sub Aetna:
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est. Te, quum, statione peracta,
Astra petes serus, praelati regia coeli
Excipiet, gaudente polo, seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus,
Telluremque nihil mutato sole timentem

28. Arg. *Horridaque in dumis.*
31. Cort. *descendere.*

31. *erit*, sc. olim quaerenti, quis auctor fuerit. Al. l. *erat.* — *nulli ferro* sc. externi alicuius hostis; id quod saepe omittitur a poeta, ut v. 82. 93. III, 314. — *discindere*, sc. corpus Romani imperii. Alta illa vulnera civilis dextera ingessit, non hostis externus. Nam etsi invaserint exteri, non tamen everterunt libertatem Romanam. — *penitus*, ita ut vitam liberatemque tollerent. Cf. III, 701.

40. Ad Mundam, Hispaniae urbem, Pompeii liberi sunt victi, quorum Cnejus caesus, Sextus fuga elapsus, Pompeianorum caesa triginta millia. — *ultima proelia funesta Munda*, per hypallagen dictum pro: *funesta proelia apud ultimam Mundam*, h. e. in extrema Iberia sitam. Ea enim figura crebro noster utitur. Cf. II, 212. 270. III, 66. 161. IV, 554. IX, 656. V, 100. VI, 294. VII, 25. etc.

41. *Perusina fames;* Perusiam, Tusciae urbem, quo L. Antonius fugerat, Augustus per famem in deditionem coegit. *Mutinae*, ubi consules, Hirtius Pansaque, caesi.

43. *Leucas*, prope Actium. — *servilia bella*, non illud sub Spartaco, sed recentius sub Sexto Pompeio, qui servos contra Augustum concitaverat.

Igne vago lustrare iuvet: tibi numine ab omni
Cedetur, iurique tuo natura relinquet,
Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus aversi calidus qua vergitur Austri;
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Aetheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera coeli
Orbe tene medio: pars aetheris illa sereni
Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: Pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi iam numen: nec, si te pectore vates
Accipio, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
　Fert animus causas tantarum expromere rerum,
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum
Stare diu; nimioque graves sub pondere lapsus;
Nec se Roma ferens. Sic, quum, compage soluta,
Saecula tot mundi suprema coegerit hora,

51. Vulg. *iurisque tui*. Nostr. Arg. Ae. C.
54. *aversi*. Sic Ae. C. b. d. — Vulg. et Ar. *adversi*.
64. *accipio*. Sic Ar. et C. — Vulg. et Ae. *Accipiam*.

55. *obliquo sidere*, h. e. in pronum despectante, ut II. 412. *sol* dicitur *dies pronus*. Cf. IV, 774.

57. Si alterutram coeli partem presseris, axis ab illa parte nimium premetur. Ergo sede in medio. (Haec omnia autem primis Neronis annis scripta.)

58. Aliud hoc exemplum est hypallages, de qua v. supra ad v. 40. et not. crit. ad IX, 656. Nam adi. *sereni* proprie competebat voci *pars*, ut sensus esset: pars illa aetheris media, in qua te sedere cupio, serena (sit, et) tota vacet (h. e. vacua sit nubibus et pura) nec ullae obstent nubes ab illa parte, qua sedet Caesar. — Plane falso Cortius et Martyni Laguna existimarunt hic usurpatam dictionem *vacare alicui rei*, recepta lectione *sereno*. *Vacare sereno* nullus facile bonus poeta dixerit, quippe quod idem fere foret ac si dicas: *vacare vacuo*.

63. Tu mihi iam nunc numen es, quum nondum ad superos transieris.

64. *Cirrha*, oppidum Phocidis, prope Delphos. *Nysa*, Baccho sacra. Eius autem nominis decem floruisse urbes feruntur, in India, Arabia, aliis terris, una et in Helicone. Juv. 7, 64.

70. *negatum*, i. e. quod negatum est a fato iis rebus, quae ad summa pervenere, stare diuturnis. Sic supra: *certatum* vs. 5.

Antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis
Sidera sideribus concurrent: ignea pontum
Astra petent: tellus extendere litora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phoebe
Ibit, et, obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit foedera mundi.
In se magna ruunt: laetis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
Commodat in populum, terrae pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tu caussa malorum,
Facta tribus dominis communis, Roma, nec umquam
In turbam missi feralia foedera regni.
O male concordes nimiaque cupidine caeci,
Quid miscere iuvat vires, orbemque tenere
In medio? Dum terra fretum, terramque levabit
Aer, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem coelo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. Nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris

74. Sic. C. — Vulg. *repetens i. chaos; omn. m.*

76. *tellus extendere litora nolet, excutietque fretum*, h. e. tellus non amplius fines suos servabit, neque fretum arcebit a terris. Sic enim supplenda est negatio, more Lucaneo. Cf. II, 40. 355. 373. 409. etc. Quem usum quoniam non animum advertere, plerique interpretes, et Bentleius quoque, frustra fuere.

79. *indignata*, h. e. nolet bigis suis contenta esse iisque cursum absolvere obliquum suum.

82. Sensus: Nec tamen Fortuna, licet invida Romanis, ullis gentibus exteris commisit, ut everterent libertatem Romanam. Transit autem ad alteram caussam belli demonstrandam.

85. *nec unquam*. Construe: et foedera feralia regni in turbam missi (h. e. pluribus commissi paribus inter se), uti numquam antea factum erat. Nam antea aut respublica fuerat, aut imperium sub uno.

88. *orbemque*, sc. terrarum. *tenere in medio*, quasi rem de cuius possessu concertetur; tamquam ἆθλον aut λεΐαν. Male Cortius *in medium*.

89. *levabit*, i. e. sustinebit. Nam aëre sustinetur omnis terra. Ovidius: *circumfuso pendebat in aëre tellus* (I, 11.).

90. *Titana*, solem.

91. *totidem*, h. e. sex zodiaci signa, quia dies totidem occupat.

93. *gentibus ullis* sc. exteris credite, h. e. ab illis exempla petite. Cf. 31. *nulli ferro*.

94. *fatorum*, h. e. excidii; apud nos ipsos enim exstiterunt antiquitus exempla.

Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
Temporis angusti mansit concordia discors;
Paxque fuit non sponte ducum. Nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter, undas
Qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum; si terra recedat,
Jonium Aegaeo franget mare: sic, ubi, saeva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,
Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidae: bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum: populique potentis,
Quae mare, quae terras, quae totum continet orbem,
Non cepit fortuna duos. Nam pignora iuncti
Sanguinis, et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, saeva
Intercepta manu. Quodsi tibi fata dedissent
Maiores in luce moras, tu sola furentes

103. *franget*. Sic Ar. Ae. C. b. c. — Vulg. *frangat*.

97. *commisit* sc. in contentionem.

98. Concordia inter Caesarem et Pompeium exiguum duravit tempus.

102. Isthmus non patitur, mare geminum conferre fretum, h. e. undas suas. Cf. II, 578. Sic recte locus legitur.

103. *franget*, h. e. efficiet terra recedendo, ut Jonium mare frangatur Aegaeo, h. e. undas suas contra Aegaeum impellat, impugnetque Aegaeum. Sic *Boreas* V, 606. *suum mare in fluctus Cori frangit*. Cf. et VII, 154.

105. *Carrhas*, urbem Mesopotamiae, quo se receperat Crassus, et ad quam proelio fusus interfectusque est.

108. Arsacidae vocantur Parthi ab Arsace, imperii auctore. Cf. VIII, 218.

111. *Non cepit fortuna duos*. Nimis magni fuerunt illi duo, quam quibus posset sufficere tanta magnitudo imperii Romani, quin uterque eorum solus orbi imperare vellet.

112. Construe: Nam Julia, (Caesaris filia, Pompeio nupta) saeva Parcarum manu intercepta, abstulit secum ad manes pignora iuncti sanguinis, et taedas diro omine ferales. Julia autem mortua est prae terrore ex adspectu vestis Pompeii, cruore adspersae, quam ille domum miserat ex comitiis, in quibus interfectus fuerat Domitii quidam servus. Ibi examinata Julia abortum fecit, et brevi post una cum infante decessit. — *pignora*. Intelligi potest infans natus; sed melius ipsa ex coniugio cognatio. Cf. V, 473. — *taedae* sunt ipsum coniugium. Eae autem vocantur *ferales diro omine*, quia morte Juliae, quasi infelici quodam omine, et matrimonium illud solutum et pignus amoris ablatum erat, et hinc taedae illae ipsae, quatenus ad Manes ablatae, ferales fuere.

Inde virum poteras atque hinc retinere parentem,
Armatasque manus excusso iungere ferro,
Ut generos mediae soceris iunxere Sabinae.
Morte tua discussa fides, bellumque movere
Permissum ducibus. Stimulos dedit aemula virtus.
Tu, nova ne veteres obscurent facta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te iam series ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem,
Pompeiusve parem. Quis iustius induit arma,
Scire nefas: magno se iudice quisque tuetur:
Victrix caussa deis placuit, sed victa Catoni.
Nec coiere pares: alter, vergentibus annis
In senium, longoque togae tranquillior usu,
Dedidicit iam pace ducem; famaeque petitor,
Multa dare in vulgus; totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri:
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunae. Stat magni nominis umbra:
Qualis frugifero quercus sublimis in agro,
Exuvias veteres populi sacrataque gestans
Dona ducum, nec iam validis radicibus haerens,
Pondere fixa suo est; nudosque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram;
Et quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum silvae firmo se robore tollant,

118. Sic C. — Vulg. *soceris mediae*. — 120. Sic Ar. Ae. C. c. — Vulg. *Permissum est*. — 121. *facta*. Sic Ar. et c. — Ae. *fata*. — Vulg. et C. *acta*. — 141. Sic Ar. Ae. C. — Vulg. *At qu*.

121. *nova facta* sc. Caesaris. *veteres tr.* sc. tuos, Magne.

122. *piratica laurea*, quam reportarat Pomp., devictis piratis.

123. *te iam*, sc. o Caesar.

132. *multa dare* h. e. ludos exhibere populo, et largitiones. Sunt autem infinitivi historici. Sensus: Pompeius, utpote famam sibi conciliare quaerens, multa dabat in populum, totus impellebatur aura populari, gaudebat plausu sui theatri, nec curabat sibi novas vires comparare, sed priori credebat fortunae.

135. *Stat magni nominis umbra*, h. e. Pompeius stat h. e. durat, tamquam umbra magni nominis; quia Magnus vocatus est, ex quo salutatus hoc nomine est ab Syllano exercitu. Umbra autem vocatur quod iam desiit esse, ut libertatis umbra II, 303. Similiter et VIII, 449. de Ptolemaeo: *Quis nominis umbram Horreat?*

142. Supplenda copula; est enim asyndeton.

Sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus
Stare loco: solusque pudor, non vincere bello.
Acer et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,
Ferre manum, et numquam temerando parcere ferro:
Successus urgere suos, instare favori
Numinis: impellens, quidquid sibi, summa petenti,
Obstaret, gaudensque viam fecisse ruinâ.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsi sonitu mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua praestringens lumina flamma.
In sua templa furit: nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.
Hae ducibus caussae suberant: sed publica belli
Semina, quae populos semper mersere potentes.
Namque ut opes mundo nimias fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,
Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae:
Non auro tectisque modus: mensasque priores
Aspernata fames: cultus, gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares: foecunda virorum
Paupertas fugitur; totoque accersitur orbe,
Quo gens quaeque perit. Tum longos iungere fines

154. *praestringens.* Sic Ar. Ae. C. c. et Bentl. — Vulg. *praestringuens.* — 160. Vulg. *nimias mundo.* Nostr. C. — 167. Sic Ar. C. — Vulg. *Tunc.*

143. *Sed non* etc. Opponitur iam Pompeio Caesar, isque declaratur non tanti nominis fuisse, quanti ille, sed magnae cupidinis regni gloriaeque.

144. *virtus nescia stare loco* sc. erat in Caesare, nec ullus pudor, nisi non vincere.

147. Et hi quoque infinitivi sunt absoluti, ut supra vs. 131. — *temerando*, i. e. bello civili inquinando.

148. *urgere*, celeriter successibus suis uti.

149. *impellens*, h. e. evertens et removens omnia impedimenta et obstacula.

155. *In sua templa furit.* Templa fulminis sunt loca aut regna, in quibus oritur et quasi habitat et regnat fulmen. Intelligendae igitur nubes, aer. Fulmen in nubibus suis furit; et, quoniam nulla materia exitu prohibet, exit nubibus, et cadens (sc. in terram) et inde revertens magnam dat stragem. — De fulminis adventu et reditu vide Plin. Hist. N. XI, 55. Xen. Mem. 4, 3, 14. Senec. Epist. 57 fin.

164. *cultus;* videlicet multicia, vestes Sericas aliasque, quae vix foeminis indulgerentur, sumpsere viri.

165. *foecunda virorum*, quae procreavit viros fortes.

167. *Quo perit*, h. c. luxus,

Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde irae faciles; et, quod suasisset egestas,
Vile nefas; magnumque decus, ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua; mensuraque iuris
Vis erat: hinc leges et plebiscita coactae,
Et cum consulibus turbantes iura tribuni:
Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris
Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo:
Hinc usura vorax, avidumque in tempora foenus,
Et concussa fides, et multis utile bellum.
  Iam gelidas Caesar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci Patriae trepidantis imago
Clara per obscuram vultu moestissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Caesarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: *Quo tenditis ultra?*
Quo fertis mea signa, viri? Si iure venitis,
Si cives, huc usque licet. Tum perculit horror
Membra ducis; riguere comae, gressusque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: *O magnae qui moenia prospicis urbis*
Tarpeia de rupe, Tonans, Phrygiique penates
Gentis Juleae, et rapti secreta Quirini,

178. Sic. Ar. Ae. b. — Vulg. et C. *pretio fasces.*
181. Sic C. — Vulg. *in tempore.*

vitiorum materia, gentibus fatalis.

170. *ignotis*, quos ipsi domini fundorum numquam a facie norant, quia nimis longinqui.

173. Inde accidit, ut animi ad iram faciles essent, et ut contemnerent iam, tamquam vile nimis, nefas committere civile quasi et minoris momenti, ad quod ipsorum egestas eos aut aes alienum incitasset; potius patriam suam vi subigere, eum tandem grandem dignumque honorem esse existimarent.

178. *rapti fasces*, i. e. consulatus acquisitus. — *sector favoris*, favoris sui quasi auctionator.

194. et languor quidam, gressum coercens, vestigia eius retinuit in extrema ripa.

197. *secreta*, sacra mysteria Quirini in coelum rapti.

Sola tamen colitur. Sed non ... alba,
Nomen erat, nec fama ducis: ... instar
Stare loco: solusque pudor, n... armis
Acer et indomitus; quo spes ... ireque marique
Ferre manum, et numquam ... nunc quoque, miles.
Successus urgere suos, inst... ecerit hostem.
Numinis: impellens, quidqui... per amnem
Obstaret, gaudensque viam ... arvis
Qualiter expressum ventis ... hoste
Aetheris impulsi sonitu m... colligit iram;
Emicuit, rupitque diem ... verbere caudae
Terruit, obliqua praestri... murmur hiatu
In sua templa furit: ... Mauri
Materia, magnamque ... pectus,
Dat stragem late, spar... exit.
Hae ducibus caus... impellitur undis
Semina, quae populos ... canduit aestas:
Namque ut opes mun... Gallica certus
Intulit, et rebus ... arva colonis.
Praedaque et hosti... atque auxerat undas
Non auro tectis... Cynthia cornu,
Aspernata fam... Alpes.
Vix nuribus, ra... opponitur amnem,
Paupertas fugit ... cetera rumpit
Quo gens quae... fracti fluminis undas.
... gurgite, ripam
... et constitit arvis:
... temerataque iura relinquo;
... Procul hinc iam foedera sunto.

154. *praestrin*... *stringuens*. ... C. — Vulg. ... C. b. c. d. — Vulg. *movet*. — Vulg.

143. *Sed* ... iam Pompeio ... claratur ... se, quae ... pidinis ... C. d. ... *et vasto*. — Vulg. et Ae. *iubam et v*.

144 ... erat i... dor. ... Vulg. et C. *fracti faciles iam*.

147. ... sunt ... — ... inq... ... biconem ad finem Januarii. *Tertia Cynthia* est tertia nox ab interlunio, quod plerumque pluviam affert. Hinc luna pluviam portendens *gravida* vocatur. Cf. Val. Fl. XI, 56. Sensus: tertiam iam noctem pluerat.

220. Equites primi transierunt fluvium.

225. *temerata iura*, videlicet iniquitate inimicorum foedera rupta.

Credidimus fatis. Utendum est iudice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, et torto Balearis verbere fundae
Ocior, et missa Parthi post terga sagittâ;
Vicinumque minax invadit Ariminum. Ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto,
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur. Seu sponte deûm, seu turbidus Auster
Impulerit, moestam tenuerunt nubila lucem.
Constitit ut capto iussus deponere miles
Signa foro, stridor lituûm clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populi, stratisque excita iuventus
Diripuit sacris adfixa penatibus arma,
Quae pax longa dabat: nuda iam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigrae morsu rubiginis enses.
Ut notae fulsere aquilae Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Caesar,
Diriguere metu, gelidus pavor occupat artus,
Et tacito mutos volvunt in pectore questus:
O male vicinis haec moenia condita Gallis,
O tristi damnata loco! Pax alta per omnes
Et tranquilla quies populos: nos praeda furentum
Primaque castra sumus. Melius, Fortuna, dedisses
Orbe sub Eoo sedem gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque furentem

227. Ae. *vindice bello.*
231. *Ariminum. Ignes.* Sic Ar. — C. *et ignes.* — Vulg. *ut ignes.*
235. *Impulerit.* Sic. C. et Ae. — Vulg. *impulerat.*
240. *Diripuit.* Sic Ar. Ae. b. c. — Vulg. *Diripiunt.* C. *Deripuit.*
246. Sic Ar. b. c. d. — Vulg. *gelidos p. alligat a.*
247. *in pectore.* Sic Ar. Ae. b. c. d. — Vulg. C. *sub p.*

230. *post terga.* Parthi enim fugientes etiam, in insequentem hostem post terga sagittas emittebant.

231. *Ariminum* non elidendum, aut l. *Ariminon.* — Construe: Astra fugiebant ignes solis, excepto uno Lucifero, h. e. stella Veneris.

236. Cum miles staret in foro urbis occupatae Arimini, iussus signa deponere.

238. *non pia classica*, quippe ad bellum civile excitantia.

241. arripiunt clypeos, quorum iam tegumenta superinducta deleverat aetas, ita ut crates, e quibus constructi fuerant, nudatae dissolverentur. Cf. III, 485. — *Quae*, i. e. qualia erant, longa pace corrupta. Cf. IV, 201.

Et residens [illegible] *[illegible]mque furoris*
Vestalesque foci, [illegible] *lacessit*,
Roma, *fave coep*[illegible] [illegible] quisque latenti,
Persequor. [illegible] [illegible] nulla dolori
Caesar, *ubique* [illegible] [illegible]am bruma coercet,
Ille erit, *ille* [illegible] [illegible] murmure pontus,
Inde moras [illegible] [illegible] solverat umbras:
Signa tulit [illegible] [illegible] proelia menti
Aestifer[illegible] [illegible]que pudoris
Subsedit [illegible] [illegible]ortuna laborat
Mox ub[illegible] se [illegible] [illegible]venit armis.
Erexit[illegible] [illegible] tribunos
Infrem[illegible] [illegible] Gracchis.
Haere[illegible] [illegible] signa petentes
Per [illegible] [illegible] lingua:
[illegible] [illegible]temque tueri
Pu[illegible] [illegible] miscere potentes.
Pe[illegible] [illegible] pectore curas
Li[illegible] [illegible] *potuere iuvari*,
T[illegible] [illegible] *nolente senatu*,
T[illegible] [illegible] *cum mihi Rostra tenere*
[illegible] [illegible] *transferre Quirites.*
[illegible] [illegible] *siluere coactae*,
[illegible] *patimurque volentes*
[illegible] *victoria cives.*
[illegible] *robore partes*,
[illegible] *differre paratis.*
[illegible] *pretio maiore petuntur.*

[illegible] b. — Vulg. *iacet.* (Cf. III, 524. [illegible]
[illegible] b. c. d. — Vulg. et Ar. *faciat.*

[illegible] lu- [illegible] belli [illegible], et [illegible] iure [illegible] Nam [illegible] tribu- [illegible] urbe; [illegible] [illegible] tri- [illegible] [illegible], nisi [illegible] spreta [illegible] Cf. V, 700.

269. *venali lingua.* Antea eni[illegible] contra Caesarem steterat; s[illegible] levatus ab illo aere alieno, [illegible] eius partes transierat.

271. *potentes armatos plebi m[illegible] scere*, h. e. efficere ut potent[illegible] tiant quasi privati. Cf. V, 36[illegible] De re vide Caes. de bello Gal[illegible] 8, 52.

275. *traximus*, produximus ti[illegible] imperium in alterum quinque[illegible] nium.

276. *cum mihi ius erat*, h. cum mihi licuit.

282. Bellum es subiturus n[illegible] maioris laboris aut pericul[illegible]

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! Facili si proelia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia lauros.
Livor edax tibi cuncta negat: gentesque subactas
Vix impune feres. Socerum depellere regno
Decretum genero est. Partiri non potes orbem:
Solus habere potes. Sic postquam fatus, et ipsi
n bellum prono tantum tamen addidit irae,
Accenditque ducem, quantum clamore iuvatur
Eleus sonipes, quamvis iam carcere clauso
mmineat foribus, pronusque repagula laxet.
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos:
Utque satis trepidum, turba coeunte, tumultum
Composuit, vultu dextraque silentia iussit:
Bellorum o socii, qui, mille pericula Martis
Mecum, ait, *experti, decimo iam vincitis anno,*
Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque et mortes, hiemesque sub Alpibus actae?
Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Poenus transcenderit Alpes
Hannibal. Implentur valido tirone cohortes:
In classem cadit omne nemus: terraque marique
Iussus Caesar agi. Quid? si mihi signa iacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? Nunc, quum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, superique ad summa vocantes,
Tentamur. Veniat dux longa pace solutus,
Milite cum subito, partesque in bella togatae,
Marcellusque loquax, et nomina vana Catones.

290. *Decretum gen. est.* Sic C. b. — Vulg. et Ar. *Decr. est gen.*
304. *transcenderit.* Sic C. d. — Vulg. *transcenderet.*
305. *validae.* Sic C. b. — Vulg. Ar. *valido.*
311. Sic Ar. b. c. d. — V. et C. *longa dux.*

uam Gallicum fuit, at longe naioris praemii. Falso Cortius.

287. In triumphis Capitolium auris ornabatur, et triumphanes ipsi laureati ascendebant.

289. *vix impune feres,* vix tibi rit impune, te gentes subegise Gallos Britannosque.

305. *valido tirone,* ut II, 527. *robore.*

307. *Iussus Caesar agi,* contra Caesarem bellum ut fieret, decrevit senatus. — *iacerent,* si victus essem.

311. *Tentamur,* provocamur ad bellum.

312. *subito,* raptim collecto. — *partes togatae,* patres, paci quam bello aptiores.

313. *Marcellus,* consul cum

Scilicet extremi Pompeium emtique clientes
Continuo per tot sociabunt tempora regno?
Ille reget currus, nondum patientibus annis?
Ille semel raptos numquam dimittet honores?
Quid iam rura querar totum suppressa per orbem,
Ac iussam servire famem? Quis castra timenti
Nescit mixta foro? gladii quum triste minantes
Judicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
Bella nefanda parat, suetus civilibus armis,
Et docilis Sullam scelerum vicisse magistrum.
Utque ferae tigres numquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,
Altus caesorum pavit cruor armentorum;
Sic et Sullanum solito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, sitis. Nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

315. *sociabunt.* Sic Ar. Ae. — Vulg. *satiabunt.*
326. Vulg. *scelerum.* C. *sceleris.*

Lentulo, lingua magis quam armis strenuus.

314. *extremi*, ex remotissimis nationibus, quos sibi largitione fecerat obnoxios. Nam in Africa Hispaniaque prima ceperat incrementa. At haec, quae in his eloquitur Caesar, priora illa tempora respiciunt. Non cogitandum igitur de infimi generis clientibus, ut voluit Cortius. Lege Plutarchum Pomp. cap. XI, seqq.

315. *sociabunt*, h. e. efficient ut ille perpetuum gerat imperium? Lectionem frustra carpit Cortius. Cf. Virg. Aen. I, 600.

316. Illi licuit triumphare tum quum mondum attigisset annum aetatis trigesimum, videlicet de Hiarba, Numidarum rege.

318. *rura.* Quaedam legunt: *iura*, ut Aeolici et Farnabii ed. At reliquae *rura*, idque non ob sensum tantum, sed et ob sonum praestat. Nam *iam iura* vix scripserit Lucanus. Erat autem illo tempore, de quo loqui poeta, frumenti inopia et ann nae caritas; fautoresque Po peii, quo ei frumentariae rei a ministratio deferretur, frume tum compresserant, h. e. effec rant, ut ne adportaretur in u bem. Cf. Cic. ad Attic. IV, Dio. Cass. 39.

319. Pro *servire* Bentleius m lit *saevire.* Alii: *Ad iussam se vire famem.* Fames autem ius erat servire quasi Pompeio, qu eius ope factum est, ut ille r frumentariae praeponeretur. It que Clodius dictitabat ea occ sione: Non propter famem sc ptam esse legem (de Pompe eligendo), sed ut lex scriber tur, factam esse famem. — c *stra mixta foro*, nimirum cu causa Milonis ageretur, uti pat lo infra addit.

324. *ne lassum* etc. ne sen ctutem agat privatam et oti sam.

Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? Ex hoc te iam, improbe, regno
Ille tuus saltem doceat discedere Sulla.
Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis
Proelia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompeio dabitur provincia Caesar,
Quod non, victrices aquilas deponere iussus,
Paruerim? Mihi si merces erepta laborum est,
His saltem longi, non cum duce, praemia belli
Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur,
Quae noster veteranus aret? quae moenia fessis?
An melius fient piratae, Magne, coloni?
Tollite iampridem victricia, tollite signa:
Viribus utendum est, quas fecimus: arma tenenti
Omnia dat, qui iusta negat. Nec numina deerunt:
Nam nec praeda meis, neque regnum quaeritur armis:
Detrahimus dominos urbi servire paratae.
Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas patriique penates
Quamquam caede feras mentes animosque tumentes
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore
Ductorisque metu. Summi tunc munera pili
Laelius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem praemia quercum:
Si licet, exclamat, *Romani maxime rector*
Nominis, et ius est, veras expromere voces;
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?
Dum movet haec calidus spirantia corpora sanguis,

334. Sic C. — Vulg. *iam te.*
341. *Non cum duce.* Sic Ac. C. b. c. d. — Vulg. Ar. *non me duce.*
349. *deerunt.* Sic C. c. — Vulg. *desunt.*
360. *ius est.* Sic Ar. C. c. d. — Vulg. *fas est.*
363. *haec.* Sic C. Ac. b. c. d. — Vulg. Ar. *hic.*

335. *Sylla*, qui annos sexaginta natus dictatura se abdicavit, privatusque egit Puteolis.

336. *Cilicas*, piratas. — *lassi regis*, Mithridatis, iam senis.

337. *consummata*, finita. *barbarico*, i. e. in Ponto praecipue nascente. — *vix*; aegre enim venenis se interemerat Mithridates, ferrumque adsciscere coactus fuerat.

341. *his*, veteranis meis.

357. *Laelius* primipilus, seu centurio primus Triariorum, qui in acie pone Hastatos Principesque collocabantur. Is coronam quernam gerebat, ob civem servatum. De coronis v. Gell. 5, 6.

Dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumque senatus?
Usque adeo miserum est, civili vincere bello?
Duc age per Scythiae populos, per inhospita Syrtis
Litora, per calidas Libyae sitientis arenas.
Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compescuit undas:
Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum.
Iussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica, Caesar,
Audiero. Per signa decem felicia castris,
Perque tuos iuro quocumque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, iuguloque parentis
Condere me iubeas, plenaeque in viscera partu
Coniugis, invita peragam tamen omnia dextra;
Si spoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetae;
Castra super Tusci si ponere Tybridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscumque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam iusseris urbem,

[illegible] r. — 385. Ae. tolli penitus.

[illegible] ait, [illegible] h. e. extre-[illegible] Europae eram, [illegible] Britannia. [illegible] II. 294. *Alexander* [illegible] *ab orbe est.* [illegible] h. e. maris Ger-[illegible]

[illegible] pepulit, na-[illegible] *Arctoo vertice,* [illegible] h. e. Ger-[illegible] influentem [illegible] in Oceanum. [illegible] vocat hic [illegible] a quibus Caesar [illegible] licet illa [illegible] appellaren-[illegible] vera Rheni [illegible] continen-[illegible] relicta, [illegible] in eum [illegible]

[illegible] apud me, tua iussa exsequi, neque alia mihi est via salutis. Cogor velle, cogor etiam posse, h. e. omnia experiri, an possim.

373. Non cives meos esse Pompeianos ducam.

380. *castrensis flamma Monetae.* Veteres interpretes aedem aut statuam Junonis Monetae recte intelligebant, ut sensus esset: ignis e castris nostris incendet statuam Junonis Monetae. Alii tamen per minusculam *m* scribunt, ut sensus sit: deorum statuae rapientur, et in castrensi moneta (seu officina, ubi cuduntur nummi) conflabuntur et miscebuntur, ut inde pecunia fiat. Absurde. Nam in castris nulla cuditur moneta. Praeterea *miscere* est: frangere, dissipare, discindere, ut II, 188. *miscentur membra;* hic in universum: perdere statuam flammis.

Roma sit. His cunctae simul adsensere cohortes,
Elatasque alte, quaecumque ad bella vocaret,
Promisere manus. It tantus ad aethera clamor,
Quantus, piniferae Boreas quum Thracius Ossae
Rupibus incubuit, curvato robore pressae
Fit sonus, aut rursus redeuntis in aethera silvae.
Caesar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
Evocat, et Romam motis petit undique signis.
Deseruere cavo tentoria fixa Lemano,
Castraque, quae, Vogesi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Isarae, qui, gurgite ductus
Per tam multa suo, famae maioris in amnem
Lapsus, ad aequoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Finis et Hesperiae, promoto limite, Varus:
Quaque sub Herculeo sacratus numine portus
Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: solus sua litora turbat
Circius, et tuta prohibet statione Monoeci.

389. *piniferae*. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *piniferi*.
405. *numine* cum Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *nomine*.

388. *Promisere manus*, h. e. auxilium suum pollicitati sunt Caesari.

392. *acceptum*, gratum. *fataque ferre*, et quoniam videt, fata impellere ad bellum, fata velle ac iubere, ut bellum fiat. Sic Ovid. *Fert animus*.

396. Cohortes Romanae, a Caesare evocatae, deseruere tentoria ad Lemannum, deseruere castra ardua, quae, super curva rupe Vogesi montis, Lingonum populos cohibebant, h. e. reprimebant, ne quid molirentur.

399. *Hi*, i. e. alii, ab Isara accedebant, in Rhodanum influente.

400. *Per tam multa*, h. e. per satis longum spatium suo proprie gurgite ductus, h. e. nomen suum proprium servans. Possis supplere *vada*.

402. Rutheni praesidio Romano liberantur, Galliae Narb. populus.

403. *Atax*, fl. ad Cemenum montem, non ulterius habet naves Romanas.

404. Varus quoque gaudet, discedere Romanos, fluvius Alpinus Italiam a Narbonensi Gallia disterminans, promoto Italiae limite.

405. Portus Herculis Monoeci cum arce, in ora Liguriae.

406. *portus urget pelagus*, h. e. retundit undas maris rupe opposita, seu comprimit sub rupe cava quasi inclusas.

408. *prohibet* sc. nautas, quominus in portu Monoeci capere possint stationem.

Et dum pila valent fortes torq[illegible] [illegible]mque
Degenerem patiere togam, reg[illegible] [illegible]ngens
Usque adeo miserum est, civi[illegible] [illegible] infert.
Duc age per Scythiae populo[illegible] [illegible]ct,
Litora, per calidas Libyae si[illegible] [illegible] secundo
Haec manus, ut victum pos[illegible] [illegible] aeris;
Oceani tumidas remo compe[illegible] [illegible] undas,
Fregit et Arctoo spumant[illegible] [illegible]cat,
Jussa sequi tam posse mi[illegible] [illegible] mihi semper
Nec civis meus est, in qu[illegible] [illegible] meatus,
Audiero. Per signa dece[illegible] [illegible] Nemetis
Perque tuos iuro quocun[illegible] [illegible] curvo
Pectore si fratris gladiu[illegible] [illegible] aequor,
Condere me iubeas, ple[illegible] [illegible] hoste:
Coniugis, invita perag[illegible] [illegible] in armis:
Si spoliare deos, ignem[illegible] [illegible] lacerto,
Numina miscebit castr[illegible] [illegible] frenis:
Castra super Tusci si[illegible] [illegible]:
Hesperios audax ven[illegible] [illegible] fratres,
Tu quoscumque vole[illegible] [illegible] rebellis
His aries actus dispe[illegible] [illegible] Cottae:
Illa licet, penitus [illegible] [illegible], braccis,

370. Ae. *Oceani* [illegible] [illegible] *ducat.* Sic C. d. — V. [illegible] — *Nemetis.* Sic Ar. [illegible] Nemetes apud Ptolemaeum [illegible] V *Tarbellicus.* — 423. Ar. [illegible] Ar. Ae C b. c. — V. *Latio.*

369. *Haec manu*[illegible] δεικτικῶς. *orbe*[illegible] mam continentis [illegible] ultra quam sit[illegible] Similiter III, [illegible] *magno vinci se* [illegible]

370. *Oceani*[illegible] manici. [illegible]

371. *fregit*[illegible] vique persc[illegible] h. e. in ma[illegible] manico. *sp*[illegible] spumantib[illegible] *Rhenum.* [illegible] ostia Rh[illegible] Britanni[illegible] ostia al[illegible] tur. A[illegible] ostia. [illegible] te, qu[illegible] Brita[illegible] Ocea[illegible] influi[illegible]

37[illegible]

[illegible] *Tarbellicus* sc. Atur, ab [illegible] Tarbella. Aquitaniae.

[illegible] *in armis*, scutis [illegible] hastisque.

[illegible] etc. iaculandi pe[illegible] quod fit lacerto excusso, [illegible] nisu moto.

[illegible] Sequani equos regere pe[illegible]

[illegible] *fratres*. h. e. Arver[illegible] se Romanorum fratres [illegible] quia ortum duxe[illegible]

[illegible] sc. idem Nervius. [illegible] et Titurius cum suis [illegible] ab Nerviis sub Ambio[illegible] ut refert Caesar li[illegible]

[illegible] Sarmatae braccis e pel-

Vangiones: Batavique truces, quos aere recurvo
Stridentes acuere tubae: qua Cinga pererrat
Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim: qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:
[Pictones immunes subigunt sua rura; nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coërcent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus, iam placida Ligeris recreatur ab unda;
Inclyta Caesareis Genabos dissolvitur alis.]
Tu quoque laetatus converti proelia, Trevir:
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti praelate Comatae:
Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.
Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis aevum,
Plurima securi fudistis carmina, Bardi.
Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum, Druidae, positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos et coeli numina vobis,
Aut solis nescire datum. Nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbrae
Non tacitas Erebi sedes Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio: longae (canitis si cognita) vitae
Mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget, leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque capaces

436 — 440. desunt in b. c. d. ut et in Ar. Ae.

libus utebantur. Ov. Trist. III. Plin. 3, 4. Juv. 8, 234.

436. *immunes*, liberati praesidio Romano.

441. *converti proelia*, ex Gallia in Italiam transferri bellum.

442. Olim omnis Gallia erat comata. Dein Cisalpina, sumte Romanorum more, togata est appellata. Narbonensis autem provincia braccata dicta.

445. *Teutates*, Celtarum deus Mercurius, Aegyptiorum *Theut*. — *Hesus*, Mars. Uterque deus sanguine humano placabatur, Hesus captorum.

446. *Taranis ara*, h. e. ara Jovis Tonantis apud Celtas.

450. *sinistrum*, crudelem, immanem, litandi humanis hostiis.

452. Vos aut soli deos nostis, aut soli nescitis.

Quaque iacet litus dubium, quod terra fretumqu
Vindicat alternis vicibus, quum funditur ingen
Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens; an sidere mota secunde
Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat u
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera d
Quaerite, quos agitat mundi labor: at
Tu, quaecumque moves tam crebros
Ut superi voluere, late. Tunc rura
Qui tenet, et ripas Aturi, qua litor
Molliter admissum claudit Tarbelli
Signa movet, gaudetque amoto S
Et Biturix, longisque leves Sue
Optimus excusso Leucus Rhem
Optima gens flexis in gyrum S
Et docilis rector rostrati Belg
Arvernique ausi Latios se fi
Sanguine ab Iliaco populi;
Nervius, et caesi pollutus
Et qui te laxis imitantur,

409. *iacet*. Sic V. — C
tollat. — 419. Vulg. Ae.
Ae. et codd. — V. *Nem*
e brevi leguntur. — 42
Ae. d. *Saxones*. — 427.

409. Describitur Belga ... *mundi*,
gio. ... in anim
412. Non ait se inq ... acul
le in causas reciprocati ...
ris. Supple *An*. ...
413. *sidus secundum*, ...
416. *erigat*, ... Umbri
417. *quos agitat* ...
philosophi. physici. ... h. e.
418. *motus* ...
cantis. ... Cf. Sil.
419. ...
ra ... *fere*
remotus ...
buntur. ... plurib
Nemetes ...
que ... Gallis
ignotu...
falsum ... Helvetios.

…ne pavendo
…rum,
…nani

…ida relinquant,
…pectus, urgent
…erentia longa
…ut tecta nefandas
…atiente ruina,
…turba per urbem
…, velut unica rebus
…irios excedere muros,
…iis, quum turbidus Auster
…immensum Syrtibus aequor,
…eri sonuerunt pondera mali,
…ctus, deserta puppe, magister
…et, nondum sparsa compage carinae,
…am sibi quisque facit: sic, urbe relicta,
…m fugitur. Nullum iam languidus aevo
…it revocare parens, coniunxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares: nec limine quisquam
Haesit et extremo tunc forsitan urbis amatae
Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
O faciles dare summa deos, eademque tueri
Difficiles! Urbem, populis victisque frequentem

488. *exsiluere*. Sic C. d. — V. *exsiliere*.

484. *Romano spectante*, ita ut Romani ipsi non diriperent, sed solum spectarent.

488. *invisa belli decreta* sunt decreta odio plena, quibus Caesar hostis declaratus est, iussumque contra eum bellum fieri. Sic *invisus* pro *infesto* positum v. 9.

491. *urgent*, propellunt ad fugiendum ex urbe.

493. *agmina prorumpunt*, h. e. proceres ex urbe fugientes protrudunt agmina plebis longa serie haerentia in via Appia aut aliis viis, seque impedientia. Sic Virg. Aen. 3, 572. *Aetna atram prorumpit nubem.*

506. *dubiae* etc. quo vota diis facerent in dubia salute.

508. *extremo* etc. nec tunc demum, postquam haesit limine, abit, plenus urbis amatae visu, qui forsitan extremus erat. Notum Ovidii: *Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat. Saepe vale dicto, rursus sum multa locutus* etc. in elegia, cuius init. *Cum subit illius* etc.

510. *dare summa*, ad summum felicitatis fastigium efferre.

Mortis: et ignavum, rediturae pa[illegible]
Et vos, cirrigeros bellis arcere C[illegible] [illegible]m
Oppositi, petitis Romam, Rhenique [illegible]
Deseritis ripas, et apertum genti[illegible] [illegible] hoste
Caesar, ut immensae collect[illegible]
Audendi maiora fidem fecere, [illegible]
Spargitur Italiam, vicinaque [illegible]
Vana quoque ad veros acce[illegible]
Irrupitque animos populi, [illegible] Roma,
Intulit, et velox properan[illegible]
Innumeras solvit falsa in [illegible] pavorum:
Est, qui, tauriferis ubi [illegible] futuri
Explicat, audaces ruer[illegible] addita fati
Adferat, et, qua Nar [illegible]
Barbaricas saevi di[illegible] pontum.
Ipsum, omnes aqui[illegible]
Agmine non uno [illegible] volantes
Nec, qualem mem[illegible] timendi
Mentibus occurr[illegible] cometen.
Hunc inter Rhe[illegible] sereno,
Finibus Arctois [illegible] fermas:
Pone sequi. [illegible] lumine lampas
[illegible] ullis
[illegible] partibus ignem,
[illegible] minores,

463. [illegible]
462. c[illegible]
catur. [illegible] — V. murmure.
468. [illegible] Sulpicius int. portendere.
si, q[illegible] — 531. C. tenso. V. denso.
appe[illegible]
4[illegible]
Du[illegible]
Ch[illegible]
[illegible]

[illegible] similia, non antea visa, me[illegible], de quibus l. Seneca, Ari[illegible], Plinius.

528. [illegible] etc. Per tau[illegible] cometes describitur.

529. [illegible] regna, i. e. mi[illegible] terris imperia sub uno [illegible], quales fuere Sylla, [illegible], Pisistratus. Cf. II, 569. III. [illegible] 145. Sic autem recte [illegible] pro vulg. mutantem, quod [illegible] defendunt intt.

534. Arctois, quod rarius, et [illegible] malum portendens. Ple[illegible] enim Notus credebatur [illegible] fulminum fabricator. At [illegible] ingruebat Caesar.

535. [illegible] caput, eodem Je[illegible] — stellae in medi-

Per vacuum solitae noctis decurrere tempus,
In medium venere diem: cornuque coacto
Jam Phoebe toto fratrem quum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan quum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.
Ora ferox Siculae laxavit Mulciber Aetnae;
Nec tulit in coelum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. Atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. Flebile saevi
Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis; et ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. Tunc cardine tellus
Subsedit, veteremque, iugis nutantibus, Alpes
Discussere nivem. Tethys maioribus undis
Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.
Indigetes flevisse deos, urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem foedasse volucres
Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma.
Tunc pecudum faciles humana ad murmura linguae,
Monstrosique hominum partus numeroque modoque
Membrorum, matremque suus conterruit infans:

um *venere diem*, medio die apparuere; de quibus l. Herodian. I, 14.

537. *cornu coacto*, h. e. imminuto, contracto, premente eam terrae umbra, in eclipsi. — *fratrem* h. e. lucem solis.

545. Eruptio facta est montis Aetnae.

548. *torsit*, eructavit. — *sanguineum*, sanguinis colorem habentem.

549. *canes*, sc. Scyllae, quae pro cruribus habebat canes. — *raptus*, i. e. extinctus est.

550. et flamma in sacrificio, quod fiebat Jovi Latiali, nocturno, quae significabat, finitas esse Latinas.

552. *Thebanos rogos*, h. e. rogum quo combusti sunt fratres Polynices et Eteocles; ibi enim, quia in vita sibi infesti fuerant, flamma quoque in duo cacumina divisa est. Cf. Statius Theb. libro 12. — *Tunc cardine*. Tunc tellus hiatum aperuit. — *cardine*, h. e. axe seu centro suo.

553. *veteremque* etc. i. e. terrae motus factus in Helvetia.

558. *diras volucres*, striges, bubones, noctuas.

561. *pecudum faciles hum. ad m. linguae*. Boves locutae esse dicebantur, ut factum esse bello Punico et bello Macedonico ferebatur.

Diraque per populum Cumanae carmina vatis
Vulgantur. Tunc, quos sectis Bellona lacertis
Saeva movet, cecinere deos: crinemque rotantes
Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.
Compositis plenae gemuerunt ossibus urnae.
Tunc fragor armorum, magnaeque per avia voces
Auditae nemorum: et venientes comminus umbrae.
Quique colunt iunctos extremis moenibus agros,
Diffugiunt: ingens urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas: Thebanam qualis Agaven
Impulit, aut saevi contorsit tela Lycurgi
Eumenis: aut qualem iussu Iunonis iniquae
Horruit Alcides, viso iam Dite, Megaeram.
Insonuere tubae, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus umbris
Edidit. Et medio visi consurgere Campo
Tristia Sullani cecinere oracula manes:
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolae fracto Marium fugere sepulchro.
Haec propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates. Quorum qui maximus aevo
Aruns incoluit desertae moenia Lucae,

567. *sanguineum.* Sic Ar. Ae. quod Sulp. int. *cruentatum ex furore.* — V. *Sanguinei.*
579. *umbris.* Sic Ar. Ae. c. d. — V. *auris.*
586. Ar. b. c. d. *Lucae.* — C. *Lunae*, ut Ae.

565. *sectis lacertis.* Construe: Tum Bellonarii sacerdotes, quos Bellona saeva movet, quique, in furorem concitati, lacertos suos sibi secant, Bellonaeque proprio suo sanguine litant, cecinere deos iratos; Galli autem, rotantes crinem suum, capite quassato, tristia populis ulularunt. Non enim confundendi sunt utrique, ut factum ab interpretibus. De Bellonariis cf. Acron et Lactantius. — Crines *sanguinei* sunt: rubicundi coloris, nigri, fusci, dunkel. Cf. 548. 214.

568. Ex sepulcris auditus est ululatus.

570. *umbrae* sc. mortuorum, spectra.

571. Qui habitant ad extremum urbis pomerium, diffugiunt, conterriti ob adspectum Erinnys, urbem *cingentis*, i. e. circumeuntis.

573. *pronam*, ad terram versus conversam.

574. *stridentes*, quippe quae serpentes pro crinibus habebat.

577. *Alcides*, Hercules, qui, ab Inferis reversus, immissa a Iunone furia correptus uxorem suam et liberos interfecit.

580. Constructio: Et Syllani manes, medio Campo Martio visi, tristia cecinere oracula.

582. Rusticis visus Marius emicans a sepulcro.

586. *desertae moenia Lucae*, h. e. habitatoribus vacuae aut rarae. Luca, oppidum Etruriae. *Luna*, quam alii habent, itidem oppidum eius regionis. Atqui

Fulminis edoctus motus, venasque calentes
Fibrarum, et monitus volitantis in aere pennae,
Monstra iubet primum, nullo quae semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox iubet et totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, et festo purgantes moenia lustro,
Longa per extremos pomoeria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Minervam.
Tunc qui fata deûm secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellen:
Et doctus volucres augur servare sinistras:
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:
Et Salius, laeto portans ancilia collo:
Attollensque apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circueunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, et terrae moesto cum murmure condit,
Datque locis nomen sacris. Tunc admovet aris

589. Ar. c. Ae. *nullo quae.* — V. *quae nullo.*
600. C. *Cybeben.* — V. *Cybellen.* — Codd. *Cybelen.*
604. Ar. *Attollensque.* — V. *Et tollens.*

quoniam deserta vocatur, verosimilius est legendum esse *Lucae*, quia Lunae portus, ex Persio 6, 9. quoque notus, celeberrimus erat.

589. *nullo semine.* Grotius malit legi: *misto semine.* Verum est: *nullo*, quod aperte probat sequens: *sterili ex utero*, quae de mulae partu recte accipientur.

593. *ambiri*, iubet urbem lustrari circuitu ab civibus omnibus instituto.

596. *Turba minor*, sacerdotes minores, qui *pontificibus* opponuntur. — *ritu Gabino*, toga in tergum ita reiecta, ut eius lacinia revocata hominem cingeret. Ita enim succincti Gabii cum vicissent hostes, is deinde mos obtinuit.

598. *Minervam*, Palladium, ex urbe Troia Romam ab Aenea allatum.

599. *Qui facta deûm*, Quindecimviri libris Sibyllinis inspiciendis.

600. Cybeles status quotannis in Almone fluvio, qui in Tiberim influit, a sacerdotibus lavabatur. Cf. Ovid. Fast. IV, 337. Ceterum hunc versum quidam habent suspectum.

601. *sinistras*, auspicatas, laetas.

602. *Titii sodales*, Titii, sacerdotes Apollinis, qui titios, h. e. columbas agrestes, observabant. Cf. Varro de L. L.

606. *fulminis ignes*, fulgitra, aut res fulmine ictas.

607. *murmure*, cum certis exsecrationum formulis. — *terrae* pro *terrâ*, ut passim.

608. *nomen.* Locus enim ful-

Electa cervice marem. Jam fundere Bacchum
Ceperat, obliquoque molas inducere cultro:
Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent quum torva ministri,
Deposito victum praebebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns,
Atque iram superûm raptis quaesivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida taetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus adsperso variabat sanguine livor.
Cernit tabe iecur madidum: venasque minaces
Hostili de parte videt. Pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor iacet: et saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt: produntque suas omenta latebras.
Quodque (nefas) nullis impune apparuit extis,

mine percussus post peractum illic sacrum bidental vocatus est. (Cort. *numen*. Alii interpungunt ante *sacris*.)

609. *electa cervice marem*, taurum egregium.

610. *obliquo cultro*, h. e. quem ita manu tenebat, ut cuspis terram spectaret, ut *hastae obliquae* IV, 774. Possunt autem esse ablativi consequentiae, ut sit sensus: obliquum tenens cultrum, molas induxit, h. e. molis adspersit frontem victimae, et focum et cultrum. Possunt et dativi, ut molae uni cultro tamquam parti pro toto dicantur inductae esse. False Sulpicius obliquum cultrum de transverso et a cauda ad caput, antequam iugularetur victima, ducto accepit. Obliquus enim hic significat praecipitem, pronum, ut I, 55. 220, et alibi, item *rivus obliquus* apud Horatium: *obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo*. Alibi est i. q. transversus.

611. *Impatiensque diu*, h. e. et postquam victima diu reluctata erat, (eoque declaraverat, sacrum vel sibi vel diis non gratum esse,) deprimentibus eam ministris, illa demum poplite deposito collum praebebat.

617. *raptis*, i. e. statim extractis.

620. *livor*, virus nigrum. — *gelido cruore*, crasso, non fluido.

622. *hostili de parte*. Conf. Cic. de Divinat. II, 13. *Quomodo est collata inter ipsos, quae pars inimici, quae pars familiaris esset?* Ergo exta dividebantur quasi, ita ut altera pars v. c. Pompeii esset, altera Caesaris. Minabantur autem a parte Caesaris. Cf. Turneb. Advers. IX, 18. et XI, 27.

623. *Fibra latet*, intrinsecus replicata est, ut int. Sulp. — *parvus limes vitalia secat*. Limes est membrana, cor a iecore et pulmone (quae sunt partes vitales) dividens. Ea igitur iusto contractior fuit.

624. *iacet*, non movetur, non palpitat.

625. *omenta*. Ruptis omentis intestina apparuere.

Ecce, videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars aegra et marcida pendet,
Pars micat et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
Exclamat: *Vix fas*, *superi*, *quaecumque monetis*
Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi
Juppiter hoc sacrum: caesique in pectora tauri
Inferni venere dei. Non fanda timemus:
Sed venient maiora metu. Di visa secundent,
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages. Flexâ sic omina Tuscus
Involvens multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura deos secretaque coeli
Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis
Aequaret visu, numerisque moventibus astra,
Aut hic errat, ait, *nulla cum lege per aevum*
Mundus, *et incerto discurrunt sidera motu:*
Aut, *si fata movent*, *Urbi generique paratur*
Humano matura lues. Terraene dehiscent,
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aër
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, *o superi*, *qua peste paratis*
Saevitiam? Extremi multorum tempus in unum
Convenere dies. Summo si frigida coelo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,

633. *pectora*. Sic Ar. C. Ae. b. d. — V. *viscera*.
637. *flexa*. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *flexu*.
644. *urbi*. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *orbi*.

627. Intellige duplex fuisse in iecinore caput, quorum alterum, Caesarem significans, increverit alteri, Pompeium significanti.

632. *Neque enim.* Video, me non Jovi litasse, sed infernis quasi diis.

637. *Tages*, artis divinandi inventor apud Etruscos, de quo v. Cic. Divin. II, 23. Ovid. Met. XV, 558.

639. *Figulus*, Nigidius Figulus, Pythagoricus philosophus et astrologus, Ciceronis tempore, de quo v. Cic. in Timaeo; Gellium XVII, 7. et Suet. Aug. 94.

641. *numeris moventibus astra*, h. e. scientia astronomica.

645. *matura lues*, malum aliquod iamiam paratum nobis et imminens.

646. *tollet temperiem*, fiet intemperatus.

650. *extremi dies*, h. e. mortes, *multorum* sc. hominum, *in unum tempus convenere*, uno tempore accident.

651. Hoc vult: Non ab Saturno cum Aquario coniuncto, neque ab Sole Leonem premen-

Totaque diffuso latuisset in aequore tellus.
Si saevum radiis Nemeaeum, Phoebe, Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus aether.
Hi cessant ignes: tu, qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? Nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius haeret,
Et coelum Mars solus habet. Cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies: ferrique potestas
Confundet ius omne manu: scelerique nefando
Nomen erit virtus: multosque exibit in annos
Hic furor. Et superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista venit. Duc, Roma, malorum
Continuam seriem, cladesque in tempora multa
Extrahe, civili tantum iam libera bello.
Terruerant satis haec pavidam praesagia plebem:
Sed maiora premunt. Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo:
Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phoebum:
Quo feror, o Paean? Qua me super aethera raptam
Constituis terra? Video Pangaea nivosis

657. *tuis*. Sic C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *suis*.

te timendum nobis est, sed a Marte.

658. *Hi cessant ignes:* At ab his, Saturno aut Sole, nihil imminet. — *tu*, sc. Mars.

660. *mitis Juppiter*, placatus nobis, nihil mali portendens. — *premitur in alto occasu*, h. e. iam occidit, neque imminet. Pro *alto* al. l. *imo*.

662. *haeret*, retrogradus est, quum alias sit motu celer.

663. *signa meatus deseruere:* Cur reliqua signa obscura sunt, et solus Orionis ensis tam clare fulget?

670. *Cum domino*. Video tum demum nos pacem habituros esse, cum sub unius imperio omnia erunt; ut adeo optandum potius videatur longum bellum civile, cladesque in tempora multa extracta, quam pax, quoniam nonnisi in bello liberi erimus, at in pace oppressi.

675. *Edonis*, ex populo Edonorum Thraciae: Maenas. *Ogygio Lyaeo plena*, correpta furore Bacchi Thebani; ab Ogygo, Thebarum rege antiquo.

676. *matrona*, quam Oritiam vocatam scribit Sulpicius.

678. *super aethera*, in aerem quasi sublatam.

679. *Pangaea*. Pangaeus Thraciae mons in finibus Thessaliae.

Cana iugis, latosque Aemi sub rupe Philippos.
Quis furor hic, o Phoebe, doce: quo tela manusque
Romanae miscent acies, bellumque sine hoste est?
Quo diversa feror? Primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagei mutatur gurgite Nili.
Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
Qui iacet, agnosco: dubiam super aequora Syrtin
Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. Nunc desuper Alpis
Nubiferae colles, atque aeriam Pyrenen
Abripimur. Patriae sedes remeamus in urbis,
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
Rursus eo. Nova da mihi cernere litora Ponti,
Telluremque novam: vidi iam, Phoebe, Philippos.
Haec ait, et lasso iacuit defecta furore.

681. *quo tela.* Sic Ar. b. d. — V. *quae t.* ut Ae. — Cort. *quid.*

---

680. *Philippos.* Nimirum ad Philippos pugnasse Caesarem Pompeiumque, praeter Lucanum alii etiam credidere. Vide ad vs. 693.

682. *sine hoste* sc. externo.

683. *diversa,* in quam aliam porro terram. — *in ortus,* in terram Aegyptiam.

684. Qua Nilus. septem ostiis in mare lapsus, colorem eius et saporem mutat. *Lagei,* a Ptolemaeo Lagi filio sic vocati. Cf. VIII, 691.

685. *Hunc ego truncum,* Pompeii videlicet, occisi in Aegypto.

686. *aequora,* pro quo Bentleius malit *ardua.* Constructio est: *feror super aequora ad dubiam Syrtin,* ut statim: *Libyen.*

687. *Libyen,* quo se post pugnam Pharsaliam recipient Cato et filii Pompeii, ut exponit Lucanus lib. IX.

688. *desuper Alpes.* Designat expeditionem Caesaris in Hispaniam contra Pompeium fil. proeliumque ad Mundam factum.

690. *remeamus,* cum Caesare, ab Hispania reduce.

691. *Impia bella in senatu,* quum occisus est Caesar.

692. *iterum,* sub Augusto. Nam tum pugnatum cum Bruto et Cassio, cum Sex. Pompeio, denique cum Antonio et Cleopatra.

693. *Ponti.* Videtur Pontus Euxinus intelligendus, in quam regionem versus tamen Philippi cogitantur siti esse a poeta, in geographia non adeo anxio. Nam soli commemorantur Philippi, neque aliarum pugnarum maritimarum fit mentio. Quare non acceperim pontum de mari in universum, ut faciunt, qui minuscula *p* scribendum censent. Quodsi alias quoque pugnas voluisset innuere, non solos Philippos commemorare debuisset. At illud ipsum, ut nova sibi velit dari litora Ponti, novamque tellurem, eo ipso efficitur, quod iam pugnatum antea fuerit ad Philippos; non item ad Actium,

Totaque diffuso latuisset in aequore t...
Si saevum radiis Nemeaeum, Phoebe,
Nunc premeres, toto fluerent incendia
Succensusque tuis flagrasset curribus ...
Hi cessant ignes: tu, qui flagrante m...
Scorpion incendis cauda, chelasque pe...
Quid tantum, Gradive, paras? Nam ...
Juppiter occasu premitur, Venerisque ...
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius h...
Et coelum Mars solus habet. Cur sig...
Deseruere suos, mundoque obscura fer...
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies: ferrique pote...
Confundet ius omne manu: scelerique n...
Nomen erit virtus: multosque exibit in ...
Hic furor. Et superos quid prodest p...
Cum domino pax ista venit. Duc, Ro...
Continuam seriem, clademque in tempo...
Extrahe, civili tantum iam libera bello.
Terruerant satis haec pavidam praesagia
Sed maiora premunt. Nam qualis verti...
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo:
Talis et attonitam rapitur matrona per u...
Vocibus his prodens urgentem pectora ...
Quo feror, o Paean? Qua me super ...
Constituis terra? Video Pangaea nivo...

657. *tuis.* Sic C. Ar. Ae. b. c. d. — V. ...

te timendum nobis est, sed a Marte.

658. *Hi cessant ignes:* At ab his, Saturno aut Sole, nihil imminet. — *tu*, sc. Mars.

660. *mitis Juppiter*, placatus nobis, nihil mali portendens. — *premitur in alto occasu*, h. e. iam occidit, neque imminet. Pro *alto* al. l. *imo*.

662. *haeret*, retrogradus est, quum alias sit motu celer.

663. *signa meatus deseruere:* Cur reliqua signa obscura sunt, et solus Orionis ensis tam clare fulget?

670. *Cum domino.* Video tum demum nos pacem habituros esse, cum omnia erunt ... potius video ... civile, ... multa extra... niam nonnis... mus, at in...

675. *Edon...* norum Thra... gio *Lyaeo* p... re Bacchi T... Thebarum r...

676. *matro...* vocatam scri...

678. *super* quasi sublat...

679. *Pang...* eiae mons in

Vultusque exanimes, oculosque in morte natantes,
Necdum est ille dolor, sed iam metus: incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit: moestaeque tenent delubra catervae.
Hae lacrymis sparsere deos, hae pectora duro
Adfixere solo, lacerasque in limine sacro
Attonitae fudere comas, votisque vocari
Adsuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctae summi templo iacuere Tonantis:
Divisere deos, et nullis defuit aris
Invidiam factura parens: quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
Nunc, ait, *o miserae contundite pectora matres*,
Nunc laniate comas, *neve hunc differte dolorem*,
Et summis servate malis: nunc flere potestas,
Dum pendet fortuna ducum: quum vicerit alter,
Gaudendum est. His se stimulis dolor ipse lacessit.
  Nec non bella viri diversaque castra petentes
Effundunt iustas in numina saeva querelas:
O miserae sortis, *quod non in Punica nati*
Tempora, *Cannarum fuimus Trebiaeque iuventus.*
Non pacem petimus, *superi: date gentibus iras:*

26. *natantes.* Sic C. — Ar. Ae. b. c. d. *minaces.* — V. *iacentes.*
31. *Affixere.* Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. C. *Afflixere.*

27. Micyllus suspicatus est, legendum esse: *Necdum est ille metus*, *sed iam dolor.* Sed potest dolor esse dolor de morbo ingravescente, metus autem de certo iam mortis metu. — *incubat*, superinstat filio.

28. *miraturque malum*, stupefacta querelis planctibusque dat locum. In his autem finitur comparatio.

33. *aures*, videlicet deorum.

35. *Divisere deos.* Aliae aliis diis supplicavere, invidiam iis facturae, nisi bene res verterent, aut: mala exprobraturae, ut et viri faciunt vs. 44.

36. *parens* pro: matrona, ut vs. 64 pro senibus.

37. *planctu*, matrona atra liventes habebat lacertos prae planctu.

38. *Nunc*, sc. quum nondum conclamatum est, quum discrimen adhuc haeret, quum nondum depugnatum est.

40. *et summis*, supplenda est negatio, ut copula sit pro *neque;* quam figuram adamat noster. Sic I, 76., et infra vs. 235. et alibi. Errat igitur Bentleius, pro *Et* scribi iubens *Nec.* Quod autem Bersmanni codex habuit, *Nec*, ex emendatione praepropera ortum.

42. *Gaudendum est*, sc. coactis.

45. *O miserae sortis*, o utinam potius in Punica nati essemus tempora, utinam fuissemus viri ad Trebiam pugnantes. Tum enim adversus hostem externum res gerebatur.

47. *gentibus*, sc. externis, contra Romanum imperium.

Nunc urbes excite feras: coniuret in armis
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massageten Scythicus non alliget Ister:
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, et indomitum Rheni caput: omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum.
Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
Alter, ad Eoas hic vertat signa pharetras:
Nulla vacet tibi, Roma, manus. Vel perdere nomen
Si placet Hesperium, superi, collapsus in ignem
Plurimus ad terram per fulmina decidat aether.
Saeve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. Tantone novorum
Proventu scelerum quaerunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat, civilia bella movere,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas
Egerit. At miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectae,
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
  Atque aliquis, magno quaerens exempla timori,
Non alios, inquit, *motus tunc fata parabant,*
Quum post Teutonicos victor Libycosque triumphos
Exsul limosa Marius caput abdidit ulva.
Stagna udi texere soli laxaeque paludes

50. *Massageten.* Sic C. Ae. b. c. d. — V. *Massagetas.*
57. *ignem.* Sic Ar. — V. *ignes.*
62. *movere.* Sic Ar. C. Ae. b. c. — V. *moveri.*
71. Vulg. *avidi tex. s.* quod Sulp. int. *bibuli*, ut *laxae*, quae non fluunt. (Cf. II, 618.) Cortius contra metrum dedit: *Stagna avidi.* Leg. *udi*, quod occurrit et III, 85.

49. *Achaemeniis*, ab Achaemene, Persiae rege, a quo descendit Cyrus.

50. *non alliget*, non retineat, hac demittat.

52. *indomitum Rheni caput*, h. e. fontes Rheni, ubi Rhaeti, quos *coercuit Augustus*, *non domuit*, ut habet Suet.

55. *alter — hic*, Caesar — Pompeius.

56. *Nulla* etc. nemo ita liber sit hoste externo, ut manus suas in te, Roma, vertat.

62. Vix probandum foret bellum civile, si ab senatu contra utrumque gereretur, ne imperarent.

64. *parentes*, h. e. senes, ut vs. 86.

65. *oderuntque*, et accusant senectutem suam, quod ad haec usque tempora vixerint.

66. *iterum;* primum enim civile bellum erat inter Syllam et Marium.

67. *magno quaerens exempla timori*, repetit prioris belli civilis exempla, quibus, quae et qualia timenda sint, ob oculos ponat.

71. *Stagna*, apud Minturnum. — *udi*, humidi. Cf. III, 85. Val-

Depositum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere paedor.
Consul et eversa felix moriturus in Urbe
Poenas ante dabat scelerum. Mors ipsa refugit
Saepe virum, frustraque hosti concessa potestas
Sanguinis invisi: primo qui caedis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit.
Viderat immensum tenebroso in carcere lumen
Terribilesque deas scelerum, Mariumque futurum,
Audieratque pavens: Fas haec contingere non est
Colla tibi: *debet multas hic legibus aevi,*
Ante suam, mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletae funera gentis,
Hunc, Cimbri, servate senem. Non ille favore
Numinis, ingenti superûm protectus ab ira,
Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. Idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
Nuda triumphati iacuit per regna Jugurthae,
Et Poenos pressit cineres. Solatia fati

76. *hosti concessa.* Sic Ae. C. b. c. d. — V. *h. est conc.*
79. Sic C. — V. *immensam — lucem.*
80. *deas.* Sic C. — V. *deos.*
81. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *Non haec c. fas est.*

gata l. *avidi*, quod interpretantur: bibuli. — *Laxus* est amplus, latus, spatiosus.

72. *depositum* i. reservatum. — *vincula;* nam deprehensus in istis paludibus, in vincula coniectus est.

74. Construe: Nam felix moriturus et septimum consul, poenas scelerum ante dabat.

75. *Mors ipsa refugit*, veluti quum Cimber ad eum intromissus necandi causa, territus eius oculorum lumine fugit. Quo facto, Minturnenses eum liberatum amisere. Rem vide apud Val. Max. 11, 10, 6. Paterc. 11, 19. Appian. 1, 61. Plut. Mar. 39.

79. Cimber iste viderat ignem ex Marii oculis emicantem.

80. *deas*, furias. — *Mariumque futurum*, emphatice, quasi apparuisset illi talis visu, qualis futurus erat.

82. *leges aevi* sunt fata. Hic, sc. Marius, fato destinatus est ad multos cives interimendos, antequam ipse moriatur.

83. *vanum.* Noli tibi tantum, Cimber, arrogare, ut Marium interimas.

85. Illum non ideo servarunt dii, quod ei faverent, sed quod Romae irascerentur.

88. *Idem pel.* Marius, a Minturnensibus servatus, scapha in Africam devenit, de qua ex bello Jugurthino olim triumphaverat.

90. *Nuda* etc. nuda humo iacuit in regno olim Jugurthae parente.

91. *Solatia* etc. Marius solatio esse poterat Carthagini, Carthagoque Mario, ob vicissitudines rerum humanarum.

Carthago Mariusque tulit: pariterque iacentes
Ignovere deis. Libycas ibi colligit iras.
Ut primum fortuna redit, servilia solvit
Agmina: conflato saevas ergastula ferro
Exeruere manus. Nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum iam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas. Pro fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor
Corripuit! quantoque gradu mors saeva cucurrit!
Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur
Ensis, et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis: multaque rubentia caede
Lubrica saxa madent. Nulli sua profuit aetas.
Non senis extremum piguit vergentibus annis
Praecipitasse diem: nec primo in limine vitae
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi caedem potuere mereri?
Sed satis est iam, posse mori. Trahit ipse furoris
Impetus: et, visum lenti, quaesisse nocentem.
In numerum pars magna perit: rapuitque cruentus
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. Spes una salutis,
Oscula pollutae fixisse trementia dextrae.
Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,
Degener o populus, vix saecula longa decorum

93. *Libycas iras.* Comparatur Marius Antaeo, de quo v. IV, 595., simul autem serpentibus in Africa crebris, qui ex terra novas iras colligunt. *Ira* autem est pugnandi cupido et ardor. Cf. 324. 527. III, 614. IV, 267.

94. *Ut primum fortuna redit*, per Cinnam, qui profugus Roma, exercitu servisque collectis, Marium ex Africa revocavit. Quo facto Cinna, Marius, Carbo, urbem ingressi, in inimicos suos desaevierunt.

97. *Signa ducis*, signa Mariana.

109. *posse mori*, h. e. accepisse animam, quam amitterent.

110. *lenti*, videbatur esse lenti segnisque militis (sc. factum aut res), si quis discrimen faceret inter nocentes et innocentes.

111. *In numerum*, nullo discrimine, non nisi numero. — *et cruentus* miles Marianus etiam ignoto caput abscidit, ne vacua manu incederet, caput quasi tropaeum gerens.

113. *Spes una salutis.* Dederat suis signum Marius, ut, quos ipse non resalutasset aut quibus manum non osculandam praebuisset, omnes interficerentur.

114. *dextrae*, sc. Marii.

115. *nova signa mortis*, h. e. Marium dantem signa caedis, antehac inaudita.

116. *vix saecula* etc. vix tamen decorum erat viris, tali osculo vel longissimam vitam sibi meruisse, nedum tam bre-

Sic meruisse viris, nedum breve dedecus aevi,
Et vitam, dum Sulla redit. Cui funera vulgi
Flere vacet? Vix te sparsum per viscera, Baebi,
Innumeras intercarpentis membra coronae
Discerpsisse manus: aut te, praesage malorum
Antoni, cuius laceris pendentia canis
Ora ferens miles festae rorantia mensae
Imposuit. Truncos laceravit Fimbria Crassos.
Saeva Tribunicio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectum violatae, Scaevola, dextrae
Ante ipsum penetrale deae semperque calentes
Mactavere focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit iugulo, flammisque pepercit.

121. *Discerpsisse.* Sic Ar. Ae. b. d. — V. C. *Discessisse.*
126. Sic Ar. Ae. V. et codd., et Sulp. int. *neglectum*, te spretum, quum ob pontificatum venerari te debuissent; *violatae dextrae* eidem sunt cruentatae, ut alibi *temerandum ferrum*. Sed Cort. *neglectu v., Sc., Vestae*, ut in quibusdam codd. legi dicitur.

vis vitae dedecus, quae tamen amittenda esset, Sylla in urbem redeunte.

119. *Vix* sc. mihi vacat flere, te, o Baebi, discerptum esse manibus coronae h. e. gregis militum, visceratim membra tua intercarpentis. Cf. 173.

122. *M. Antonius* orator praedixerat Metello, nisi exercitum adduceret, populum Romanum, qualia Gallorum tempore, esse passurum. Is Antonius oratione adeo demulciverat milites Marianos ad eum occidendum missos, ut nollent ei manus inferre, quum ab irrumpente ad eum tribuno interfectus est, caputque ad Marium coenantem allatum, et ab eo, in mensa positum, diu magno cum gaudio contrectatum, deinde ad Rostra affixum. Cf. Val. Max. 9, 2, et Cic. de Or. III.

123. *Ora*, h. e. caput. Cf. vs. 170. Nam *os* antiquitus totum etiam caput notabat. Virg. *Os humerosque deo similis.* Sic et in Plauto Capt. 4, 2, 14. Curc. 2, 3, 8. Mil. 2, 2, 56.

124. *Fimbria*, efferus Marii miles, Crassos, patrem et filium in mutuo alterum alterius adspectu interemit. Flor. III, 21.

125. *robora* de carcere intellige, plurali pro singulari posito. Nihili enim Bentleii mutatio aut interpretatio. Cf. Liv. 38, 59. Lucr. 3, 1030. Val. Max. 6, 3, 1. In carcere autem interfectus est Licinius Tribunus.

126. *Scaevola*, pontifex maximus. — *neglectum violatae dextrae.* Bentleius maluit: *neglecto violatae, Sc., Vestae*, quod habet Cortius et probat Clercquius, ideo quod Scaevola non a patre sed a filio Mario interfectus sit. Sed aliam traditionem hic sequi Lucanum, ex versu 130 clare apparet. Ergo *neglectus violatae dextrae* est: quem Marius non passus fuerat sibi manus osculari, ut legitur signum dedisse supra vs. 114. *Violatae dextrae* dativus est, ut sit: *qui neglectus fueras* a scelerata Marii dextra. — Ad *mactavere* suppl. *milites.* — Vestae aram fuisse, facile ex adiunctis intelligitur.

128. *parvum etc.* Sensus: Et paene extinctus esset ignis sacer sanguine Scaevolae. Sed

Septimus haec sequitur, repetitis fascibus, annus:
Ille fuit vitae Mario modus, omnia passo,
Quae peior fortuna potest, atque omnibus uso,
Quae melior: mensoque, homini quid fata pararent.
Jam, quot apud Sacri cecidere cadavera portum,
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,
Tunc quum paene caput mundi rerumque potestas
Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas!
Sulla quoque immensis accessit cladibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi
Hausit: dumque nimis iam putria membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere, manus. Periere nocentes;
Sed quum iam soli possent superesse nocentes.
Tum data libertas odiis, resolutaque legum
Frenis ira ruit. Non uni cuncta dabantur,

141. C. d. *putria.* — V. *putrida.*

quoniam in corpore senili parum fuerat sanguinis, non exstinxit flammas.

130. *Septimus annus* est pro septimo consulatu, quamquam inter sextum atque septimum intercesserint 13 anni. Mortuus autem est Marius primo anni mense.

132. *potest*, i. e. valet, sc. tribuere homini.

133. *menso*, i. experto, quid fata pararent homini.

134. Mario mortuo, Cinnaque occiso, Sylla rediit ex bello Mithridatico, fusisque consulibus Norbano et Scipione, et victis altero proelio Mario filio et Carbone ad Sacriportum, urbem ingressus est.

135. *porta Collina*, ad quam Sylla magna strage fudit Samnitium duces, qui ad liberandum obsidio Marium advenerant, Lamponium Telesinumque.

137. *translata.* Marius enim fil. sedem Romani imperii ad Samnites translaturum se promiserat, si illi suas adiuverint partes.

139. *cladibus*, quas Marius fecerat.

141. *dumque* etc. cum adversariis et seditiosis optimos cives tollit, velut acrior iusto chirurgus, qui membra sincera et sana cum putridis et corruptis excidit.

142. *manus nimium secuta est*, medici manus altius secuit, quam oporteret.

144. *superesse*, h. e. quum iam nulli alii viverent, quam nocentes, quia omnes Marii beneficio superstites erant, et ideo nocentes iudicabantur a Sullanis.

146. *non uni.* Non in unius Syllae gratiam cuncta fiebant maleficia, sed quisque peculiarem suam iram aut libidinem secutus in cives saeviit. Magna autem praemia percussoribus proposita erant. Potest tamen etiam hic sensus esse: Non unius criminis causa omnes poenae sumebantur, sed quisque Syllanorum sibi peculiare fingebat crimen, quare occideret inimicos.

Sed fecit sibi quisque nefas. Semel omnia victor
Jusserat. Infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine. Certatum est, cui cervix caesa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt praemia fratres.
Busta repleta fuga, permixtaque viva sepultis
Corpora: nec populum latebrae cepere ferarum.
Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit:
Hic, se praecipiti iaculatus pondere, dura
Dissiluit percussus humo; mortesque cruento
Victori rapuere suas: hic robora busti
Exstruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, et, dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per Urbem,
Et medio congesta foro. Cognoscitur illic,
Quidquid ubique iacet scelerum. Non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni;
Postibus Antaei Libye: nec Graecia moerens
Tot laceros artus Pisaea flevit in aula.
Quum iam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini, caesi deformia fratris
Ora rogo cupidum vetitisque imponere flammis,

162. *iacet.* Sic Ar. C. b. c. d. — V. *latet.*

147. *Semel.* Victor Sylla quum semel caedem fieri iusserat, omnibus facinoribus faciendis licentiam statuerat. Al. l. *Simul.*

150. *certatum est* sc. inter fratres, occiso patre, quis eius facinoris praemium acciperet. Ita locum si interpreteris, non opus Bentleii coniectura.

152. *Busta* etc. Latebras quaerebant in sepulcris et lustris ferarum.

156. Alii *dissiluit*, alii *desiluit* legunt. Posterius cdd. Lips. c. d. cum Argentina.

157. *rapuere*, ipsi se interfecere, ne a militibus interficerentur.

161. *Cognoscitur illic.* Ex acervo capitum in foro congestorum apparuit, quae qualesque et quam nefariae factae essent caedes, nimirum similes pessimis, quae usquam per terras perpetratae sunt.

162. *Jacet.* Vide VIII, 102. Est i. q. versatur.

163. *Bistonii.* Bistonis Thraciae civitas, ubi Diomedes equos suos humanis carnibus pavit, capitaque postibus affixit. — Similia fecit Antaeus, de quo v. libro IV. 595, sqq.

165. *Pisaea*, regia Oenomai, qui procos filiae victos a se in certamine interfecit.

167. *notas*, quibus agnosci possent a suis.

170. *ora*, h. e. caput. — *cupidum*, dum cupiebam caput fratris caesi rogo imponere.

Omnia Sullanae lustrasse cadavera pacis,
Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quaesisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? quum victima tristes
Inferias Marius forsan nolentibus umbris
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Quum laceros artus, aequataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore caeso
Nil animae letale datum, moremque nefandae
Dirum saevitiae, pereuntis parcere morti.
Avulsae cecidere manus, exsectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aëra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncae
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effundit spectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides, tam saevi criminis unum
Tot poenas cepisse caput. Sic mole ruinae
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad litora trunci,
Qui medio periere freto. Quid perdere fructum

174. *cum victima.* Sic Ar. Ac. C. b. d. — V. *cui v.*
185. *effundit.* Sic C. — V. *effodit.*

171. *Sullanae pacis cad.* h. e. cadavera eorum, qui post victoriam Sullae, quum iam pax esse debebat, caesi fuerant. Sic enim accipienda est ironia, nec mutandum *pacis* in *cladis*, uti Clercquius van Jever statuit.

173. *Quid manes Catuli.* Catulus, Marii olim in Cimbrico bello collega, post, ne a Marianis interficeretur, ipse sibi mortem intulerat. In cuius ultionem iam Catuli filius filius Marii fratrem ab Sylla caedendum sibi expetivit; eumque apud Catuli sepulcrum crudelissime interfecit.

175. *umbris* sc. prioris Catuli.

176. *inexpleto* pro: *inexplebili*, h. e. quasi nullis piaculis bustum fratris Catuli expleri posset. — *non fanda*, ut saepe, pro infandis.

177. *aequataque*, h. e. quot membra, tot vulnera.

179. *Nil animae letale datum*, nullum tamen mortiferum vulnus illatum, quo diutius cruciaretur.

184. *orbes*, oculos.

186. *Vix erit* etc. vix quisquam credet. *criminis*, interemti olim Catuli. Cortius tamen *criminis* ad *fidem* trahit, ut crimen sit Catuli. Tum vero in seqq. de eodem Catulo potius ulciscente, quam de Mario passo deberet sermo esse. Saevum autem Marii crimen non ad unam Catuli mortem est referendum. *unum caput*, Marii fratris.

187. *cepisse*, valuisse tot poenis patiendis sufficere.

188. *miscentur*, sic cadavera truncantur aedificio ruente.

189. Sic deformati naufragorum trunci ad litus adferuntur.

190. *fructum*, h. e. voluptatem Syllae, ex adspectu capitis Marii.

Juvit, et, ut vilem, Marii confundere vultum?
Ut scelus hoc Sullae caedesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Praenestina suos cunctos simul ense recisos,
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Hesperiae, Latii iam sola iuventus,
Concidit, et miserae maculavit ovilia Romae.
Tot simul infesto iuvenes occumbere leto,
Saepe fames, pelagique furor, subitaeque ruinae,
Aut coeli terraeque lues, aut bellica clades,
Numquam poena fuit. Densi vix agmina vulgi
Inter et exsangues, immissa morte, catervas
Victores movere manus. Vix caede peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice: sed illos
Magna premit strages: peraguntque cadavera partem
Caedis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi
Non piguit iussisse mori. Congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Sullana cadavera gurges.
In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
Praecipites haesere rates, et strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in aequor.

194. Ae. *ense receptos* cum b. c. d.

191. *ut vilem*, ut vulgarem.

193. Marius filius Praeneste confugerat, ibique obsessus se ipsum interemerat. Oppido recepto ab Lucretio senatores, qui a Marii partibus steterant, interfecti. Sed et partem civium Sylla adveniens, quamquam non omnes, trucidari iussit.

195. *unius tempore mortis*, momento quasi unius mortis, uno ictu iusso.

196. *Tunc* etc. h. e. postea quatuor legiones Marianae, in his Samnites, in Campo caesae.

197. *Ovilia* vocabantur septa in Campo Martio, quibus includebantur centuriae ad suffragia danda.

199. *Saepe fames* aut aliud publicum malum aut bellum aliquod similes clades attulerat, nunquam punitio.

201. *Densi vix* etc. Vix percussoribus prae multitudine caesorum caedendorumque superabat spatium locusque sese movendi.

204. *procumbunt* sc. caesi, in terram prolabuntur. — *sed illos*, sc. caesos, qui dubia adhuc cervice lababant.

206. *caedis*, h. e. mortui suo pondere vivos necabant. — *elidunt*, perimunt, suffocant, ut vs. 154.

208. *Spectator*, Sulla.

209. *Congesta*. Cadavera omnia in Tiberim sunt coniecta, et eo in Tyrrhenum mare delata.

212. *rates praecipites*, naves secundo flumine versus mare vectae. (Immerito autem versum damnavit Bentleius.)

213. *Interruptus aquis* dictum puto pro *interruptis aquis* per

Ad molem stetit unda sequens, dum sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Praecipitique ruens Tiberina ad flumina rivo
Haerentes adiuvit aquas: nec iam alveus amnem,
Nec retinent ripae, redditque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine caeruleum torrenti dividit aequor.
Hisne Salus rerum, Felix his Sulla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Haec rursus patienda manent: hoc ordine belli
Ibitur: hic stabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multumque coitur
Humani generis maiore in praelia damno.
Exsulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Sullae
Praestitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas, olimque potentes
Concurrunt. Neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sulla fuit. Sic moesta senectus
Praeteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percussit pectora Bruti

214. Vulg. *Nam sanguinis.* Ar. *iam sang.* C. *dum s.* al. *cum.*
218. *redditque.* Sic Ar. C. — V. *redeuntque.* Al. *redduntque.*
225. *multumque.* Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. *multoque.*

transpositionem adiectivi, de qua v. I, 40. et 58. Simile v. V, 406. ubi *menstruus in fastos* positum legitur pro: *menstruos in fastos.* Pro *aquis* quidam *aquae*, atque Bentl. malit *aquas*, acc. absoluto. — *prior amnis*, anterior pars fluminis, mare versus.

217. *nec iam alveus*, antea impeditus strage caesorum. Ita auctus erat fluvius, ut et, superatis caesorum acervis, per alveum suum deflueret, et, superatis ripis, in campos abundaret, cadaveraque secum ferret.

220. *torrenti* h. e. proruenti. Sanguine autem iam divisit mare, non aqua, ut antea.

221. Anne his factis Sylla meruit Felix et Salus rerum vocari?

222. *tumulum in Campo*, sepulcrum magnificum. Nam in Campo ei funus institutum est.

223. *Haec.* Similia illis, inquit senex qui haec disserit, nobis iterum erunt patienda.

225. quamquam maiora etiam metuenda sunt, propter magnitudinem huius belli.

227. Nam illis summus bellorum finis erat, Romam recipere, aut adversariorum partes tollere.

230. *Hos*, Caesarem Pompeiumque. — *olimque*, hi enim iam dudum potentes sunt, Italiamque tenent, Caesar saltem; ac tamen concurrunt proelio. Clercquius tamen van Jever malit: *soliumque petentes*, quod probat Martyni Laguna.

231. *Neuter* sc. eorum civile bellum faceret, si eo contentus

Terror, et in tanta pavidi formidine motus
Pars populi lugentis erat: sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica curâ
Fata virum casusque Urbis, cunctisque timentem,
Securumque sui; farique his vocibus orsus:
Omnibus expulsae terris olimque fugatae
Virtutis iam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma:
Namque alii Magnum vel Caesaris arma sequantur:
Dux Bruto Cato solus erit. Pacemne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum populique furentis
Cladibus immixtum, civile absolvere bellum?
Quemque suae rapiunt scelerata in proelia caussae:
Hos polluta domus, legesque in pace timendae;
Hos ferro fugienda fames, mundique ruinae
Permiscenda fides. Nullum furor egit in arma;
Castra petunt magna victi mercede: tibi uni
Per se bella placent? Quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus aevi?
Hoc solum longae pretium virtutis habebis:
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o superi, liceat feralibus armis,
Has etiam movisse manus: nec pila lacertis
Missa tuis caeca telorum in nube ferantur:

esse posset, quo Sulla contentus fuit.

235. *et* iterum positum pro *neque*, ut I, 76. II, 40.

237. *obliqui axes* sunt sidus Helices seu Ursae maioris, prono in terram lumine despiciens. Sic I, 55 Caesaris sidus vocatur obliquum.

243. *iam sola fides*, tu, qui solus iam restas, in cuius virtutem certo possimus fidem habere.

247. *Pacemne*, dic mihi, an tu pacem sis secuturus, firmiterque in ea persistiturus, dum totus mundus dubius est?

250. *absolvere*, quasi probare, aut certe non improbare, non damnare. Similiter lib. VII, versu 3. a fine.

251. *Quemque*, h. e. alios.

252. *polluta domus* Sulp. interpr. stupra quae in familias exercuere. Cf. Sall. Cat. 14. — *legesque*, iudicia ob eiusmodi facinora aut ob aes alienum. Ea autem intermittebantur bello.

254. *fides*, ihr gesunkener Credit, quam permisceri volebant bello, ne cogerentur satisfacere creditoribus suis.

259. Alii in bellum eunt, dum iam nocentes sunt; tu nunc demum nocens fies, bellum civile subiens.

261. *has*, Catonis.

Nec tanta in casum virtus eat. Ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. Quis nolet in isto
Ense mori, quamvis alieno vulnere labens,
Et scelus esse tuum? Melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut coelestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terrae succenditur aer,
Imaque telluris ventos tractusque coruscos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus
Lege deûm. Minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. Quam laete Caesaris aures
Accipient, tantum venisse in proelia civem!
Nam praelata suis numquam diversa dolebit
Castra ducis Magni. Nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. Pars magna senatus
Et duce privato gesturus proelia consul
Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Catonem
Sub iuga Pompeii, toto iam liber in orbe

263. *in casum.* Sic C. — V. *incassum.* Ae. *in cassum.*
264. *Quis nolet in isto.* Sic C. b. d. — Al. *nolit.* — Vulg. *nolet ab isto.* — 273. *summa.* Sic Ar. V. — Ae. C. b. d. *magna.* — b. *laetae.* Ae. *laeti.* Ar. *lete.*

263. *in casum.* Sic ex sola Lovaniensi edit. reposuit Cortius. Al. *in cassum* aut *incassum.* — *ingeret,* quidquid eveniet, tibi imputabitur.

264. *Quis nolet.* Imo optabunt adversarii aut credent, se a te occisos, quia eo efficeretur, ut sua mors esse videretur scelus tuum. — *in isto* i. e. q. *ab isto.*

265. *quamvis,* licet non a te, sed ab alio vulneratus.

269. *aër,* inferior aëris regio.

270. *tractus coruscos flammarum* pro: *tractus ignium coruscorum,* ut IX, 656. *Phlegraeo serpente,* ubi vide not. crit.

275. Nam Caesar nunquam dolebit, praetulisse te castra Magni suis.

276. *Nimium placet ipse;* Cortius supplet *sibi,* citatis locis rem non probantibus. Non autem *sibi* placet Caesar, sed aliis se placere probarique existimat, dum Catoni placet bellum civile. Sed potest et sic: Nimium pl. ipse Catoni, si Catoni bellum civile placet.

277. *Pars m.* Lapsi hic sunt omnes interpretes in sensu verbi *sollicitant* constituendo, quod acceperunt dictum pro *impellunt, incitant,* quum sit pro: *angunt, aegritudine afficiunt,* ut illud in Cicerone: *Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.* Cf. Cic. Att. I, 5. de Fin. 1, 16. Supplendum autem *me,* Brutum. Sensus: Ego, Brutus, dudum aegre fero, quod video, et magnam senatus partem, et Consulem aliosque proceres sub duce privato Pompeio militare, quum Consulum sit, sortiri provincias, exercitum ductare, bellum gerere.

280. *liber.* Nam Pompeius, etsi omnes sub eo militent, tamen ipse est sub senatu quodammodo; quemadmodum Cato sit li-

Solus Caesar erit. Quodsi pro legibus arma
Ferre iuvat patriis, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompeii Brutum nec Caesaris hostem,
Post bellum victoris habes. Sic fatur. At illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces:
Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit superis, et me fecisse nocentem.
Sidera quis mundumque valet spectare cadentem,
Expers ipse metus? quis, quum ruat arduus aether,
Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,
Compressas tenuisse manus? Gentesne furorem
Hesperium ignotae Romanaque bella sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges;
Otia solus agam? Procul hunc arcete furorem,
O superi, motura Dahas ut clade Getasque,
Securo me, Roma cadat. Ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum iubet ipse dolor: iuvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
Nomen, libertas, et inanem prosequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam coelique deis erebique liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas!
Devotum hostiles Decium pressere catervae:

284. *habes*. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *habe*.
289. *valet*. Sic C. c. — V. *velit*.
292. *Compressas*. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *Complosas*.
293. Ae. cum C. *Romanaque signa*, ut et V. — At Ar. *R. que bella*. — 296. Vulg. *Dacas*, qui tamen producendi. Nostr. C.
303. Ae. *persequar*.

bro IX, 194. *rectorque senatus, sed regnantis erat.*

281. *Quodsi* etc. Nunc ego, siquidem decet bonum civem pro legibus et pro libertate pugnare, eius ero hostis, qui victor in hoc bello evadet.

282. *iuvat* praegnanti sensu pro: *iuvare debet*.

292. *compressas*, i. e. q. otiosas. Cf. Liv. 7, 13. Al. l. *complosas*.

297. Ego amplectar Romam cadentem libertatisque nomen atque umbram prosequar, sicut parens sequitur funus natorum.

299. *ignibus atris*, h. e. faces arripere. Cf. Virg. Aen. IV, 384.

304. *Sic eat*, sic fiat. Cf. lib. V, 297.

305. *nullo*, neque meo.

Me geminae figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat: cunctis ego pervius hastis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac caede luatur,
Quidquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad iuga cur faciles populi, cur saeva volentes
Regna pati pereunt? *Me solum invadite ferro,*
Me frustra leges et inania iura tuentem:
Hic dabit, hic pacem iugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. Quin publica signa ducemque
Pompeium sequimur? Nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi ius promittere mundi
Non bene compertum est. Ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur, et acres
Irarum movit stimulos, iuvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.
   Interea, Phoebo gelidas pellente tenebras,
Pulsatae sonuere fores: quas sancta relicto
Hortensi moerens irrupit Marcia busto:
Quondam virgo toris melioris iuncta mariti:
Mox, ubi, connubii pretium mercesque, soluta est
Tertia iam soboles, alios fecunda penates

313. *mores* sc. pravi, quibus effectum est, ut in tanta mala adduceremur.

314. Contextus et sensus sequentium hic est: Quid opus est, integros populos, non pro libertate, sed pro servitute sua, pugnare in partibus Caesaris Pompeiique? Agite, contra me convertite omnes bellum, ut, me extincto, pax sit populis. Tum enim omnes ad servitium erunt parati, nemine libertatem propugnante. Jam vero, quid tibi videtur, Brute? placetne potius, quam in otio perstare, publica signa Pompeiumque ducem sequi? At vero satis compertum est certumque, illum quoque ipsum post victoriam regnum sibi promittere. Sed nihil eo minus ad eum proficiscar, ne, si vicerit, soli sibi se vicisse autumet.

324. *irarum stimulos*, h. e. cupidinem pugnandi, ad bellum eundi, ut II, 529 et supra de Mario: *Libycas ibi colligit iras*, vs. 93.

326. *pellente tenebras*, prima luce.

328. *Marcia*, Philippi filia, Catoni olim nupta, post tres liberos ex ea susceptos, ab illo concessa erat Hortensio amico. Ea, mortuo Hortensio, iterum Catonis matrimonium petit.

330. *pretium mercesque*, h. e. postquam tres Catoni liberos pepererat, ut statim additur: *tertia iam soboles.*

331. *fecunda;* nam gravida erat, quum Hortensio concessa est roganti.

Impletura datur, geminas ex sanguine matris
Permixtura domos. Sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,
Effusas laniata comas, concussaque pectus
Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic moesta profatur:
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa, Cato, et geminos excepi foeta maritos.
Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor
Jam nulli tradenda viro. Da foedera prisci
Illibata tori: da tantum nomen inane
Connubii: liceat tumulo scripsisse, CATONIS
MARCIA; nec dubium longo quaeratur in aevo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, taedas.
Non me laetorum comitem rebusque secundis
Accipis: in curas venio partemque laborum.
Da mihi castra sequi. Cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?
Hae flexere virum voces, et, tempora quanquam
Sint aliena toris, iam fato in bella vocante,

332. C. *et sanguine* cum b. c. — Vulg. *e sanguine.*
335. Ae. cum C. *contusaque.*
346. *comitem.* Sic Ar. C. Ae. c. b. — V. l. *sociam.*
351. *sint* C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *sunt.*

332. *geminas* etc. Catonis et Hortensii domos liberis ex se natis permistura, h. e. uno quasi vinculo coniunctura.

334. *supremos cineres* sc. Hortensii.

336. *ingesta*, postquam ingesserat capiti suo sepulcri cineres. Sic IX, 172. *in vultus effusa comas.* X, 84. *dispersaque crinem.* Cf. et V, 171. et IX, 176.

337. inculta, neglecta et moerens placitura inculto et rigido Catoni.

338. *sanguis*, vis, vita ac vigor iuvenilis. III, 625. Sic et vice versa pro sanguine ponitur vita, anima, III, 640. 641.

339. *geminos* h. e. post te Hortensium. — *foeta*, gravida enim Hortensio data fuerat.

342. *Illibata.* Sulpicius interpretatur: concede coniugium pudicum et absque Venere. Similiterque Farnabius. Qui tamen sensus quo iure tribui posset vocabulo, non demonstrarunt. Ceterum et sequentia videntur concinere, et adstipulari quae paulo infra leguntur vs. 378. *nec foedera prisci sunt tentata tori.* Et sane occurrunt loci, in quibus participium praeteriti pro futuro videatur positum esse. Cf. III, 132. II, 176.

344. *nec dubium;* nec liceat dubitare posteris aut quaerere, an expulsa fuerim a te, cum traderer Hortensio, an sponte amico me concesseris. Certo constet apud posteros, me amicitiae causa tum traditam esse, non expulsam.

349. *Cornelia*, Pompeii post Juliam uxor, quae cum in castra secuta erat. De qua v. V, 722. sqq.

Foedera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque deos admittere testes.
Festa coronato non pendent limine serta;
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimaeque faces, gradibusque adclivis eburnis
Stat torus, et picto vestes discriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona
Translata vetuit contingere limina planta.
Non, timidum nuptae leviter tectura pudorem,
Lutea demissos velarunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens, humerisque haerentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
Sic, ut erat, moesti servat lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana;
Non soliti lusere sales: nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore

360. Cortius *leniter*, pessumdato metro. Omnes *leviter*.
365. *servat*. Sic C. d. — V. *servans*. — Versum 367 Cortius ante 366 posuit.

353. *iura*, h. e. nuptiae. — *deos* sc. solos. Intelligo Jovem et Junonem τελείους, Venerem Suadam, Dianam. Cf. Plut. Quaest. Rom. 2. et Senec. Med. 7.

355. *Infulaque*. Et hic et in sequentibus copulae addenda est negatio, quasi dictum sit pro: *nec infula*, *nec legitimae faces*, *nec matrona* etc. more Lucaneo, de quo vide I, v. 76.

356. Faces in nuptiis quinque adhibebantur.

357. Torum intellige genialem, qui sternebatur in honorem Genii, in aula. — *vestes* h. e. stragula tori. — *discriminat*, h. e. stragula non intertexta sunt auro, acu picto.

358. Nec matrona, turritam coronam capite gestans, vetuit sponsam plantâ limen contingere. Mos notissimus. V. Plaut. Cas. 4. 4, 1. et Plut. Q. R. 29.

362. Non zona gemmis distincta cinxit vestem, nec monile ornavit collum, nec suppara angusta, humeris primis haerentia, nudatos cinxerunt lacertos. *Supparum* tunicae genus erat, pectus complexum, subucula, camisia. Id *angustum*, i. e. aegre velans pectora aut lacertos, ita ut pars eorum nuda appareat.

366. *natos*, h. e. nullam ad Venerem, sed caste pieque.

367. Vestis, qua induta erat purpurea, lana funerea celabatur.

368. *sales*, nulla carmina iocosa accinebantur, ut solebant epithalamia, nulla dicteria in maritum. Cf. Sen. Med. 113.

370. *Pignora*, nulli cognati aut liberi.

372. *Ille*, Cato. — *ab ore*, a capite suo. Nutriverat enim

Caesariem, duroque admisit gaudia vultu. —
Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, moestamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus. — Nec foedera prisci
Sunt tentata tori: iusto quoque robur amori
Restitit. Hi mores, haec duri immota Catonis
Secta fuit: servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriaeque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulae, vicisse famem: magnique penates,
Submovisse hiemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies; Urbi pater est, Urbique maritus:
Justitiae cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas.
Interea trepido discedens agmine Magnus
Moenia Dardanii tenuit Campana coloni.
Haec placuit belli sedes, hinc summa moventi

373. Ae. *admisit brachia vultu.*
394. *moventi.* Sic Ar. C. b. d. Ae. — Vulg. *moventis.*

barbam crinesque. — *non dimovit*, non posuit barbam aut caesariem, ut solebant in festis.

373. *duroque.* Et hic quoque suppl. negatio: *nec duro.*

377. Vacat Cato uni rei, quae studiis odiisque carebat. Ea res erat, ut lugeret genus humanum.

379. *robur*, austeritas, virtus Stoica, continentia.

381. *finem tenere* idem est, quod *servare modum*, h. e. in omnibus rebus sibi ipsi praescribere limitem, ultra quem non progrediatur, continere se, non facere quod libido, sed quod ratio iubet.

382. *naturam sequi*, ex Stoicorum praecepto. Natura autem pauca requirit, et carere potest voluptatibus et deliciis, quemadmodum Lucanus infra IV, 371 sqq.

384. Cato non amplioribus fruebatur epulis, quam dum famem vinceret, non amplioribus aedibus, quam quibus tempestates hiemesque submoveret, nec pretiosiore veste, quam toga hirta.

391. *sibi nata voluptas* opponitur Catoni, qui non sibi, sed toti mundo se natum credidit, ut est vs. 383.

392. *trepido*, trepidante, h. e. festinante. Sic et vs. 462. Cf. III, 35.

393. *Moenia*, videlicet Capuae urbis, quam Capys Troianus condidisse fertur. Virg. Aen. X, 145. Suet. Caes. 81.

394. *hinc summa moventi*, sc. Pompeio, (h. e. omnia molienti,

Hostis in occursum sparsas extendere partes,
Umbrosis mediam qua collibus Apenninus
Erigit Italiam, nullo qua vertice tellus
Altius intumuit, propiusve accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris: collesque coercent
Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.
In laevum cecidere latus veloxque Metaurus,
Crustumiumque rapax, et iunctus Sapis Isauro,
Senaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus fractas devolvit in aequora silvas,
Hesperiamque exhaurit aquis. Hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona:

397. *qua* Ar. Ae. c. — C. *quo*.
398. Vulg. *propiusque*. Nostr. C.
406. Sic Ar. Ae. b. — V. *Isapis*. C. *iuncto Sapis Is.*
407. V. *Sennaque* C. *Senaque*.
409. Sic Ar. Ae. C. b. d. — V. *fractasque evolvit*.

quibus occurreret Caesari) *placuit extendere sparsas partes*, h. e. obviam mittere cohortes *sparsas*, h. e. in bellum eductas; cf. I, 468. et Indicem. Sed Vulg. habet *moventis* sc. *hostis* Caesaris. Al. *moventem*.

397. *erigit*, altiorem efficit. — Vulgata: *nullo qua vertice tellus*, h. e. qua tellure nulla tellus verticibus suis altius intumuit; ut similis hic sit constructio facta, atque illa, quae legitur vs. 270. ubi v. not. et quae infra occurrit vs. 408. Ita enim solet Lucanus transponere. Cf. ad IX, 656. At Cortius: *nullo quo vertice tellus*, cuius sensus foret: quo vertice tellus illa nullo vertice altius intumuit. Ego tamen existimo hyperbolice poetam Apenninum summum omnino omnium montium posuisse, ut paullo infra Eridanum maximum omnium fluminum, vs. 408, et ut Graeci Olympum suum montem omnium altissimum crediderunt.

400. *collesque*, Apenninus coercetur a Pisa urbe et Ancona. Ibi enim angustior Italia, unde etiam ea pars ἀγκὼν vocata est.

403. *hic*, mons Apenninus.

405. *laevum latus*, Anconam versus et Adriam.

408. *tellus se solvit in amnem* i. e. q. dissolvitur amne, diluitur, proluitur, ut IX, 421. de Libya: *non fontibus ullis solvitur.* Est autem constructio eadem cum illa, quam habuimus supra vs. 397. quam et hic ut illic Cortius perperam accipit. Est autem sensus: nulla tellus a flumine suo maiorem in modum solvitur, h. e. maiorem habet fluvium. Cf. 416 et 418.

409. *fractasque* i. e. *nec fractas*, sive: *aut fractas*. Cf. I, 76.

410. Fabula est, hunc primum populis umbratum esse, cum sorores Phaëthontis in eas mutatae sint arbores.

Quumque, diem pronum transverso limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus aethera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana iacentis
Aegypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Nec minor hic Istro, nisi quod, dum permeat orbem
Ister, casuros in quaelibet aequora fontes
Accipit, et Scythicas exit non solus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tibrim
Unda facit, Rutubamque cavum. Delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnaeque editor aurae
Sarnus, et umbrosae Liris per regna Maricae
Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus

412. *diem pronum*, Solem obliquo lumine terram despicientem. Cf. ad I, 55. 220. 610. — *transverso limite*, h. e. a recta via aberrante.

413. *loris*, pro curribus, parte pro toto.

414. *raptis*, ablatis.

415. *pares Phoebeis ignibus*, h. e. quae valerent restinguere Phoebeas flammas, aut certe illis resistere.

416. *Non minor*. Vero serio contendit poeta Padum aequare magnitudine Nilum; at hunc, quoniam per planos iacentis h. e. depressae et humilis terrae Aegypti campos Libycas arenas stagnet, h. e. in arenis istis Africis quasi in stagnum extendatur, ideo maiorem videri Pado. Similiter Istrum non esse, sed videri maiorem Pado, ideo quod alios fluvios accipiat, qui pariter in alia omnia aequora cadere possent, *nec solus* h. e. collectis aliis fluminibus magnis, exeat. Est hoc exemplum augendi artis, in poetam praecipue cadentis, delectantis lectorem, et saltem ignoscendae; neque opus est excusatione contra importunas Scaligeri invectivas, qui pariter eius artis ultra modum plerumque aman ut alibi virtutes, ita hic qua vitia credidit, praeter rationem auxisse videtur. Saltem no supplendum, ut facit Cortius Non minor hic Nilo *esset*. Praeterea *nisi quod*, et *si non* ad sensum est: excepto quod, praeter quam quod. Cf. vs. 617. Cert autem auditoribus aut lectoribus Padum aequalem Nilo au Istro videri vult. Plane simi lem rem v. III, 253. ubi sensu item est: *Aethiopia non premi tur ab ullà parte Zodiaci*, ni *ab ungula Tauri*.

421. Undae, quae a monte Ap versus dextra declivia defluunt Tibrim efficiunt.

422. *cavum*, propter riparum altitudinem.

423. *nocturnae editor aurae*, u qui efficiat aerem obscurum per nebulas, ex paludibus, qua producit in planitie, prognatas

425. *Vestinis*, in quem influ unt fluvii ex agro Vestino, qu est Marsis Samnitibusque con terminus. *Marica* nympha, La tini mater, in Minturnensium litore templum habuit, et urbem cognominem.

426. *Macra* vadosus; hinc nul

Alnos, vicinae percurrit in aequora Lunae.
Longior educto qua surgit in aëra dorso,
Gallica rura videt, devexasque aspicit Alpes.
Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam quum Scyllaeis clauditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes;
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasque repelleret aequor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
   Caesar, in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
Hesperiae fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. Non tam portas intrare patentes,

427. V. *procurrit*. Nostr. C. Ar. Ae.
429. *aspicit*. Sic Ar. Ae. b. c. — C. V. *excipit*.

las moratur alnos, h. e. nullis navigatur ratibus.

434. *Lacinia*, sc. Junonis, quae dicavit Hercules, occiso Lacinio. Ibi et promontorium Lacinium.

435. *Longior* olim fuit Apenninus Italia quae nunc est, tum quum Italiae cohaerebat Sicilia.

437. *gemino*, Jonio atque Tyrrheno.

438. Abrupta est pars Apennini, ipseque mons contractus cessit, et iam ex adverso adspicit Pelorum imminens et oppositum sibi.

439. Duplici haec et quae sequuntur, ratione intelligi possunt, et accepta sunt ab interpretibus; quorum alii, ut Farnabius et Sulpitius, negationes et copulas, illis iunctas, ex solito poetae more interpretati (v. ad I, 76.) hunc statuerunt esse loci sensum: Caesar, cupidissimus belli civilis, non gaudet, sibi vias sine proeliis dari, non gaudet, quod non terat (h. e. vastet) fines Italiae, quippe vacantes Pompeio, quodque non irrumpat hostiliter in agros, quippe vacuos exercitibus, quodque non perdat ipsum iter, neque proelia proeliis conserta gerat. Atque hanc interpretationem ego veram existimo. Cf. I, 150. Alii, ut Cortius, sic: Gaudet C., quod Hesperiam non vacuam hostibus invenerit, quodque non in desertos a defensoribus agros irrumpat, etc. Sed ubinam erant defensores agrorum? Certe nulli erant. Nam Pompeiani oppidis inclusos se tenebant; quibus captis, omnibus Caesar ignovit. Non autem de his pauculis praesidiis sermo est, sed de veris Pompeii copiis, quae cesserant in Campaniam, deque proeliis in campo patenti proeliis conserendis, quae nulla fieri poterant, quia non in finibus Italiae Caesari obviam venit Pompeius, sed ad Capuam eum opperiebatur. Ita quasi pacificum fuit iter Romam versus, coactusque erat Caesar. Civem videri. Patet igitur Sulpicium verum vidisse.

Quam fregisse, iuvat: nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur et igni.
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiae, varioque favore
Ancipites, quamquam primo terrore ruentis
Cessurae belli, denso tamen aggere firmant
Moenia, et abrupto circumdant undique vallo:
Saxorumque orbes, et quae super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut, quum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc aequora tota sequuntur:
Si rursus tellus, pulsu laxata tridentis
Aeolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Aequora, nubiferoque polus quum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetrusca fuga trepidi nudata Libonis,
Jusque sui pulso iam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
Caesaris audito conversus nomine Sulla.
Varus, ut admotae pulsarunt Auximon alae,
Per diversa ruens neglecto moenia tergo,
Qua silvae, qua saxa, fugit. Depellitur arce
Lentulus Asculea. Victor cedentibus instat,

469. Sic C. Ae. — V. *Esculea*. Urbi nomen *Asculum*.

446. *concessa*, sc. sibi a Pompeio. Nam praesidia illa oppidorum, etsi morari, non tamen vetare poterant iter.

450. *abrupto*, praecipiti, erecto.

451. *orbes*, rotunda saxa, quae tormentis emitterent. — *super eminus*, desuper e longinquo. — *Super* crebro sic adiicitur, ut 3, 493. et 611. et 666. VI, 291.

454. *terrore*, quem Caesar incussit.

456. *tellus*, intellige Strongylen, ubi regnum sedesque Aeoli. — *laxata*, aperta. — *tridentis Aeolii*, h. e. ipsius Aeoli cuspide percussa. Vide Virg. libro I. de Aeolo.

458. *novo*, sc. vento Euro. — *priorem*, Austrum.

459. *polus*, coelum, aer.

460. *vindicat*, sibi servat, retinet, ei paret. Plane simile vide V, 571.

461. *dubiamque*, fortuna Caesaris auferebat et ad se rapiebat dubitantes et fidem servare cupientes.

462. *nudata* sc. est. — *trepidi*, trepidantis, h. e. properantis, ut vs. 392.

463. *ius sui*, h. e. libertatem, quippe Caesari obnoxia facta.

465. *conversus* sc. in fugam.

466. *pulsarunt*, oppugnare coeperunt, impellere. Cf. V, 615.

467. *per diversa moenia*, h. e.

Divertitque acies: solusque ex agmine tanto
Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque commissae nudatam deseris arcem,
Scipio, Nuceriae: quamquam firmissima pubes
His sedeat castris, iampridem Caesaris armis
Parthorum seducta metu: qua Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti: tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, *Socii*, *decurrite*, dixit,
Fluminis ad ripas, *undaeque immergite pontem:*
Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
Atque omnes trahe, *gurges*, *aquas*, *ut spumeus alnos*,
Discussa compage, *feras. Hoc limite bellum*
Haereat, *hac hostis lentus terat otia ripa.*
Praecipitem cohibete ducem: victoria nobis
Hic primum stans Caesar erit. Nec plura locutus,
Devolvit rapidum nequidquam moenibus agmen.

473. Sic C. b. — V. *Luceriae.* — C. Ae. b. c. d. *firmissima.* V. *fortissima.*

475. *seducta.* Sic C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *subducta.*

aversa ab hostibus. — *neglecto tergo*, hosti in fuga exposito.

470. *Divertitque acies* h. e. milites Lentuli ad se rapit, transducit, avocat a duce suo Caesar victor. Al. l. *avertit.* Alii *divertit* passive accepere.

471. *dux*, Lentulus. — *signa* h. e. signiferi, qui cum Lentulo fugerunt, nullas ducentes cohortes.

474. *iampridem;* hae enim erant illae copiae, quae per senatus consultum subductae erant Caesari, praetextu Parthici belli, et quarum partem antea, quoniam cladem acceperant Caesaris legati Titurius Cottaque in Gallia, Pompeius Caesari commodaverat. Eam cohortem, Caesari olim commodatum, repetierat ab eo Pompeius, ipse quoque cohortem ad Parthicum bellum Bibulo mandare iussus. Eam ergo cohortem tum habebat Scipio.

479. *tua classica.* Domitius iisdem ibi praeerat copiis, quae olim in foro praesidio steterant, quum Milonis polluti, h. e. rei, caussam ageret Cicero.

482. *Ardentes*, ad Solem fulgentes.

483. *Socii*, milites, ut 691.

484. *undae immergite*, rumpite.

485. *Et tu*, sc. gurges, fluvius. Erat autem Aternus, prope Sulmonem.

486. *alnos*, trabes pontis rupti auferas.

488. *lentus terat otia ripa*, haec ripa moretur hostem.

491. *Devolvit*, educit.

Nam prior e campis ut conspicit, amne soluto,
Rumpi Caesar iter, calida prolatus ab ira:
Non satis est, muris latebras quaesisse pavori?
Obstruitis campos, fluviisque arcere paratis,
Ignavi? Non, si tumido me gurgite Ganges
Submoveat, stabit iam flumine Caesar in ullo,
Post Rubiconis aquas. Equitum properate catervae:
Ite simul pedites: ruiturum adscendite pontem.
Haec ubi dicta, levis totas accepit habenas
In campum sonipes: crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Caesar, et ad tutas hostis compellitur arces.
Et iam moturas ingentia pondera turres
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris:
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Caesar poenamque peti, veniamque timeri.
Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem. Victis iam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.
Fatur, et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto melius vel caede peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori;

494. C. *muros*. V. *muris*.
495. *fluviisque*. Sic C. Ar. Ae. b. d. — V. *fluviis arc. p.*

492. *amne soluto*, h. e. liberato ponte, quo quasi fluvius ligatur et coercetur.
499. *ruiturum*, h. e. antequam ruat.
502. *torserunt lacerti validi* sc. Caesarianorum peditum, quorum telis fugabantur Domitiani, trans fluvium stantes, stationemque relinquentes.
504. *hostis*, Domitius.
506. *Erigit*, Caesar. — *subrepsit*, admota est. Al. *subrepit*.
507. *nefas belli*, quia nefas est, ducem suum cohortes prodere hostique tradere.
508. *ducem*, Domitium adduxe-re ad Caesarem. De re leg. de bello Civili lib. I. — *civi* Caesaris.
513. *Victis iam partibus* s. Pompeii, quas victurus sum; vinceudis. — *esto*, sis tu exemplum meae clementiae, et spe vincendorum hostium, fore u[t] similiter sibi ignoscatur.
514. *vel*, imo. — *retenta*, ite-rum tenta contra me.
517. *caede peracta*, h. e. si in-terfici iussisset Caesar Domitium.

Poenarum extremum cui fit, quod castra secutus
Sit patriae Magnumque ducem totumque senatum,
Ignosci. Premit ille graves interritus iras,
Et secum: *Romamne petes, pacisque recessus,*
Degener? In medios belli non ire furores,
Jamdudum moriture, paras? Rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Caesaris effuge munus.
Nescius interea capti ducis, arma parabat
Magnus, ut immixto firmaret robore partes.
Jamque secuturo iussurus classica Phoebo,
Tentandasque ratus moturi militis iras,
Adloquitur tacitas veneranda voce cohortes:
O scelerum ultores, melioraque signa secuti,
O vere Romana manus, quibus arma senatus
Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii saevis populatibus agri:
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes:
Jam tetigit sanguis pollutos Caesaris enses.

519. *cui fit.* Sic Ar. atque sic scriptum fuisse suspicor in c. ubi ad marginem est *civi*, et idem in textum illatum in membrana erasa. V. c. *civi.* Nostrum unice aptum sensui.

527. *immixto.* Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. C. *admixto.*

519. *Poenarum* etc. Cui (sc. Romano pudori) summa fit poena, ignosci sibi, quod etc. Ego enim nullus dubito lectionem *cui fit* unice veram esse, illam autem alteram *civi* dictando ortam. Quam si retinueris, locus erit communis cum apodosi minime apta. Deberet enim ea itidem esse communis quaedam sententia, neque commemorari in ea *Magnus* h. e. Pompeius, *Senatusque*, videlicet Romanus. Habent *cui fit* praeter Argentinam etiam Ald. Ascens. Junt. Micyll. Gryph. Bersm. et alii.

524. *iamdudum*, brevi post. Cf. IV, 545. Sensus: quum tamen brevi sis moriturus. — *rue certus*, sc. ad bellum civile, exercitumque Pompeii, tamquam ad interitum. Cf. III, 27.

525. *lucis*, i. e. vitae perdendae. Certus enim erat se in bello periturum, quemadmodum et factum est in acie Pharsalica, ut ipse Lucanus refert lib. VII, 600. sqq.

526. *capti ducis*, captum esse ducem Domitium.

527. *robore*, i. e. valido tirone, ut est I, 305.

529. *moturi militis*, h. e. iter arrepturi, ut exponit Sulpicius. Supplendum enim: *castra*, quod interdum omittitur, ut Cic. ad Att. IX, 1. *Postquam ille Canusio moverat.* — *iras*, cupidinem pugnandi, ut supra vs. 324 de Bruto.

533. *Non privata*, ut Caesaris sunt, sed publica et pro republica. — *votis deposcite pugnam*, alacri sitis in hostes animo. Optanda est vobis pugna, adeo ut etiam vota idcirco faciatis vosque diis obstringatis, si pugnam vobis concedant. Nam immane periculum imminet patriae.

535. *Gallica rabies*, Gallici populi, qui sunt in exercitu Caesaris. Cf. I, 481. sqq.

Di melius, belli tulimus quod damna priores.
Coeperit inde nefas. Jamiam, me praeside, Roma
Supplicium poenamque petat. Neque enim ista vocari
Proelia iusta decet, patriae sed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum est, quam quum Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis! Quum fata Camillis
Te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis,
Ad Cinnas Mariosque venis. Sternere profecto,
Ut Catulo iacuit Lepidus, nostrasque secures
Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exsul Iberos.
Quamquam, si qua fides, his te quoque iungere, Caesar,
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post praelia sospes,
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,
Ut simili caussa caderes, qua Spartacus hostis.

537. *Di melius*, sic distinguendum; non, ut Cortius: *Di! melius*, aut ut Oudend. et Burm. *Di melius!*

537. *Dii melius* sc. dedere; dii bene consuluere, quod nos priores damna belli experti sumus. Falso locutionem interpretatus est Cortius, seductus loco III, 111. Ibi enim passivum supplendum: *melius actum est.* At hic activum, addito subiecto *dii.* Recurrit dictio III, 93. Similiter Ov. Heroid. Helenae ad Paridem vs. 30. *Dii melius: similis non fuit ille tui.*

538. *inde*, a partibus Caesaris. — *praeside*, tamquam in iudicio de Caesare habendo. Non autem ait *duce.*

539. *petat*, a Caesare.

543. *exserti* sc. humeros. Cethegorum enim gens nudo pugnare humero solebat, pro tunica veste campestri cincta ab umbilico usque ad pedes, ita ut reliquum corpus nudum esset. Cf. VI, 794. et Hor. de arte poet. *cinctuti Cethegi.*

544. *Quum fata*, quum Fortuna te velit optimorum similem facere sospitatorumque patriae, tu te ipsum eversoribus eius socias.

546. *sternere*, humi iacebis, prostratus a me.

547. *Lepidus*, Consul cum Catulo, postremis Syllae temporibus et post Syllae mortem civile bellum movere conatus et acta Syllae rescindere, oppressus est a Catulo. Vide de ea re Fragmenta Sallustii ex Historiarum libris.

548. *Carbo*, de partibus Marianis, reverso Sylla, profugit Urbe, et victus proelio a Metello, in Siciliam se contulit, ubi captus a Pompeio, securique percussus est.

550. *si qua fides*, si recte de me iudico, non dignus es, qui a me vincaris, quoniam neque caussâ cum illis, Cinna Marioque conferri potes, et maiori supplicio dignus es, utpote qui arma patriae intuleris.

554. *Spartacus*, quem vicit Crassus.

Te quoque si superi titulis accedere nostris
Iusserunt, valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus haec iterum circum praecordia sanguis
Incaluit: disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. Licet ille solutum
Defectumque vocet, ne vos mea terreat aetas.
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus perducere liber,
Adscendi, supraque nihil, nisi regna, reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat. Hinc consul uterque,
Hinc acies statura ducum est. Caesarne senatus
Victor erit? Non tam caeco trahis omnia cursu,
Teque nihil, Fortuna, pudet. Multisne rebellis
Gallia iam lustris, aetasque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti stagna profundi,
Territa quaesitis ostendit terga Britannis?
An vanae tumuere minae, quod fama furoris
Expulit armatam patriis e sedibus Urbem?
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta sequuntur:
Qui quum signa tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,

556. Cort. *valet en t.* cum d. — 557. V. *circa*. Nostr. C. Ar.
566. *ducum est*. Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. C. *ducum*. *Caes.*

555. *titulis*, triumphis.

556. *valet*, en satis adhuc valens sum.

559. *pacem potuere pati*, non adeo flagrarunt belli civilis amore, ut pacem turbarent. — *ille*, Caesar.

560. *vocet*, sc. me.

561. *in illis* sc. castris senior sit. Veteranos enim habebat Caesar, tirones Pompeius.

562. *liber*, sine unius imperio.

563. *regna*, tyrannidem, unius imperium. Cf. I, 529.

564. *Non privata*, altiora privatis, dominationem.

565. *transire*, superare honoribus, dignitate. — *Consul uterque*, Lentulus et Marcellus.

566. *ducum*, procerum, Senatorum.

570. *Dant animos*, sc. Caesari et Caesarianis? — *Rheni* etc. Pertinent haec ad receptum Caesaris e Germania in Galliam.

571. *Oceanumque* etc. h. e. causatus, Oceanum Britannicum esse Gallici maris aestuaria, modo stagnantia modo vadosa; ut facit in Commentariis.

572. *quaesitis*, quibus ultro bellum intulerat.

574. *urbem*, h. e. cives, ex urbe fugientes.

576. *ponto*, i. e. per omnia maria victricia.

577. *Ante bis* etc. h. e. intra duorum mensium spatium. — *conderet orbem*, h. e. cursum perficeret, ut recte expl. Sulpicius. Sic *orbis duodecim signorum* legitur apud Cic. de N. D. 2, 20. et alibi *signifer* idem *orbis* appellatur. Cf. Virg. Aen. 5, 46.

Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem ego per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sulla felicior, ire coegi.
Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocumque iacet sub sole, tropaeis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet: calida medius mihi cognitus axis
Aegypto, atque umbras nusquam flectente Syene.
Occasus mea iura timent, Tethynque fugacem
Qui ferit Hesperius post omnia flumina Baetis.
Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea signa timent: et dedita sacris
Incerti Judaea dei, mollisque Sophene.

580. *ego* addidit C. — 588. Ar. *timent.* — V. *timet.*

annuus orbis. et Georg. 2, 401. *redit labor actus in orbem.* et ib. 2, 153. Ov. Met. 3, 77. etc. Nosterque ipse I, 78. *bigas agitare per orbem.* — *Condere* autem est *perficere*, ut *condere lustra*, *saecula.* Errat Cortius.

578. *omne fretum pelagi*, h. e. omnia maria. Fretum pro undis similiter legitur 675. et I, 102. et *manes metuentes* nude positi VI, 667. Potest tamen et iungi *metuens pelagi*, ut sit idem quod libro VIII. *et pavidos Cilicas maris* vs. 811.

579. *domum poposcit*, agricola fieri voluit ex pirata. Deducti enim sunt Solos, agrique iis assignati, oppidum autem vocatum Pompeiopolis.

580. *Idem* sc. ego, Pompeius. — *divortia Ponti* adfuere vs. 404. ubi tamen maria significabant, superum atque inferum, *pontique* minuscula scriptum. Hic *divortia Ponti* sunt latebrae, receptus in Ponto, regno Mithridatis. Sic Virg. Aen. 9, 378. *Obiiciunt equites sese ad divortia nota.* et Livius: *ad aquarum divortia castra posuit.* Cf. et Tac. Ann. 12, 63. Possunt sane cogitari receptus inter duos montes, aut duo stagna, aut duo maria inter se divisa et divergentia.

581. *regem*, Mithridatem. — *fata*, fortunam et imperium.

582. *Sulla felicior*, supple: quamvis is Felix vocatus sit.

583. *Pars mundi.* Intellige partes orbis terrarum, Europam, Asiam atque Africam, ut ipse explicat sensum in seqq. Atque hic lectu dignum Martialis epigramma V, 74 aut 75. *Pompeios* etc.

585. *Hinc*, h. e. ab Italia versus Arctum usque ad Phasin fluvium, quo Mithridatem persecutus sum, victor fui.

586. *medius axis mihi cognitus est Aegypto calida*, cum datus esset P. a senatu tutor Ptolemaeo regi puero; quamquam et sub Sylla ibi fuerat. — *medius axis*, pars terrae meridionalis. Sic occidentalis vocatur *Hesperius axis* III, 359.

589. *post omnia flumina*, postremus omnium fluviorum.

593. *Incerti*, nulla certa sub forma culti. — *mollis*, luxui dedita.

Armenios, *Cilicasque feros*, *Taurosque subegi.*
Quod socero bellum, *praeter civile*, *reliqui?*
Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissae classica pugnae.
Sensit et ipse metum Magnus; placuitque referri
Signa, nec in tantae discrimina mittere pugnae
Jam victum fama non visi Caesaris agmen.
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exsul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus, nisi quum cervice recepta
Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit: sic viribus impar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Apula rura
Brundusii tutas conscendit Magnus in arces.
Urbs est Dictaeis olim possessa colonis,
Quos profugos Creta vexere per aequora puppes
Cecropiae, victum mentitis Thesea velis.
Hac latus angustum iam se cogentis in arcum

609. *conscendit.* Sic C. Ar. Ae. b. c. *concendit.* d. — V. *concedit.* Al. *concessit*, haud spernendum.
613. *Hac.* Sic legendum puto. Vulg. *Hanc.* C. *Qua.* — C. *arcum.* V. *arctum.*

595. *socero*, Caesari.
596. *partes*, milites.
599. *in tantae discr. mittere p.* dictum puta pro: non in tantum tamque periculosum pugnae discrimen mittere copias; simili fere dictionis conversione cum illa, quam vidimus vs. 270. et de qua diximus ad IX, 656. in notis criticis.
601. Comparatur Pompeius tauro victo fugientique in loca sola, dum vires reparet, et victurus redeat. Rem describit Virg. Georg. III, 210. sqq. eaque imagine plures usi poetae, ut Val. Flacc. II, 546. V, 67. Vide et Soph. Oed. Tyr. 481. — *armentis*, h. e. ex grege expulsus.
604. *cervice recepta*, resumtis cervicis viribus.
605. *excussi*, exercitati, fortius intumescentes. — *reddita*, i. e. recepta, receptos recuperatosque greges.
610. *Dictaeis*, Cretensibus, qui Atheniensium vecti navibus profugerant e Creta cum Theseo. V. Strabo VI, p. 296.
612. *victum mentitis Thesea velis*, h. e. tum quum vela mentirentur, Thesea victum esse. Excellenti addito corollario poetico. Rem notissimam vide, si placet, apud Plutarchum in Theseo.
613. Vult declarare poeta, apud Brundusium esse sinum maris, effectum per peninsulam in mare porrectam; ante quem sinum sita sit insula, quae tutum efficiat portum. Cf. V, 406. Addit autem, quasi ornamenti caussa, Italiam in ea regione iam arctius contrahi, quemadmodum supra de ea parte, quae inter Pisas et Anconam sita est,

Hesperiae tenuem producit in aequora linguam,
Hadriacas flexis claudit quae cornibus undas.
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus aequor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lapsasque refunderet undas.
Hinc illinc montes scopulosae rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit,
Ut tremulo starent contentae fune carinae.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, seu laeva petatur
Illyris Jonias vergens Epidamnos in undas.
Huc fuga nautarum, quum totas Hadria vires
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, quumque
Spumoso Calaber perfunditur aequore Sason.
    Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Quum mediae iaceant immensis tractibus Alpes:
Tum subole ex tanta natum, cui firmior aetas,
Adfatur: *Mundi iubeo tentare recessus.*
Euphratem Nilumque move, quo nominis usque

618. *lapsasque*. Sic Ar. (Cf. 6, 24.) — V. C. *lassasque*. Codd. *laxasque*. (Cf. II, 71.) — 631. C. *Tum*. — V. *Tunc*.

dixerat, vs. 400. Facies autem extremae Italiae fere *arcum* repraesentat. Constructio: Hac (in regione) latus (sinistrum) Hesperiae, quae ibi se iam in angustum arcum contrahit, tenuem linguam in aequora producit.

615. *Hadriacas*, certe partem maris.

616. *Nec tamen hoc aequor*, h. e. ille sinus maris, *portus erat*, h. e. portum effecisset, nisi insula etc. *si non* vide et II, 416.

618. *lapsas*, h. e. adpellentesque maris undas. Cf. V, 460.

621. *contentae*, falso videtur interpretari Sulpicius: *quum non indigerent ancoris, et tutae essent.* Ille igitur videtur contentas naves intellexisse de non cupientibus ancoras. Mihi *contentas* hic dictum potius esse videtur de *retentis* navibus per funes ancorarum, qui funes saepenumero pro ipsis ancoris ponuntur. Nam in portubus etiam ancorae iaciuntur. Cf. vs. 693. Cf. Bentl. ad Hor. Od. I, 14. 17. — *tremulo fune*, h. e. huc illuc moto, instabili navi, ut v. 679. *turres tremunt.*

625. *Huc*, in portum Brundusii.

626. *Ceraunia*, montes in Epiro. — *abiere in nubes*, nubibus involvuntur, in tempestate.

627. *Sason* est insula contra Calabriam sita inter Epirum et Brundusium.

628. *fides*, spes Italiae tenendae.

631. *natum*, filium. — *ex tanta*, h. e. nobilissima, praestantissima. Missus autem est Cn. Pompeius filius.

632. *Mundi iub.*, Jubeo te remotissimas etiam adire mundi regiones.

Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
Post me Roma ducem. Sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas. Pharios hinc concute reges,
Tigranemque meum. Nec Pharnacis arma relinquas,
Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
Armenia, Pontique feras per litora gentes,
Rhipaeasque manus, et quas tenet aequore denso
Pigra palus Scythici patiens Maeotica plaustri.
Sed quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella feres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
Et vos, qui Latios signatis nomine fastos,
Primus in Epirum Boreas agat: inde per arva
Graiorum Macetumque novas adquirite vires,
Dum paci dat tempus hiems. Sic fatur, et omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas a litore puppes.
At numquam patiens pacis longaeque quietis
Armorum, ne quid fatis mutare liceret,
Adsequitur, generique premit vestigia Caesar.
Sufficerent aliis primo tot moenia cursu
Rapta, tot oppressae depulsis hostibus arces:
Ipsa, caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma, capi facilis. Sed Caesar, in omnia praeceps,

642. *Sed.* Sic Ar. C. Ae. b. — V. *Et quid.* — 643. Ar. *feres.* V. *seres.* — 645. *Et vos.* Sic C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *At vos.*
647. Vulg. omnesque semper *Macedum.*
654. *oppressae depulsis.* Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. *deiectis.*

635. *post me*, h. e. ex quo ego in illis terris exercitum ductavi. Sic *post bellum civile* III, 14. et III, 233. *post Tethyos aequora.* Cf. Sall. Jug. 5. post magnitudinem nominis Romani. — *sparsos* etc. Effice, ut Cilices, relictis agris, rursus mare tentent, et mihi auxilio veniant. V. supra ad 579.

636. *Pharios*, h. e. Aegyptios, a Pharo insula. Sic saepius poeta Aegyptios nuncupat. Cf. vs. 733.

640. *Rhipaeas*, i. e. Scythas. — *et quas* etc. h. e. et gentes, quas tenet Maeotica palus pigra, aequore denso, patiens Scythici plaustri. — *aequore denso*, h. e. ubi gelu est adstricta aqua. Tum enim Scythae plaustris trans paludem vehuntur.

643. *bella feres*, populos ad militandum pro re mea excitabis. — *agitabis* item: concitabis ad bellum.

644. *omnes redeant:* confluant in castra mea omnes populi, de quibus triumphavi.

645. *Et vos*, sc. consules.

646. *agat.* Vos cum primo Borea transiicite in Epirum.

650. At Caesar eum persequitur.

651. *mutare*, h. e. ne quid adversi accideret; quasi praevertens Fatum.

653. *tot moenia*, tot urbes occupatae, ut Ariminum, (I, 231.) Auximum, (II, 466.) Asculum

Nil actum credens, quum quid superesset agendum,
Instat atrox: et adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quod litore Magnus,
Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit, et latum deiectis rupibus aequor.
Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:
Ut maris Aegaei medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullae tamen aequore rupes
Emineant; vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit caesis innectere vincula silvis,
Roboraque immensis late religare catenis.
Tales fama canit tumidum super aequora Xerxem
Construxisse vias, multum quum pontibus ausus,
Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum Zephyrumque timens; quum vela ratesque

657. *cum*. Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. *dum*.

(II, 469.), Luceria (II, 473.), Corfinium (478.).

659. et, quamvis omnem possederit, dolet tamen, adhuc Italiam sibi quodammodo communem esse cum Pompeio, quatenus nimirum is extremo in litore sedeat. — Rursus tamen non vult liberum illi permitti fretum; ideoque obstruit undas molibus, et aequor rupibus in mare deiectis.

663. *Cedit*, h. e. procedit, crescit. — *labor*, opus. — *cassum*, sed frustra.

664. *montes*, h. e. illas rupes, quas deiecerat Caesar, molesque. — *immiscet*, arenae absorbent illas moles.

666. *Eryx*, mons Siciliae.

667. *Gaurus*, Campaniae mons.

669. Ergo ubi moles illae non potuere resistere mari; nihil effecere.

670. *vincula silvis*, h. e. rates construere, arboribus caesis.

675. et incessit super fretum Hellesponti. Rursus maris nomini adiuncto v. *fretum*, ut I, 102. II, 578. — Non enim opinor hic significare angustias maris.

676. *Non Eurum* etc. qui, concitato mari, pontem disiecerunt. — *cum vela ratesque in medium deferret Athon*. Haec verba ab haud uno recentiorum spuria sunt indicata, ut Bentleio, Clercquio, Martyni Laguna. Ego genuina reor, licet res non ad comparationem proprie pertineat, sed contrarium verba referant, at tamen eiusdem Xerxis audaciae. Quem voluisse per medium montem Athon navigare, h. e. eum a continente abscindere, notissimum ex Herodoto. Atque hoc est: *deferre vela ratesque per medium Athon*, quem similiter eam ipsam ob rem Juvenalis *Velificatum Athon* appellat, Sat. X, 173. qui locus sane cum usu huc potest con-

In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Arctantur casu nemorum: tunc aggere multo
Surgit opus, longaeque tremunt super aequora turres.
Pompeius tellure nova compressa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per aequora bellum.
Saepe Noto plenae, tensisque rudentibus actae
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis:
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
Multifidas iaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivae placuere fugae: ne litora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba praemonitos perducat ad aequora nautas,
Praecepit sociis. Jam coeperat ultima Virgo
Phoebum laturas ortu praecedere Chelas,
Quum taciti solvere rates. Non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:

ferri. Ergo nihil inest neque insoliti, neque absoni.

677. *ora profundi*, h. e. introitus portus.

678. *casu nemorum*, arboribus caesis.

679. *tremunt*, sie schwanken; ut supra v. [illegible]. *tremulo fune*. Turres autem impositae erant illis ratibus.

680. *tellure nova*, quasi nova tellure facta, ubi antea nulla fuit. — *compressa*, praeclusos aditus portus.

682. *spargatque* etc. copias suas trans mare transiiciat. Cf III, 64. IV, [illegible]. Alii tamen de dispersis aut dispergendis Caesaris molibus capiunt, quae bellum vocentur h. l., uti vs. 712 ita possit bello accipi.

683. Pompeius naves magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat; ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque tormentis et omni genere telorum completas ad opera Caesaris appellebat, ut rates perrumperet atque opera disturbaret. — *Noto plenae*, Noto vela impellente. — *tensisque rud. actae*, non solum velis agebantur, sed etiam rudentibus trahebantur illae rates, ob magnitudinem.

684. *per claustra* sc. portus transeuntes et perrumpentes. — *fastigia*, extremas partes operum Caesaris.

686. *salo*, h. e. in salum.

690. *nautas* sc. suos, Pompeii. — *praemonitos*, quippe quos verbis praemonendos curaverat de tempore solvendi ex portu.

691. *Jam coeperat* etc. Significatur tempus post noctem mediam, ante aurorum ortumque solis, quem tum fuisse scribit poeta in Sagittario. Nam *Chelae* sunt Scorpii, *Virgo* autem ultima est ea pars Virginis in Zodiaco, quae proxime praecedit Scorpium. Ea parte exoriente Pompeius solvit portu, ideoque tenebris adhuc, fugam iuvantibus. Anni autem tempus cogitandum autumnale, ex poetae sensu, licet alii aliter sentiant.

694. *movit*; solent enim nautae in ancorarum evulsione acclamare sibi

Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. Jam Phoebum urgere monebat
Non idem Eoi color aetheris, albaque nondum
Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris:
Et iam Pleias hebet, flexi iam plaustra Bootae
In faciem puri redeunt languentia coeli,
Maioresque latent stellae, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. Pelagus iam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quae, quum super aequora toto
Praedonem sequerere mari. Lassata triumphis
Destituit Fortuna tuis. Cum coniuge pulsus,

722. *flexi*. Sic C. Ae. b. c. d. — V. *fessi*.
728. Sic C. Ar. Ae. d. — V. *Descivit*.

discedere et rursus collidi videbantur.

717. *Rapta*, amissa parte puppis. — *minor* sc. facta, h. e. imminuta parte sui. — *subducta est*, evasit ex istis montibus.

718. *pontum*, non navem, quasi elusa.

719. *et statura redit*, et dissiluit rursus post collisionem, *statura*, h. e. in posterum firma mansura, nec amplius nautas vexatura. Sic enim fato destinatum fuerat, si una navis salva transisset. De re vide Apollon. II, 606. Valer. Flacc. IV, 708. Interpunctio potest ea fieri, quam fecimus, ut apodosis sit: *Cyaneas t.* reliqua autem adiiciantur his. Quodsi post *cautes* comma ponatur, tum asyndeton erit, supplendaque copula ad *rapta*. — *Jam Phoebum*. Jam color coeli in Oriente mutatus admonebat, Solem *urgere*, h. e. adventare, approperare; *urgere* autem sc. noctem, h. e. premere, propellere noctem, ut Hor. Epod. 17, 25. *urget diem nox, et dies noctem*.

721. *propioribus*, ad horizontem Orientis.

723. *Plaustra Bootae languentia redeunt in faciem puri coeli*, h. e. evanescunt in coelo puro, h. e. unicolori, nullisque stellis distincti.

726. *Non ea fata ferens*, non ea cum felicitate navigans, qua olim; non victor, sed fugiens.

727. *Praedonem*, bello Piratico.

728. *destituit* sc. te. Sic autem legitur in longe plerisque optimisque codicibus, habueruntque in textu tantum non omnes editiones, ante Grotium, qui primus dedit *Descivit* ex uno alterove codice, ideo quod non additus legatur accusativus obiecti in contextu orationis. Verum ad ipsum etiam *Descivit* criticus non animadvertit supplendum esse cogitatione *a te*, quo perfecta plenaque reddatur dictio; deinde dubium esse omnino non debuit, obiectum in talibus posse omitti, praesertim quum ipsum verbum *destituere* in ipso Nostro infra pariter nullo accusativo adiecto legatur. Ita enim ille libro V, versu 302: *Sic eat, o Superi: quando pietasque fidesque Destituunt, moresque* etc. Atque similiter *deserere* legitur sine accusativo apud Livium VII, 25. *Quando socialis exercitus desereret*, et apud Senecam de Ira II, 10.

Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens, populis comitantibus, exsul.
Quaeritur indignae sedes longinqua ruinae.
Non, quia te superi patrio privare sepulchro
Maluerint, Phariae busto damnantur arenae:
Parcitur Hesperiae; procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

Ubi totus deseruit exercitus. Sic Noster *arcere* posuit sine accusativo II, 495. Quod autem in quibusdam libris repositum deprehenditur *Descivit*, id eam ipsam ob rationem iudicandum est olim iam illatum esse, ob quam Grotius illud suo textui inferendum esse censuit.

731. *sedes l. ruinae.* Intellige Aegyptum, in qua moreretur. — *Quaeritur* sc. a fatis. Navigas ideo, quia fata volunt te non in Italia, sed in remotissima terra mori.

733. *Phariae*, h. e. Aegyptiacae. Cf. 636. — *damnantur*, destinantur sceleratae caedi et tristi sepulcro tuo, quasi infortunio sibi futuro.

736. *immaculata*, h. e. non maculata sanguine sui Pompeii.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER TERTIUS.

SUMMARIUM.

Pompeio naviganti in somnio apparet Julia, uxor quondam eius, cruentumque fore bellum praedicit. — 35. Appellit ad Epirum Pompeius. — 45. Caesar Curioni mandat, ut ex Sicilia annonam procuret. — 70. Deinde Romam tendit. — 97. Romae timor. Senatus Caesari obnoxius. Unus Metellus tribunus se opponit aerarium spoliaturis. — 133. Minatur ei Caesar. — 140. Cotta Metellum ad cedendum hortatur. — 152. Aperitur templum, aerariumque inde profertur. — 168. Interim Pompeius copias ex Graecia Asiaque cogit; quae recensentur. — 297. Caesar in Hispaniam iturus ad Massiliam tendit, quae fida manserat Pompeio. — 303. Mittunt Massilienses legatos ad eum, civile bellum deprecantes. — 357. Caesar tamen Massiliam obsidet. — 374. Describuntur munitiones. — 398. Lucum iubet Caesar excindi sacrum, cogitque ipse renuentes milites. — 452. Caesar in Hispaniam proficiscens, Trebonio mandat oppugnationem. Agger iacitur; pugnatur; acceditur ad muros; vinea agitur. — 496. Erumpunt noctu Massilienses, hostesque profligant terra. — 508. Igitur mari res tentatur. Brutus adest cum classe. — 537. Navalis fit pugna. Ea uberius per singula facinora describitur. — 751. Vincuntur Massilienses, Brutusque victor evadit.

Propulit ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates movere profundum,
Omnis in Jonios spectabat navita fluctus:
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum litora numquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.
Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis. Diri tum plena horroris imago
Visa caput moestum per hiantes Julia terras

6. *cacumen* sc. montium.

9. *diri* etc. Constr. cum imago horroris plena, videlicet Julia, visa est caput suum per terrae hiatum extollere, h. e. ex Inferis prodire.

Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.
Sedibus Elysiis campoque expulsa piorum
Ad Stygias, inquit, *tenebras manesque nocentes*,
Post bellum civile trahor. Vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.
Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor: in multas laxantur Tartara poenas.
Vix operi cunctae dextra properante sorores
Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.
Coniuge me laetos duxisti, Magne, triumphos:
Fortuna est mutata toris: semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos,
En nupsit tepido pellex Cornelia busto.

18. *cunctae*. Sic V. — C. *iunctae*.
23. *En nupsit*. Sic C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *Innupsit*.

11. *et accenso* etc. Consentiunt libri omnes, nec quidquam mutandum. Apparuit Pompeio Julia, aperta terra escendens, deinde stans supra rogum accensum suum, qualis olim flagrarat. Stabat autem *furialis*, nam et minatur in sequentibus, se eum persecuturum, ubicunque sit futurus, quippe quod permissum sibi sit a regibus silentum, vs. 29.

12. *expulsa*, videlicet non a piis expulsa vi, tamquam poenam meruisset, sed excita quasi per furias belli civilis, sponte sua reliquit sedes piorum, et in Tartara venit, ubi vidit Furias Parcasque, et adiit reges silentum, ut sibi permitterent Pompeium persequi.

13. *manesque nocentes*, h. e. ad eum in Inferis locum, ubi nocentium h. e. damnatorum umbrae puniuntur, quia ibi et reges inferorum versabantur, et exitus erat ad superos.

14. *Post bellum civile* sc. ortum, ex quo vos coepistis bellum civile, seu: orto civili bello. Sic *Post me Roma ducem* II, 635. i. e. q. ex quo tempore ego victor exercitum in iis regionibus ductavi, et III, 233. *post Tethyos aequora*, ubi v. n. — Jam vero legat aliquis longas Bentleii aut Clercquii van Jever adnotationes, et animadvertat, quam frustra illi doctissimi homines se torserint in loco perspicuo facilique, si modo memineris poetam loqui et Lucanum. *Post* autem significare *ex quo*, *scit*, dubium non erit gnaro dictionis *post homines natos*, *post hominum memoriam*, aut scienti *postquam* frequenter esse i. q. *ex quo*. — *tenentes* sc. lampadas.

16. *innumeras*, quippe una non sufficiente aut suffectura.

17. *laxantur*, dilatantur.

19. *sufficiunt;* iam enim cogitantur rumpere stamina eorum, qui morituri sint in preeliis belli civilis futuris. *cunctae* autem, quia una non sufficit rumpendis staminibus. Vulg. *cunctae* non mutandum erat in *iunctae*, quod fecit Cortius cum Heinsio. Sic *cunctae* de ternario numero occurrit IV, 431. Cf. et IV, 546.

21. *potentes*, proceres. Nam ante Pompeium Cornelia Crassum duxerat. Cf. de ea re, quae ipsa infra Cornelia de se, VIII, 90.

23. *tepido busto* sc. meo, aut Crassi; quum bustum meum aut

Haereat illa tuis per bella, per aequora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Caesarque dies, et Julia noctes.
Me non Lethaeae, coniux, oblivia ripae
Immemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi. Veniam, te bella gerente,
In medias acies. Numquam tibi, Magne, per umbras
Perque meos manes generum non esse licebit.
Abscidis frustra ferro tua pignora. Bellum
Te faciet civile meum. Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
  Ille, dei quamvis cladem manesque minentur,
Maior in arma ruit, certa cum mente malorum.
Et, *quid*, ait, *vani terremur imagine visus?*
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil. Titan iam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet lunae, seu plena futura est,

33. *Abscidis*. Sic C. Ar. d. — V. *Abscindis*.

Crassi adhuc tepidum esset, h. e. intra legitimum decem mensium spatium. — *pellex*, quasi pellex, quia intra legitimum temporis spatium nupserat, quum adhuc Juliae quasi esset Pompeius. Sic se ipsam vocat pellicem VIII, 104.

24. *Haereat*. Comitabatur enim Cornelia Pompeium.

25. *rumpere*, turbare, somnos non securos.

26. *vacuum*, tutum, securum.

27. *teneat*, occupet. — *Caesar dies* sc. vestros, suppl. proeliis. — *Julia noctes*, sc. somniis animos vestros perturbans, vosque exagitans.

30. *sequi*, te persequi.

32. *generum non esse:* Tu semper memineris, te esse generum Caesaris, cuius ego filia.

33. *tua pignora*, frustra abscidisti tuam cum Caesare affinitatem.

34. *te faciet meum;* mortem ei praedicit, quemadmodum etiam ipse Pompeius accipit, quod patet ex vs. 39. 40.

35. *per amplexus*, dum ille tentat eam amplecti. — *trepidi*, trepidantis, approperantis, festinantis ad eius amplexum. Nihil autem cogitandum de metu aut terrore. Sic *trepidum agmen* II, 392. cf. ib. 462. *trepidus Libo*.

36. *manes* de interitu intellige, ut sit accusativus, non nominative accipiatur. Atque cod. Lips. *d* habet *mortem* pro *manes*.

37. *Maior* i. animosior. — *certa cum mente malorum*. Sic II, 524. *rue certus*. Duplex autem significat: certum fuisse consilium Pompeii, bellum civile persequendi; atque hinc praep. addita *cum*. Deinde vero certus erat, sibi mala imminere.

39. *a morte*, h. e. post mortem. Philosophumenon autem hoc notissimum ex Cicerone.

41. *tantum* etc. h. e. coeperat mergi undis.

Seu iam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles: legere rudentes,
Et posito remis petierunt litora malo.
  Caesar, ut emissas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classes, et litore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Laetificat Magni: queritur quod tuta per aequor
Terga ferant hostes. Neque enim iam sufficit ulla
Praecipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. Tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,
Gnarus et irarum caussas, et summa favoris
Annona momenta trahi. Namque adserit urbes
Sola fames, emiturque metus, quum segne potentes
Vulgus alunt. Nescit plebes ieiuna timere.
Curio Sicanias transcendere iussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, et medias fecit sibi litora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Aequora, ne rupti repetant confinia montes.

43. *hospita tellus*, Epirus.

44. *legere*, collegerunt, complicarunt.

45. Et posito malo, litora remis petiere, ut fit in portu.

46. *ut emissas* etc. ut vidit, naves Pompeii portu evasisse, ventoque secundo ferri, utque classis disparuit in horizonte, et quasi occidit.

52. *Ut bellum differret.* Non satis erat Caesari, vicisse, nisi persequi posset bellum civile. — *Tunc*, tunc tamen, quoniam sibi cupiebat concire amores populi, expulit curas armorum.

54. *Quoque modo*, supple ante: *et intentus*, *quo modo vanos* etc. Pro *vanos* quidam ed. *varios* i. e. mutabiles. Sed et *vanos* idem significat.

55. *gnarus*, i. e. probe sciens, summa momenta favoris annonâ trahi, quemadmodum et irarum caussas inde nasci. Nam deficiente annona, ad iram facile plebs accenditur; contra autem, qui illam populo largitur, facile sibi eius amorem conciliat. Verba *momentum* et *trahi* a libra videntur esse depromta.

56. Nam ut urbes potentibus concilientur, sola aut praecipue efficitur fame, videlicet ubi potentes annonam largiuntur, eoque famem depellunt; atque sic, dum vulgus alunt, potentes sibi *metum emunt*, h. e. efficiunt, ut metuat populus, obsequiumque praestet.

58. *nescit* etc. Nam plebs esuriens non timet, sed audet insurgere contra potentes.

59. *transcendere*, transire fretum Siculum.

60. *Qua m.* Nam cohaesit olim Sicilia Italiae isthmo, aut obruto undis aut absciso.

61. *medias terras*, h. e. quae olim mediae fuerant, h. e. continens.

63. *repetant confinia*, h. e. rursus coëant.

Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullae,
Nec Romana magis complerunt horrea terrae.
Ubere vix glebae superat, cessantibus Austris,
Quum medium nubes Borea cogente sub axem
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.
Haec ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriae. Pro, si remeasset in Urbem,
Gallorum tantum populis Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa praemittere pompa,
Quas potuit belli facies! Ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! Celsos ut Gallia currus
Nobilis, et flavis sequeretur mixta Britannis!
Perdidit o qualem vincendo plura triumphum!
Non illum laetis vadentem coetibus urbes,
Sed tacitae videre metu. Non constitit usquam
Obvia turba duci. Gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.

64. *Bella* h. e. naves bellicae. Sic enim aperte hic accipiendum, ut et II, 682. pariterque hic, ut illic, *sparguntur* est: *ire iubentur*, *mittuntur*. Male autem de vero bello intellexerunt intt. Sensus enim est: Non in Siciliam tantum frumenti caussa mittit Caesar naves, sed etiam in Sardiniam.

66. Nec ulla terra longinqua messibus suis magis complevit Hesperiam et Romana horrea, quam illae duae insulae. Verbum *longinquis*, messibus adiectum, proprie ad *terras* pertinebat, pari hypallage adiuncti, atque quam vidimus II, 270. 590. 397. 408. et de qua diximus in adn. critica ad IX, 656. Sub *terris* autem int. terras in continenti sitas; hae enim opponuntur illis duabus insulis.

68. *superat* sc. illas insulas Aegyptus, aut Africa. — *Austris*. Austri enim in Africa serenitatem faciunt.

69. *Boreas* contra ibi nimbos efficit, nubesque cogit *sub medium axem*, h. e. in partem mundi meridionalem. De axe cf. II, 586. III, 359. Significat enim regionem mundi.

70. *magnum annum*, h. e. multum annonae, frumenti.

74. *Arcto* h. e. populis versus Arctum sitis.

75. Quam longum duxisset triumphum, signis victoriarum suarum praelatis.

76. *facies*, imagines urbium expugnatarum. — *vincula daret Rheno*, vinctos catenis duxisset captos ibi populos.

77. *Oceanoque*, et Britannos duxisset trans Oceanum sitos.

79. *plura vincendo* sc. praeter illos populos Arctoos et exteros. Quod enim Pompeium quoque vicerat, caussa erat, quare non triumpharet. Nam in libero reipublicae statu nemini permissum erat ex bello civili triumphare.

82. *gaudet* sc. Caesar, se esse tam magno timori.

83. *non mallet amari* sc. potius quam timeri. Usurpatum

Jamque et praecipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pontinas via dividit uda paludes,
Qua sublime nemus, Scythicae qua regna Dianae;
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam:
Excelsa de rupe procul iam prospicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli:
Miraturque suae, sic fatus, moenia Romae:
Tene, deûm sedes, non ullo Marte coacti
Deseruere viri! Pro qua pugnabitur urbe?
Di melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec iuncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admixtus: habenti
Tam pavidum tibi, Roma, ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit. Sic fatur, et urbem
Adtonitam terrore subit. Namque ignibus atris
Creditur, ut captae, rapturus moenia Romae,
Sparsurusque deos. Fuit haec mensura timoris:
Velle putant, quaecumque potest. Non omina festa,
Non fictas laeto voces simulare tumultu:

88. *prospicit.* Sic Ae. C. — V. *conspicit.*
101. *quaecunque.* Sic Ar. Ae. — C. V. *quodcunque.* — V. *non omnia. f.* — C. *omina.*

ab eo et Cicero scribit illud *Oderint, dum metuant.*

86. *Qua sublime nemus,* nemus Aricinum, in quo colebatur Scythica Diana. Cf. VI, 74. Ex Tauride eo translata ferebatur ab Oreste. Cf. Strabo lib. V. Solin. c. 8. Suet. Calig. 35. Ovid. Met. 14, 331.

87. Et qua ad Albam longam eunt Consules, sacrificatum in Latinis feriis Jovi Latiali. Cf. I, 550.

89. *Arctoi,* Gallici.

92. *pro qua pugnabitur urbe?* Sensus: si non pro Roma pugnandum est, pro nulla pugnandum est urbe in posterum.

93. *di melius* sc. egere nobiscum; gratia diis est habenda, quod etc. Cf. II, 537. III, 111. — *Eous,* hostis aliquis ex orientali terra, Parthi, Scythaeve.

96. *ducem,* sc. qualis est Pompeius.

97. *Quod b.,* quod non externus hostis contra Romam venit, sed civis, cum exercitu.

98. *Namque ign. atris* etc. Nam crediderunt Romani, Caesarem flamma ferroque omnia esse vastaturum, tamquam si expugnasset urbem.

100. *Sparsurusque deos,* et ipsa deorum templa et simulacra eversurus. — *haec mensura:* in tantum timebant, ut putarent, eum velle, quaecunque posset.

101. Vulgata: *non omnia festa;* at haec centies permutata, certissimum; atque Tacit. Ann. V, 4. *festis in Caesarem ominibus.* Intelligendae sunt precationes, salutationes, gratulationes, quae plerumque in omina trahuntur. Constructio: Non vacat Romanis, (h. e. non operam dant) omina festa aut fictas voces simulare, imo nec odisse vacat. Sic omni expertes quasi erant vel laetitiae vel odii sensu.

Vix odisse vacat. Phoebea palatia complet
Turba Patrum, nullo cogendi iure senatus,
E latebris educta suis. Non consule sacrae
Fulserunt sedes: non proxima lege potestas
Praetor adest: vacuaeque loco cessere curules.
Omnia Caesar erat. Privatae curia vocis
Testis adest. Sedere Patres censere parati,
Si regnum, si templa sibi, iugulumque senatus,
Exsiliumque petat. Melius, quod plura iubere
Erubuit, quam Roma pati. Tamen exit in iram,
Viribus an possent obsistere iura, per unum
Libertas experta virum: pugnaxque Metellus
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit gressus, et Caesaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reseratae constitit aedis.
(Usque adeo solus ferrum mortemque timere

103. *Phoebea p.* Convocavit Caesar senatum in Apollinis aedem in Palatino monte sitam.

104. *nullo c.*, h. e. quum non ei esset ius convocandi senatus, quod solis Consulibus competebat.

106. *sedes* sc. curules. Nec consules autem nec praetores aderant, quippe militantes in Pompeii castris. — *proxima*, nam praetores proximi sunt dignitate post consules.

107. *vacuaeque* etc. ipsae amotae fuerunt sellae curules.

108. *Omnia*, instar omnium magistratuum curulium, videlicet Consulum, praetorum, Censorum et Aedilium. — *Curia*, h. e. Senatus. — *privatae vocis* h. e. dictorum iussorumque Caesaris, utpote privati hominis, non consulis.

109. *testis*, auscultator tantum, non consultor. — *censere* h. e. iubere, confirmare iussa Caesaris.

110. *regnum.* Cf. 1, 529. II, 563.

111. *Melius* h. e. Bene actum erat de Roma. Cf. ad II, 587. et III, 93.

112. *Erubuit* sc. Caesar. — *Tamen* etc. Constructio: Neque eo minus tamen Libertas, experta per unum virum, an iura possent obsistere viribus, in iras exiit, h. e. libertas effecit ut irae orirentur inter Caesarem et Metellum tribunum, aerarium aperiri vetantem.

114. *pugnax*, obsistens Caesari. Sed et pugnacem fortemque virum sese olim praebuerat, Syllanis temporibus, quum Celtiberiae praeesset.

115. *ingenti mole*, instrumentis, securibus adhibitis. — *revelli*, impelli, ut effringantur. — *Saturnia t.* In templo enim Saturni asservabatur aerarium publicum; Appianus autem narrat, execratione facta cautum fuisse ab Romanis, ut, nisi Celtico insurgente bello, ab nullo isti thesauri promerentur; sed Caesarem, quoniam ipse vicerit Celtas, ideo ab se ratum legem esse abrogatam.

117. *reseratae*, nondum effractae.

118. Hoc vult in parenthesi poeta: Ergo aurum hic, vilissima res, solum effecit, ut aliquis vitae cum periculo Caesari restaret, quum de legibus et de

Auri nescit amor. Pereunt discrimine nullo
Amissae leges: sed, pars vilissima rerum,
Certamen movistis, opes) prohibensque rapina
Victorem, clara testatur voce Tribunus:
Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
Sparsas, raptor, opes. Certe violata potestas
Invenit ista deos: Crassumque in bella secutae
Saeva tribunitiae voverunt proelia dirae.
Detege iam ferrum: neque enim tibi turba verenda est,
Spectatrix scelerum: deserta stamus in urbe.
Non feret e nostro sceleratus praemia miles:
Sunt quos prosternas populi, quae moenia dones.
Pacis ad exhaustae spolium non cogit egestas:
Bellum Caesar habes. His magnam victor in iram

127. *voverunt.* Sic Ae. C. b. c. d. — V. *noverunt.*

libertate nemo voluerit in certamen prodire. Auri solus amor aut respectus impulit hic aliquem, ut repugnaret Caesari, non leges aut respublica eversa et pessumdata.

119. *discrimine nullo*, nullo vindicante.

122. *victorem*, i. Caesarem. — *testatur*, i. palam et coram testibus alloquitur.

123. *per nostrum latus*, i. e. per meum.

124. *sacro*, sc. meo, tribuni.

126. *ista*, i. e. haec mea, videlicet tribunitia. — *invenit*, invenire solet, aut: inveniet. — *deos* sc. ultores. — *Crassumque*. Constr. et dirae Tribunitiae, Crassum in bella secutae, voverunt praelia saeva, h. e. effecerunt, ut Crassus a Parthis praelio caederetur. Impetitus enim fuerat diris et execrationibus Atteii tribuni.

127. Pro *voverunt* Vulg. *neverunt*; al. *moverunt*. Illud unice probandum. Sic enim Florus de hac ipsa re: *exeuntem ducem diis hostibus Metellus devoverat*. Et Cicero de Divinatione libro I: *M. Crasso quid acciderit videmus dirorum obnunciatione neglecta*. Noluit autem Tribunus Crassum contra Parthos ire, quippe nihil mali meritos et Pop. R. foederatos.

128. *detege ferrum*, suppl. et me occide.

130. *e nostro* sc. aerario, ex aerario reipublicae. — *sceleratus*, h. e. victor ex bello civili.

131. *Sunt quos* etc. Age, bellum gere contra populos exteros, et ex illorum spoliis milites tuos dona.

132. *Pacis* etc. egestas non cogit te ad exhauriendas pacis opes, tamquam si spolia sint. — *exhaustae*, praeteritum pro futuro. Cf. II, 176. 342. — *spolium pacis*, quasi spolium de pace aut de republica pacata, qualis erat tunc, aut esse debebat. — *non cogit* sc. te. — *egestas*, non es ita pauper, ut cogaris etc.

133. *bellum habes*, sunt quos prosternas populi, quae moenia dones, in Germania, Britannia. — Potest etiam sic: Non cogit te ad spoliandum aerarium egestas pacis exhaustae, h. e. publicum malum, publica penuria, quae potest pacis tempore accidere, quum populi per annonae

Vocibus accensus: *Vanam spem mortis honestae*
Concipis: haud, inquit, *iugulo se polluet isto*
Nostra, *Metelle*, *manus*. *Dignum te Caesaris ira*
Nullus honos faciet. Te vindice tuta relicta est
Libertas? Non usque adeo permiscuit imis
Longus summa dies, *ut non*, *si voce Metelli*
Servantur leges, *malint a Caesare tolli.*
Dixerat, et, nondum foribus cedente tribuno,
Acrior ira subit: saevos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam. Tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere coepto.
Libertas, inquit, *populi*, *quem regna coercent*,
Libertate perit; cuius servaveris umbram,
Si, *quidquid iubeare*, *velis*. *Tot rebus iniquis*
Paruimus victi: venia est haec sola pudoris,
Degenerisque metus, *nil iam potuisse negari.*
Ocius avertat diri mala semina belli.
Damna movent populos, *si quos sua iura tuentur.*

150. *avertat*. Sic Av. Ae. C. — V. *avertant*.

caritatem sunt exhausti. Verum si vel cogat, non oportet te ex aerario sumere; nam sunt hostes, e quibus spolia reportare possis.

134. *honestae*, a manu mea.

135. *isto* sc. tuo.

137. *honos*, tribunitius. — *te vindice* etc. Tune existimas, te quasi unicum libertatis esse assertorem, ut quae ab omnibus aliis sit relicta, quum fugerent ex urbe. Videlicet quod Metellus ante dixerat: *deserta stamus in urbe.*

138. *Non eo usque* longus dies summis ima permiscuit, h. e. non usque eo vetustas, aetas, aevum omnia pervertit et perturbavit.

140. Sensus: Status reipublicae, qui futurus est ordinante Caesare, si vel leges ille everterit, melior erit tamen, quam status eiusdem, si Metellus libertatem legesque vindicaverit.

143. *Oblitus* etc. Nam, ut vs. 72. poeta refert, *pacis habentia vultum agmina* duxerat. — *Cotta*, item tribunus, collega Metelli.

145. *regna*, singulorum dominationes. Sic I, 529. II, 563. III, 110.

146. *Libertate perit*, nimia loquendi aut agendi libertate plane evertitur.

147. *tot rebus iniquis*, quae praeter leges his temporibus gestae sunt vel a Pompeio vel Crasso aut Caesare, aut antea a Sylla Marioque.

148. Pudorem hic idem esse quod metum, ex seqq. aperte patet.

149. *potuisse negari* sc. a nobis Caesari, videlicet propter vim ab eo illatam.

150. *Ocius* etc. Auferat Caesar thesauros istos, ut pacem ab eo habeamus. Nam ob pecunias pleraque dissidia oriuntur.

151. *Damna* etc. Populi liberi, quos iura sua tuentur, qui solis sub legibus a se ipsis latis sunt, merito moventur et ad renitendum vindicandumque in-

Non sibi, sed domino gravis est, quae servit, egestas.
Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores; tunc conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi praeda Philippi:
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quidquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiae populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super aequora Cypro.
Tunc orientis opes, captorumque ultima regum
Quae Pompeianis praelata est gaza triumphis
Egeritur: tristi spoliantur templa rapina;
Pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.
Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in proelia moverat urbes.
Proxima vicino vires dat Graecia bello.
Phocaicas Amphissa manus scopulosaque Cirrha,

156. Ac. C. b. d. *non tactus.* — V. *intactus.*

stigantur, si periclitatur aerarium suum publicum, aut damnum patitur. At nos iam non sumus liberi. Cedendum est ergo.

152. *Non sibi* etc. Caesar non gaudebit hoc facto, videlicet quod pauperem reddidit populum Romanum, ab se in servitutem redactum. Nam paupertas populi servientis non sibi h. e. populo, est exitio, (quid enim amittere possit pauper populus?) sed ipsi domino. Haud enim deerunt, qui facile in eum insurgant atque conspirent.

153. *templa*, Saturni, ubi aerarium.

155. *imo templo*, sanctiori aerario.

158. *Perses*, Maced. rex, ab Aemilio Paulo victus. — *Philippus*, Persae pater. a Tito Flaminio subactus.

159. *trepidante*, festinante.

160. *non vendidit.* Illud aurum, quo corrumpere voluerat Fabricium Pyrrhus, quodque Pyrrhus fugiens reliquit in Italia.

164. Missus in Cyprum Cato contra Ptolemaeum, advexit septem M. talentorum.

165. *ultima gaza*, h. e. ex remotissimis terris, Pontici Mithridatis, Tigranis Armenici, Aristobuli Judaici.

168. *Caesare* h. e. quam Caesar, antea multum aere alieno pressus.

169. Constr. Fortuna Pompeii per totum orbem in proelia moverat urbes, secum casuras, h. e. idem passuras exitium, quod ipsa fortuna Pompeii.

171. *vires dat*, milites mittit.

172. *Amphissa*, oppidum Phocidis. — *Cirrha*, opp. ad Parnasum.

Parnassusque iugo misit desertus utroque.
Boeoti coiere duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephisos aqua, Cadmeaque Dirce,
Pisaeaeque manus, populisque per aequora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Maenala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Oeten.
Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Selloe.
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguae Phoebea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinae.
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma

173. *iugo utroque*, Tithoreo et Hyampeo, quae due sunt cacumina Parnasi.

175. *Fatidica*. Nam oritur ex Phocide, ubi Apollinis oraculum.

176. *Pisaeae*, e Pisis, opp. Elidis. — *per aequora*. Nam Alpheus subter mare credebatur ex Peloponneso in Siciliam ferri ad Arethusam fontem.

179. *quercusque* etc. Constr. Et veteres Selloe liquerunt quercus silentes vertice Chaonio. Dodonaeae enim quercus non amplius responsa tum dabant, fugatis columbis fatidicis. De Sellis vide Soph. Trach. 1183. Hom. Il. XVI, 234. et Strab. lib. VII.

180. *Chaones* sunt Epirotae.

181. *Quamvis* hic cum indicativo constructum, sensusque est: Quamvis delectus propter Pompeium factus totas Athenas exhauserit, tres tamen exiguae (h. e. paucae) restiterunt in Piraeo naves, eaeque postulant, ut credatur, vere olim ab Atheniensibus ad Salamina devictas esse Persarum copias. *Phoebea* navalia Piraeum credunt vocari, quia Minerva portum Phoebo, ut Areopagum Marti sacraverit. Et sane plures portus Apollinis habuere sacraria, ut Taenarum, Apollonia, Delos, Zarax in Laconica, Rhodus. Alii malunt legi *Piraea*, et sane ed. Petri de Ponte nec non Lugdunensis habent *Pirena*. Utcunque autem, certe Piraeus intelligendus est. Alii tamen, ut Burmannus, *Phoebea navalia* intellexere portum Actiacum Apollini sacratum, (Cf. Virg. Aen. III, 275.) et existimarunt describi hic deplorabilem Athenarum qui tunc fuerit statum, quae non plus quam tres exiguas carinas ad Pompeium in Portum Actiacum potuerint mittere, quamvis totae exhaustae illo delectu, licet non nisi delectus fuerit. — λῆροι λήρων! Imo maximas plurimasque miserant naves copiasque. Retinuerant autem nonnisi tres puppes exiguas, h. e. paucas numero, quae quasi immerito videbantur postulare, veram credi Salaminiam pugnam. Tres autem erant Athenis naves publicae, quae cogitari possint in portu remansisse: *Theoris*, quae Delum quotannis vehebatur, *Paralos*, qua mittebantur Delphos aut alio rem divinam facturi, ut refert Scholiastes Aristophanis, et *Salaminia*, quae evocatos ad iudicium subvehebat, commemorata Plutarcho Pericl. 7.

Creta vetus populis, Cnososque agitare pharetras
Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, et vagus altis
Dispersus silvis Athamas, et nomine prisco
Encheliae, versi testantes funera Cadmi,
Colchis et Adriacas spumans Apsyrtis in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Aemoniam vomer proscindit Jolcon.
Inde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato litore gentes,
Primaque cum ventis pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus, fatisque per illam
Accessit mors una ratem. Tunc linquitur Aemus
Thracius, et populum Pholoë mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo
Bistonias consuetus aves, et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput adluit Istri:
Mysiaque, et gelido tellus perfusa Cayco

185. *Gnososque.* Sic C. b. — V. *Gnossasque.* — Ar. Ae. *Gnosisque.* — 190. *Absyrtis* C. — V. *Absyrtos.*

185. *Gnosos*, in insula Creta urbs.

186. *Gortyna*, itidem in Creta. — *Eois*, velut Parthorum.

187. *Oricon* in Epiro urbem maritimam, olim ab Heleno et Andromache Dardanis regnatam. Virg. Aen. III, 294.

188. *Athamas* sc. populus, Athamanes, montes Epiri incolentes.

189. *Encheliae*, Illyrii populi, quorum urbs Cadmi et Hermiones in serpentes conversorum est monumentum. ἔγχελυς anguilla, *longae cognata colubrae*, ut ait Juvenalis.

190. *Absyrtis*, insula cum flumine cognomine sub Illyrico. Al. *Absyrtos.* — *Colchis* adiectivum est ad *Absyrtis*, et Absyrtis ipsa dicitur spumare in undas, quippe fluvium suum in eas emittens. Cf. IV, 405. I, 371.

193. *Inde*, ab Jolco Thessaliae, unde profectus Jason. — *lacessitum*, tentatum, quasi pulsu remorum ictum.

194. *miscuit;* coniunxit inter se gentes ignotas sibi antea, h. e. Graecos et Colchicos. — *temerato litore*, violato per Absyrti caedem et Medeam patri raptam.

196. *composuit*, quasi commisit, ut certarent.

197. *mors una*, naufragium accessit reliquis mortis generibus ex eo inde tempore.

198. *Pholoe* etsi Plinio est Arcadiae oppidum, tamen hic regionem Thessaliae intelligendam esse inde patet, quod Centauri ibi vixisse crediti adiiciuntur.

199. *tepido comm.* etc. Grues enim hiemis adventu inde abeuntes Nilum petunt.

200. *Cone*, insula ad Istri ostia.

202. *unum caput*, ex septem aut sex, quibus influit in Pontum Euxinum, ostiis.

Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe.
Quique colunt Pitanen, et quae tua munera Pallas
Lugent damnatae Phoebo victore Celaenae:
Qua celer et ripis descendens Marsya rectis
Errantem Maeandron adit, mixtusque refertur:
Passaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon: qua culta secat non vilior Hermus.
Iliacae quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis: nec fabula Troiae
Continuit, Phrygiique ferens se Caesar Juli.
Accedunt Syriae populi; desertus Orontes,
Et felix, (sic fama) Ninos: ventosa Damascos,
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume.
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
Has ad bella rates non flexo limite ponti,

207. Ar. et Ae. *Qua celer ereptis descendens Marsya ripis*, quod Sulp. int. *non enim habet Marsya ripas, nullam alvei concavitatem.* Vulg. *Qua c. erectis desc. M. ripis.* — b. c. d. *et rectis.* Sed quatuor Cortii: *et ripis — rectis*, quod dedimus. Cf. Claud. in Eutr. II, 261.

204. *Idalis tellus*, a monte Ida. — *glebis exilis*, sterilis.

205. *Pitanen*, Troadis oppidum.

206. *lugent.* Celaenis enim Marsyas, qui inventis quas Pallas abiecerat tibiis fretus, Apollinem ad certamen provocaverat, ab eo victus et excoriatus est.

207. *Marsya* fluvius rectas magis habuit ripas, opponiturque ideo Maeandro, maxime omnium flexo et curvato.

208. *mixtusque* sc. cum Maeandro, *refertur*, quasi retrogradus referri videtur, ob ambages quas facit Maeander.

209. *tellus passa*, Lydia, ubi oritur Pactolus in Timolo monte. Passa autem dicitur, quia eo iacturam facit auri.

210. *Hermus*, idem Lydiae fluvius. — *qua*, h. e. in qua terra. — *culta*, h. e. agros egregie cultos. — *non vilior*, sc. Pactolo. Nam ipse quoque aurum secum fert.

211. *signa*, sc. Pompeii petiere. — *peritura*, cladem passura.

212. *ominibus suis*, h. e. mala fortuna, Troianis quasi propria, quippe vinci solitis. — *nec fabula Troiae*, nec narratio de Troia urbe olim excisa, quae a multis fabula esse creditur, eos retinuit, quin Pompeium sequerentur.

213. *ferens se* etc. nec eos retinuit illud, quod Caesar genus suum deducebat ab Julo, Aeneae filio, ipso quoque Troiano.

215. *felix*, dives opum. — *sic fama;* supple *olim* ad *felix*. Hoc enim innuitur illa famae appellatione. Inepte alii: (*scit fama*,). — *ventosa*, in altiori sita, ut Ἴλιον ἠνεμόεσσα apud Homerum. Cortius de ventositate in moribus accipit. Male. Bentleius *prunosa* malit, quia prunis clara fuerit. Haud multo melius, ut ego opinor.

217. *instabilis* ob terrae motus ibi crebros.

218. *Has ad b.* etc. Has Phoenicum naves recta via, non fle-

Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signasse figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum volucresque feraeque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
Mallos, et extremae resonant navalibus Aegae.
Itque Cilix iusta, iam non pirata, carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phoebo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic, ubi Pellaeus, post Tethyos aequora, ductor

227. *extremae.* Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *externae.*

xa, duxit Cynosura, *τῇ ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν*, ut Aratus habet, Phaen. vs. 39. de Cynosura. Cf. Strabo I, p. 6. 7. Manil. I, 298. Ovid. Fast. III, 107. Graeci enim Helicen sequebantur.

219. *certior haud ullis carinis*, h. e. quae nullis aliis carinis, nulli alii populo certior est, i. e. nulli fida magis est, quam Phoenicibus; *nulli alii populo tam fida est.* Sic Sil. It. 3, 665. *Cynosura regit fidissima nautis.* Manil. I, 301. *Poenis haec certior auctor.* Similem dictionem v. III, 593.

220. Phoenices inventores erant artis scribendi, ante inventam ab Aegyptiis papyrum, dum in Aegypto non nisi hieroglyphis scriberetur.

223. *et saxis.* Constr. et animalia insculpta saxis tantummodo, volucresque feraeque (sc. insculptae) servabant magicas linguas, h. e. magica verba, h. e. literas magorum, sacerdotum. Confer Ammian. XVII, 4. et XXII, 15. ubi haec: *volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, et animalium species innumeras, quas hieroglyphicas literas appellarunt.*

225. *Persea*, a Perseo condita, ut quidam tradiderunt.

226. *Corycium*, portus et specus in Cilicia, cf. Mela I, 13.

227. *Mallos*, opp. Ciliciae. — *Aegae* item opp. in Cil. Cf. Tac. Ann. XIII, 8. — *extremae*, remotae, ut alibi *ultimae*. — *navalibus*, quippe in quibus naves apparabantur, quibus copiae ad Pompeium veherentur.

228. *Cilix*, de quo cf. II, 576.

229. *Eoos*, extremi orientis.

230. *solus in orbe*, sc. extremo orientali, ubi oritur sol.

231. *solvere*, effluere in Oceanum. Ceterum in Geographicis Lucanum non ita anxium esse, saepius iam animadvertimus.

233. *Hic.* Supple ex antecedentibus: *movit Eoos bellorum fama recessus.* — *Hic* autem non est *ad Gangem*, uti vult Cortius, sed omnino *in his terris Eois.* — *Pellaeus ductor*, Alexander magnus. — *post Tethyos aequora*, h. e. postquam pervenit ad Oceanum extremum. Vide quae diximus ad II, 635. III, 14.

Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.
Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem
Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen.
Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis.
Quique suas struxere pyras, vivique calentes
Conscendere rogos. Pro, quanta est gloria genti,
Iniecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest, donasse deis! Venere feroces
Cappadoces; duri populus nunc cultor Amani,
Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten:
Aethera tangentes silvas liquere Coatrae.
Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

244. *nunc cultor*. Sic V. Ar. — Ae. C. b. c. d. *non cultor*.
247. *Coatrae* C. Ar. Ae. b. c. d. — V. *Coastrae*.

234. *magno ab orbe*. Et hic quoque Cortius de Gange somniat. Non autem ad Gangem, sed ad Oceanum est extremus orbis terrarum, ad quem quasi victus substitit Alexander. Cf. I, 369.

235. *fontem*, aquas suas. — *diviso gurgite;* duobus enim ostiis influit in mare, et, quo loco dividitur, insulam facit, Paralen dictam. Cf. Strabo lib. XV.

236. *non sentit*. Adeo ex se vastus est.

237. *Quique bibunt*. Indos innuit, qui bibunt *μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρι*, ut Arrianus scribit in Periplo maris Erythraei; saccharum expressum ex succo arundinum.

238. *Et qui tingentes*. Amant Indi colorum varietatem. Tingunt enim crines adeo, et vestes laxas suas lineas (ea enim sunt *carbasa*) coloratis gemmis adstringunt, h. e. zonis adstringunt, quae gemmis sunt distinctae. Cf. Strabo lib. 15.

240. Iidem Indi sibi ipsis struunt rogos.

242. *iniecisse manum fatis*, sibi ipsis mortem inferre.

244. *Amani*, montis Ciliciae. Cortius praetulit: *non cultor*, quasi non coluissent durum montem. Potest autem unusquisque mons coli, vel durissimus; quidni integra regio, ubi integri habitant populi? *Colere* autem esse i. q. *habitare*, non est quod moneam. Ceterum mihi haec non videntur esse per appositionem adiuncta Cappadocibus, sed separatim accipienda, ut *nunc* positum sit pro *tunc*, quod saepenumero Nostro est i. q. *porro*. Porro venit cultor duri Amani, etc. Cf. 249. 187. II, 430. I, 419. III, 653.

245. *Niphatem*, fl. Armeniae.

246. *Coatrae*, civitas ad Persiden, *ubi aëra vincere summum Arboris haud ullae iactu potuere sagittae*, ut habet Virg. Georg. II, 124. ita altae erant ibi arbores.

247. In his et sequentibus demonstrare vult, remotissimas nationes sub signa Pompeii venisse.

248. *sinistras*, sc. si versus Occidentem spectes. Sinistrae

Tunc furor extremos movit Romanus Oretas,
Carmanosque duces, quorum deflexus in Austrum
Aether, non totam mergi tamen adspicit Arcton;
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.
Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, nisi, poplite lapso,
Ultima curvati procederet ungula Tauri.
Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros

249. *Oretas.* Sic C. — V. *Olostras.* — Ar. Ae. d. *Orestas.*
250. *deflexus.* Sic Ar. — C. Ae. b. c. d. *iam flexus.* V. *devexus.*

autem umbrae sunt versus Austrum cadentes, ut fit in terris ultra aequatorem sitis, quo poeta collocat Arabes.

249. *furor*, bellum civile. — *Oretas*, extremam Indiae gentem.

250. *deflexus*, ultra tropicum Cancri iam versus Austrum declivis.

251. *non totam mergi tamen adspicit Arcton*, h. e. illi populi, qui sub isto aethere degunt, vident ursam maiorem mergi, quamvis non totam. Apud nos enim plane non mergitur.

252. *velox*. Sidera, quae non merguntur h. e. non occidunt, tarda quodammodo sunt (ut Sen. Med. 315.) et pigra (ut Claud. Rapt. Pros. II, 190.). Cf. Nostrum IV, 525. Sic Bootes apud nos tarde occidit, longiusque moratur in coelo. At apud illos citius mergitur, et per brevius noctis tempus lucet, ideoque *velox* vocatur.

253. *Aeth. solum* sc. furor movit Romanus. — *quod non pr.* Vult declarare, Aethiopes sitos esse ultra eam partem terrae, quae sub zodiaco est, nisi quod Tauri ungula Aethiopiam attingat. Similis dictio est illi: II, 416. — *Signifer polus* zodiacus est, ut alibi *signifer orbis.*

255. *procederet* sc. extra zodiacum.

257. *non diversis*, h. e. iisdem paene, eodem loco, in eadem regione scaturientibus. — *caput tollit*, i. e. oritur. Oriuntur autem in Armeniae montibus.

258. *tellus si misceat amnes*, si in aliqua regione confluant uterque. Fit autem hoc prope Babylonem, ita tamen, ut statim separentur rursus, et Mesopotamiam propriam includant. Deinque iterum iunguntur, et sub Tigridis nomine in sinum Persicum influunt. Quod igitur vere fit, hypothetice expressit poeta, quemadmodum sane ei licuit.

259. *Quod potius sit nomen aquis*, h. e. an coniuncti vocentur Euphratis nomine, an Tigridis; videlicet propter parem utriusque magnitudinem, quippe ex iisdem montibus orientium et iuxta se profluentium, (ut videtur poeta supponere.) Plerumque enim confluentibus duobus, dubium non est, quod nomen fiat aquis post coniunctionem. Etenim minor nomen perdit, maior retinet. Quoniam autem Euphrates et Tigris pares fere inter se sunt, ideo incertum etc. Ceterum non est quod moneamus de falsis et erroribus poeticis in geographia.

Fertilis Euphrates Phariae vice fungitur undae:
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Caesareas acies diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti fecisse duos. Tinxere sagittas
Errantes Scythiae populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.
Hinc Lacedaemonii, moto gens aspera freno,
Heniochi, saevisque affinis Sarmata Moschis.
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis:
Qua Croeso fatalis Halys, qua vertice lapsus
Rhipaeo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiaeque et terminus idem
Europae, mediae dirimens confinia terrae,
Nunc huc, nunc illuc, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Maeotidos egerit undas,

276. *Nunc huc, nunc illuc.* Sic Ar. b. c. d. — V. C. Ae. *Nunc hunc, nunc illum.*

Exornandi causa haec, amplificandi,-augendi adduntur, non describendi vere aut monstrandi docendique. — *Sed*, supple: alter ab altero separati fluunt, et Euphrates quidem Nilum agit in illis terris.

260. *Phariae*, Aegyptiacae, h. e. Nili vice, terras inundantis. Cf. II, 636. 733.

261. *Tigrim.* Tigris ante Euphratem exceptum, Taurum montem subterlapsus, mox ad lacum quendam in cuniculos mersus post XXV. M. passuum spatium redditus in Sinum Persicum labitur. Cf. Senec. Epist. 104. et Nat. Qu. III, 26. VI, 8. Justin. XLII, 3.

264. *Inter Caes.* Vult docere poeta, Parthos in neutrius fuisse castris. — *diversaque*, Pompeii.

265. *dubium tenuere favorem*, dubium erat, utri faverent.

266. *fecisse duos*, h. e. discidium effecisse inter Caesarem et Pompeium, videlicet caeso ad Carrhas Crasso. Cf. I, 106. sqq. — *sagittas*, sc. armantes se ad bellum civile.

267. *Bactros*, fluvius Scythiae.

269. *Heniochi* vocantur *Lacedaemonii*, quia orti ab Amphyto et Telchio Lacedaemoniis, Castoris et Pollucis aurigis, *ἡνιόχοις*. — *freno*, h. e. frenos movere docti, et asperi rudesque.

273. *diversi mundi*, Europae Asiaeque.

276. *ampliat orbem.* Ubi enim Tanais magis ad Asiam flectit, ampliatur Europa; ubi ad Europam, Asia.

277. *Quaque fretum t.* Constructio est: Qua fretum torrens (die Meerenge) egerit undas Maeotidos; ita ut Pontus Euxinus quasi auferatur tamquam gloriae pars freto Herculeo, isque (sc. Pontus) neget, Gades solas admittere Oceanum in maria mediterranea. Sic sine dubio interpungendum, ut *Pontus* non ad praecedentia trahatur, sed ad subsequentia. De

Pontus et Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanumque negat solas admittere Gades.
Hinc Essedoniae gentes, auroque ligatas
Substringens, Arimaspe, comas: hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens ieiunia belli
Massagetes quo fugit equo; volucresque Geloni.
Non, quum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Aequora cum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem. Coiere nec umquam
Tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora. Tot immensae comites missura ruinae
Excivit populos, et dignas funere Magni
Exsequias Fortuna dedit. Non corniger Hammon
Mittere Marmaridas cessavit in arma catervas:
Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,

280. *Essedoniae.* Sic C. et quidam codd. — V. *et Sithoniae.* Ar. Ae. *et Sidoniae*, ut b. c. d.
290. *missura.* Ar. C. Ae. b. c. d. — V. *mixtura.*

interpretibus, ut Oudendorpio, Burmanno aliisque, taceo, quorum si constructionem admittas, omnia corrumpuntur. Inter quos tamen videtur vidisse aliquid Micyllus. Cortius vero etiam de bosporo Thracio et de Propontide videtur cogitasse, non de Cimmerico, aperto signo, magnum sexaginta codicum perscrutatorem nec sensum quidem auctoris in tam aperta re perspexisse. — *Pontus* autem debere subiectum esse ad *aufertur*, patet ex eo, quod idem subiectum est ad v. *negat.*

280. *Essedoniae*, Scythiae gentes. Sic aperte legendum ex Colbertino codice et aliis.

281. Arimaspi, unocula gens Scythica, ad fluvium cognominem, cuius ex arenis aurum colligebant. De iis v. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Del. 291. Dionys. Perieg. 31. Priscian. 40. Plin. H. N. VII, 2. et noster VII, 756. Herodotus autem libro IV. — *Arius*, item Scythiae populus.

282. Constr. Et Massagetes, qui, cum Sarmatis bellum gerens, ieiunia sua solvit equo, quo fugit. Vena enim incisa, bibebant sanguinem equorum suorum. qui eos solebant ex proeliis fugientes servare, atque ita ieiunia sua solvebant, i. e. sitim extinguebant.

284. *Memnoniis*, Orientalibus.

285. *et effusis.* Et hic quoque negatio ad copulam est supplenda, ut saepius apud Lucanum. V. I, 76. II, 40. 235. 355. 373. — *effusis numerato milite.* Singulis singulas mittere iussis sagittas, exercitum numeravit, ut refert Herodotus VII.

286. *Perses*, Xerxes. — *fraterni amoris*, Menelai.

288. *ducem*, supple: quot tunc habuere ducem Pompeium.

290. *tot imm.* Tot populos excivit Fortuna, comites quasi eos missura immensae ruinae.

Usque Paraetonias Eoa ad litora Syrtes.
Acciperet felix ne non semel omnia Caesar,
Vincendum pariter Pharsalia praestitit orbem.
  Ille ubi deseruit trepidantis moenia Romae,
Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem:
Quumque alii famae populi terrore paverent,
Phocais in dubiis ausa est servare iuventus
Non Graia levitate fidem, signataque iura,
Et caussas, non fata, sequi. Tamen ante furorem
Indomitum duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropiae praelata fronde Minervae:
  Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quaecunque annalibus aetas.
Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in proelia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis
Proelia discordes, lacrymas civilibus armis
Secretumque damus. Tractentur vulnera nulla
Sacra manu. Si coelicolis furor arma dedisset,

295. *Paraetonias*, ab oppido Paraetonio in Aegypto. Hinc et omnino Aegyptiaca vocantur Paraetonia, uti et Pharia. Sensus: ab ultima Mauritania usque ad Aegyptum, omnes gentes aderant Pompeio.

296. Sensus: Omnes gentes confluxere ad Pharsaliam, ut omnes eodem tempore a Caesare vincerentur.

298. *trepidantis.* Hic haud inficiar *trepidare* esse timere, metuere, anxium esse.

299. *rapto*, citato. — Ibat autem in Hispaniam, contra Afranium et Petreium Pompeianos, quum in itinere comperit, Massiliae esse Domitium et Jubilium Rufum, Massiliensesque paratos esse ad bellum sibi faciendum.

300. *Quumque.* Similiter hac coniunctione utitur poeta I, 10.

301. *Phocais iuventus*, h. e. Massilienses, a Phocaeensibus in Asia minore orti.

303. *caussas, non fata*, foedera ante pacta, non fortunam. — *Tamen.* Antequam tamen bellum faciant, decernunt, verbis flectere Caesaris furorem, h. e. cupidinem belli civilis.

306. *fronde*, oleagina, pacis signo. Cf. Virg. Aen. VII, 154.

307. Constr. Aetas, quaecunque annalibus Romanis comprehensa est, semper testatur, Massiliam in externis bellis cum populo vestro communia fata tulisse.

310. *ignoto*, h. e. de gente externa et remotissima, ut Britannis etc.

311. *dextras*, sc. nostras.

313. *lacrimas secretumque*, h. e. lacrimari volumus et secernere nos a bello, non volumus committere ipsi, nolumus a partibus alterutrius stare in proeliis.

314. *tractentur* etc. Vulnera sacra sunt vulnera ab cognatis sibi invicem illata, vel ab iis,

Aut si terrigenae tentarent astra Gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Jovi; sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc coelo solum regnare Tonantem.
Adde quod innumerae concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
Fata, nec haec alius committat proelia miles.
Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non committitis illis
Arma, quibus fas est. Nobis haec summa precandi:
Terribiles aquilas infestaque signa relinquas
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas, admisso Caesare, bellum.

quorum summa potestas, quique diis quasi comparantur. — *tractare* est attrectare, tangere. — *nulla manu.* Et hic quoque, more Lucaneo, supplendum *externa*, ut I, 31. *nulli discindere ferro.* Cortius hic plane in aëre piscatur. Sensus est: nulla gens se immisceat huic bello vestro civili. Atque sic et Burmannus fere locum cepit.

319. *ignarum*, expers, remotum, quasi plane nesciens, bellum esse inter deos.

321. *concurrunt*, sc. sponte, ut sit oppositum sequenti *coactis*.

322. *Nec sic h.* nec mundus ita iners est, aut ita abhorret a participatione dissidiorum civilium, ut vobis opus sit, coactis etiam, h. e. vi coactis uti gladiis.

324. Sensus: O utinam omnes populi *externi* (hoc enim et hic supplendum, ut v. 314.) nollent in hoc tristi bello a partibus alterutrius stare.

325. *nec haec*, nec alius (quam vere Romanus) miles haec proelia committat.

326. Quod si non alius, quam Romanus miles huic bello intererit, sperandum est, brevi pacem esse futuram. Nam cuius filii (a Pompeio forte stantis) dextra non languebit, viso (in Caesaris acie) parente suo?

327. *diversi*, in diversis castris militantes.

328. Perperam haec ceperunt interpretes. Dehortantur Massilienses omnino in his a civili bello, aiuntque, finem adfore rerum (Romanarum, h. e. reipublicae et imperii R.) nisi cum illis populis Romani arma committant h. e. pugnent, cum quibus fas sit, h. e. cum externis gentibus. Nimirum *illis* non est dativus, sed ablativus, omissa praepositione *cum*, ut saepius praepositio in Lucano omittitur. Cortius: *Finis adest imperii Rom., nisi in hoc bello cives tantummodo pugnant, quibus solis arma committere fas est.* Sed qui quaeso fas hic vocari potest summum nefas semper a poeta iudicatum? Fraus latet in eo, quod omnes *illis* crederent dativum.

331. *te* sc. solum, sine armatis militibus.

Sit locus exceptus sceleri, Magnoque tibique
Tutus, ut, invictae fatum si consulat urbi,
Foedera si placeant, sit, quo veniatis inermes.
Vel, quum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? Non pondera rerum,
Non momenta sumus, numquam felicibus armis
Usa manus, patriae primis a sedibus exsul,
Et post translatas exustae Phocidos arces
Moenibus exiguis alieno in litore tuti,
Illustrat quos sola fides. Si claudere muros
Obsidione paras, et vi perfringere portas:
Excepisse faces tectis et tela parati,
Undarum raptos aversis fontibus haustus
Quaerere, et effossam sitientes lambere terram:
Et, desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Foedaque contingi maculato carpere morsu.
Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Poeno gessit quod Marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes;

338. *Non m.* Sic C. b. c. Ae. — V. Ar. *Nec m.*

333. *locus* suppl. unus saltem, haec urbs nostra.

334. *fatum si consulat urbi* sc. Romae, si fortuna faveat, ut velit pacem inter vos componi.

336. *vocent* sc. te.

337. *iter* suppl. ad nos? cur non pergis ad Hispaniam?

339. *usa manus* appositio sunt ad praec. *nos sumus.* Manus autem i. e. q. iuventus, civitas, quasi dixerit: quippe qui numquam feliciter pugnaverimus. — *primis a sedibus*, qui exsules huc devenerimus, profugi ex primis nostris sedibus, h. e. e patria nostra, Phocaea.

340. *exustae*, bello vastatae, eversae. Phocis autem Phocaea debet esse in Asia minore, e qua expulsi erant ab Harpago, Cyri praefecto. Similiter eos nuncupat Gellius X, 16.

344. Parati sumus ad excipiendas faces telaque, a tuis militibus in tecta nostra et in nosmetipsos coniicienda.

345. Parati sumus, quaerere haustus undarum, raptos nobis (a vobis), aversis fontibus, h. e. dum forte in obsidione fontes averteritis, quo aqua nos destituamur.

346. *effossam lambere terram*, h. e. terram effodere intra muros, ad aquam inveniendam; quam si non invenerimus, ipsam terram prae siti lambere, uti faciunt Petreiani a Caesare aqua interclusi IV, 309.

347. Porro, ait, parati sumus, deficiente cibo, edere, quae horrida sunt visu, foedaque.

348. *maculato morsu*, h. e. nefario morsu, comesis v. c. cadaveribus, aut infantibus.

349. *hic populus*, sc. noster, Massiliensium. — *subire* sc. illud fatum, quod subiit Saguntum, ut sese comburerent ipsi et interficerent invicem.

Uxor et a caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Hoc potius civile gerent. Sic Graia iuventus
Finierat: quum, turbato iam prodita vultu,
Ira ducis tandem testata est voce dolorem.
Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. Gaudete cohortes:
Obvia praebentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robore densae
Occurrant silvae, spatio diffusus inani:
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam, dimissis degener armis,
Tunc mihi tecta patent. Jam non excludere tantum,
Inclusisse volunt. At enim contagia belli
Dira fugant. Dabitis poenas pro pace petita:
Et nihil esse meo discetis tutius aevo,
Quam duce me bellum. Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tunc moenia clausa
Conspicit: et densa iuvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris parvum diffuso vertice campum
Explicat: haec patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem,
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.

362. *robore densae.* Sic Ar. c. Ae. — V. *robora densae.*

355. *hoc potius*, sc. ut se invicem interimant.

357. *ducis*, Caesaris.

358. *Vana* etc. Vana spe vos fruimini, si creditis, ideo vos tutos esse a me, quod in Hispaniam cursum proprie instituerim.

359. *ad axem*, h. e. mundi partem aut regionem; ut est II, 586. III, 69.

364. *nullis obstantibus*, quum nulla sint obstantia.

367. *si solus eam;* si solus ego moenia eorum intrem. — *degener*, quia hoc indignum foret duce.

369. *At enim* etc. At Massilienses aiunt, se fugare velle h. e. arcere a se velle contagia belli civilis.

371. *aevo*, dum ego vivam.

372. *Quam duce me b.*, quam meas partes et signa sequi.

376. *diffuso*, dilatato.

377. *Haec p.*, haec rupes visa est Caesari patiens h. e. apta, quae munimine cingeretur.

379. *Proxima pars urbis*, videlicet ea, quae tumulo isti proxime opposita erat.

380. *mediisque* sc. inter oppidi arcem et inter tumulum Caesaris.

Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad aequora castris
Longum Caesar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque exstruxit brachia terra.
  Jam satis hoc Graiae memorandum contigit urbi,
Aeternumque decus, quod non impulsa, nec ipso
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Praecipitem cursum: raptisque a Caesare cunctis,
Vincitur una mora. Quantum est, quod fata tenentur!
Quodque virum toti properans imponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! Tunc omnia late

381. *statura*, constatura; scilicet, ut agger fieret a tumulo ad arcem usque.

383. *qua terra cingitur* sc. oppidum. Nam ab altera parte mari cingitur.

385. *opus*, nimirum vallo fossaque includit urbem, ut in omni obsidione fieri solitum.

386. *amplexus*, supple: et intercludens ab oppido, ne aquari aut pabulari possent Massilienses. — *densas* t. exstruxit brachia cespite et cruda terra, quae sustollebant densas pinnas. Castra enim Caesaris erant in parte mari adversa. Inde duplicem fossam ab utroque latere usque ad mare fecit, et vallum iuxta fossam cum pinnis ex cespite exstructis.

388. *Satis* pertinet ad *memorandum*. — *Jam* autem transitum facit ad demonstrationem, ut vs. 417. — *Satis memorandum* est i. q. valde et apprime memorandum.

389. *non impulsa, nec ipso strata metu*. Haec ab nemine explicantur, nisi Cortio, qui sic habet: *quod non ipso metu impulsa atque strata. Impulsa autem est: victa, perculsa, ut saepissime noster. vide I*, 149. 152. Vereor an recte; non enim apparet, quare duobus idem voluerit dicere poeta: *impulsa et strata*. Deinde potius dixerit *nec ullo*, quam *nec ipso*. Mihi sic videtur: *non impulsa*, non prior lacessita statim bello a Caesare. Tum enim electio nulla Massiliensibus data fuisset, coactis aut defendere se, aut dedere urbem. Verum non impulsi ab eo ante legatos auditos, decreverant ipsi sponte non admittere intra sua moenia armatos Caesarianos. Quod igitur sponte, hoc primum laudandum erat. Deinde autem, quod non metuentes; quemadmodum supra 373. *ad urbem haud trepidam*.

390. *flagrantis in omnia belli*, h. e. incendium quasi totius orbis terrarum minitantis.

391. *raptisque* etc. et quod, quum ceterae urbes cunctae summa celeritate ab Caesare occupatae essent, ipsa sola ex omnibus victa est morâ, h. e. longa obsidione.

392. *quantum est* etc., h. e. Maximi enim momenti erat, quod fortuna Caesaris ad Massiliam coacta fuit diutius morari in cursu suo.

393. *imponere*, h. e. tamquam imperatorem praeficere mundo.

394. *hos dies*, hoc obsidionis tempus.

Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvae,
Ut, quum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo numquam violatus ab aevo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte submotis solibus umbras.
Hunc non ruricolae Panes, nemorumque potentes
Silvani Nymphaeque tenent, sed barbara ritu
Sacra deûm, structae diris altaribus arae;
Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.
Si qua fidem meruit superos mirata vetustas,
Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare ferae: nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgura: non ullis frondem praebentibus auris

404. *diris altaribus.* Sic Ar. C. Ae. b. d. — V. *sacris feralibus arae.*

405. *Omnisque.* Sic Ar. b. c. d. — C. Ae. V. *Omnis et.*

396. *Ut, quum* etc. Ostendit, quam ob rem tantum materiei fecerint, nimirum, ut aggeris latera lignis firmarentur et fulcirentur, dum media aggeris pars constaret ex terra levi, virgultis mixta. Subiectum ad *arctet* est *robur*. Ut robur, h. e. materia, arctet, h. e. contineat humum aggeris, ligatam h. e. compressam compage laterum.

397. *suspendant*, h. e. fulciant.

398. *ne cedat*, ne deprimatur aut disiiciatur agger turribus per eum ad oppidum transvehendis. Ceterum is agger erat altitudine octoginta pedum, ut scribit Caesar de b. Civ.

401. *umbras*, sc. cingens.

403. *barbara sacra*, effera, qualia Scythicae Dianae, immolatis humanis hostiis; ut libr. I, vs. 445.

404. *arae* sunt bases altarium.

406. *Si qua f.* Aperte hic poeta imitatur Virgilii locum Aen. X, 792. *Si qua fidem tanto est operi latura vetustas*, h. e. quamquam vix credetur a posteris, propter vetustatem. Sic hic: Quamquam vix credetur a multis, propter vetustatem, quae saepe, deos mirata, (h. e. superstitiosa,) fabulas excogitavit. Vel sic: Si qua vetusta narratio miraculosa de rebus ad deos pertinentibus fidem meruit, hoc certe meret fidem, quod iam dicturus sum: *Illis* etc. — Bentleius malit: *Sique*. — Farnabius: Et si qua fide digna sit religiosa antiquitas, declinant aves illum lucum, ferae, venti, fulgura. Cf. IV, 655.

409. *excussaque*, h. e. neque fulgura, nubibus excussa, incubuerunt in illas sylvas.

410. *Non ullis* etc. Vix potest dici, quantopere et quam frustra se torserint in his interpretes, summique adeo viri, quum dativos pro ablativis haberent. Sensus enim est: Inest illic suus horror arboribus, quia frondem suam nullis auris praebent, h. e. quia earum frondes nullis auris commoventur. Illi autem falso existimarunt esse ablativos consequentiae. Atque ea opinio praeconcepta adeo inva-

Arboribus suus horror inest. Tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque moesta deorum
Arte carent, caesisque extant informia truncis.
Ipse situs putrique facit iam robore pallor
Attonitos: non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non nosse deos. Jam fama ferebat
Saepe cavas motu terrae mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvae,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cessere deis. Medio quum Phoebus in axe est,
Aut coelum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.

luit, ut Oudendorpius, ratus forsitan, *ullis auris* plane dativum esse non posse, post varias coniecturas, tandem rectam ingressus viam, tamen mutandam lectionem censuerit, scribendumque *ulli aurae*. Atque Burmannus in eundem ablativum relabitur: cuius explicatio non minus nihili indicanda, quam Cortii et explicatio et lectio: *fronde*.

411. *horror* est: *das Starren, die starrende Ruhe*, v. c. setarum, capillorum, pilorum, et similium, ut notissimum; licet alibi etiam tremorem significet. — *suus* h. e. illis proprius, non turbatus ventis. — *nigris f.* Cf. Hom. Il. IX, 15.

413. *Arte carent.* Erant apud veteres deorum simulacra αὐτόξυλα, quae, (ut refert Tertullianus ad Nat. I, 12. de Cerere Pharia,) sine forma rudi palo et solo staticulo ligni informia repraesentabantur.

414. *situs*, putredo, quae, uti notissimum, pallorem efficit in lignis. Quare non mutaverim *pallor* in *squalor*, quod fecit Cortius de coniectura.

415. *attonitos*, sc. accolas. — *Non vulgatis.* Non sic homines metuunt numina vulgo consuetis figuris sacrata, h. e. dedicata.

417. Coni. *Jam* meram hic quoque habet connectendi vim, ut supra vs. 388.

419. *iterum consurgere.* Taxus funesta arbor, ut et cupressus, quae succisa non regerminat. Igitur hic sensus: et taxos succisas iterum regerminare. *iterum*, zum zweiten Male. Quare nolim scribere *rursus*, quod vult Cortius, praesertim quum et *iterum* interdum sit i. q. *rursus*. V. IV, 58.

420. *non ardentis*, non vere ardentis, non absumtae.

422. *cultu propiore frequentant*, h. e. Accolae non intrant, non accedunt propius ad deos illos venerandos.

423. *cessere deis*, concesserunt illum lucum solis deis habitandum.

425. *dominumque timet* etc. Credebant veteres, deos imprimis a meridie oberrare, concilia habere, quiescere locis solis, atque tum obviis sibi irasci; veluti Pan in Theocriteo carmine: τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες etc.

Hanc iubet immisso silvam procumbere ferro:
Nam vicina operi belloque intacta priore
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Maiestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Caesar torpore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur, merso violata in robora ferro:
Jam ne quis vestrûm dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non sublato secura pavore
Turba, sed expensa superorum et Caesaris ira.
Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Silvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tum primum posuere comas, et fronde carentes
Admisere diem: propulsaque robore denso
Sustinuit se silva cadens. Gemuere videntes
Gallorum populi: muris sed clausa iuventus
Exsultat. Quis enim laesos impune putaret
Esse deos? Servat multos fortuna nocentes:
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis caesi nemoris, quaesita per agros

432. *torpore.* Sic Ar. C. Ae. — V. *terrore.*
450. *caesi nemoris.* Sic Ar. C. Ae. b. c. d. — V. *caesum.*

426. *iubet* sc. Caesar.

427. *operi* h. e. munitioni, quam instituerat Caesar, aggeri.

429. *manus,* sc. militum.

431. *redituras,* h. e. recisuras. Credebant se ipsos securibus vulneratum iri.

433. *raptam,* arreptam.

434. *aeriam,* altam.

437. *Credite me.* Accentus in *me* ponendus. Ego ipse culpam in me suspicio, caputque meum violatae religionis poenas subeat. — *omnis* sc. turba militum.

438. *non sublato* etc. non quasi, sublato pavore, securi fuissent, sed quia expendebant inter se iram Caesaris et iram deorum, et illam maioris faciebant, coacti.

441. *Silvaque Dodones,* quercus, Jovi Dodonaeo sacrae. Cf. 6, 427. — *alnus,* e qua naves fiunt.

442. *non plebeios,* nimirum propter raritatem et caritatem arboris, quae effecit, ut soli ditiores in funeribus eam adhiberent.

444. *diem,* lucem solis in illum lucum. — *propulsaque* excisa a radice silva propter densitatem non potuit procidere, sed sese ipsa sustinuit.

448. *Servat* etc. Verum enimvero, addit poeta, multi nocentes fortunâ servantur, etc.

450. *quaesita.* Plaustra a mi-

Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
Agricolae raptis annum flevere iuvencis.
Dux tamen, impatiens haesuri ad moenia Martis,
Versus ad Hispanas acies extremaque mundi,
Jussit bella geri. Stellatis axibus agger
Erigitur, geminasque aequantes moenia turres
Accipit: hae nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum caussa repsere latenti.
Quum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quaerentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare iuventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed maior Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. Neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistae turbine rapta,

litibus per vicos vi coacta, *ferunt*, h. e. advehunt sc. ligna ad aggerem.

451. *curvoque* etc. Potest sic construi: et agricolae flevere annum (h. e. proventum, v. supra vs. 70.) soli (h. e. agri) cessantis aratro curvo (h. e. non arati) quia rapti erant iuvenci. Sic *cessavit Marte* IV, 24.

453. *Dux*, Caesar, impatiens, bellum trahi apud oppidum Massiliae, seque impediri, quin in Hispaniam pergeret.

455. *Jussit bella geri*, h. e. ad Massiliam reliquit Brutum et Trebonium cum navibus et copiis, eosque iussit obsidionem urbis persequi. — *agger* idem ille est agger, de quo supra sermo fuit. — *stellatis axibus;* Axes sine dubio sunt trabes ad utrumque aggeris latus impactae ad continendum aggerem. Sic in Vitruvio occurrunt *axes querni*, *axes esculini*. Mirabiliter Cortius: „Agger in modum turrium ambulatoriarum constructus intelligitur, et *axes stellatae* nihil aliud sunt, quam axes rotis instructae.“ *Stellatis* est epitheton ornans, significansque, axes illos certis spatiis inter se distinctos fuisse, ut stellae sunt. Imitatus nostrum Silius Il. XIII, 109. habet: *Hic latera intextus stellatis axibus agger, Hic gravida armato surgebat vinea dorso.*

457. *Accipit.* In illo aggere, qui erat 80 pedum altitudine, duae turres collocabantur, quae per aggerem ad muros admoverentur. — *nullo fixerunt robore terram*, non ita promovebantur, ut trabes, quae oculis cernerentur, ad terram figerentur, quarum nisu machina protruderetur. *Nullo* enim, ut saepe, praegnanti sensu, ut supplendum sit: nullo robore, *quod appareret*. Sic I, 31. ad *nulli ferro* suppl. *externi alicuius hostis.*

458. *caussa latenti*, machinis intus et sub turribus adhibitis.

459. Quum admoverentur tantae turrium moles ad muros, illasque viderent oppidani nutare propter inaequalitatem aggeris, illusio eis accidit optica. Non enim credebant, turres nutare, sed potius terram nutare, mirabanturque suos adhuc stare muros.

462. *Illinc*, ab his turribus.

464. *Vis inerat*, maiorem effectum habebant Massiliensium tela.

465. *rapta* h. e. coniecta, sc.

Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte, fugit: superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti verberis actu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extentus protegit umbo,
Quae prius ex longo nocuerunt missa recessu,
Jam post terga cadunt: nec Graiis flectere iactum,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum

469. *verberis*. Sic Ar. C. Ae. b. d. — *actu*. Sic C. d. — V. *ponderis ictu*.
476. *extentus*. Sic C. — V. *extensus*.
477. *recessu*. Sic Ar. Ae. C. b. e. d. — V. *recussu*.

lancea. Nam et lanceae telaque emittebantur balistis.

466. lancea non quiescit, postquam unum corpus transiit, sed porgit cursu; ita fortiter agitur.

468. *relicta morte fugit*, postquam unum iam corpus vulneravit et occidit, relicto a se occiso, ad alios occidendos pergit.

469. *At saxum*. Nimirum non lanceas tantum, sed et saxa iacit balista.

471. *vetustas*, tempus, aetas.

472. *pressa*, h. e. onere suo exanimat, sed artus omnes cum sanguine dissipat.

474. Postquam autem Caesariani testudine facta accedunt ad muros.

477. tela aut lapides ab illa machina emissi, iam post terga militum, qui testudinem faciunt, cadunt, nec ipsos laedere possunt.

478. *flectere iactum*, tormentum alio dirigere. Supple autem *facilis est labor*, h. e. non facile valent iactum flectere, aut modum tormenti mutare, (h. e. temperare, ne longius procedat) quia ad longinquum iactum paratum erat. *Modum*, iactus vehementiam et vim.

480. *pondere solo c.* Ergo omisso tormento, saxa, tantum pondere suo, non vi, qua mitterentur, nocitura, devolvunt.

481. *nudis lacertis*, quippe non adiutis machina.

482. Ab hoc versu usque ad vs. 486. narrat, testudinem illam Caesarianorum ab initio quidem restitisse fortiter; deinde vero dissolutam cessisse. — *series*, dum testudinarii firmiter supra capitibus tenuerunt clypeos inter se implexos.

484. *virtus sc.* Massiliensium, magis magisque incensa, fregit

Perpetuam rupit defesso milite cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis et tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, et vertere ferro
Moenia: nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat, et impositis unum subducere saxis.
Sed super et flammis, et magnae fragmine molis,
Et sudibus crebris, et adusti roboris ictu
Percussae cedunt crates, frustraque labore
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
    Summa fuit Graiis, starent ut moenia, voti.
Ultro acies inferre parant: armisque coruscas
Nocturni texere faces: audaxque iuventus
Erupit: non hasta viris, non letifer arcus,
Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: teda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi:
Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit,

testudinem. Haec enim est *crates perpetua*, quia effecta continuis clypeis, qui crates appellantur, utpote e cratibus compacti. Cf. I, 241.

486. *Singula*, divisi et dissipati milites cedere coacti sunt.

487. Hinc usque ad vs. 496 narratur vinea ad muros acta, sed ea quoque depulsa ab oppidanis. — *adoperta.* Vinea enim contecta erat terra, ne incenderetur. — *levi*, tenui, cespite.

488. *plutei* sunt tectum. — *frons* paries anterior, quae saltem superiore parte item tegebat frontem. — *latentes* milites partim ferreis instrumentis muros arrodunt et minuunt, partim arietem adigunt.

492. *impositis* sc. superioribus. Est autem dativus, et impositi sunt ipsi illi uni, quo subtracto, impositi quoque facilius ruebant. — *subducere*, minuere, frangere, demere, expellere; non quasi extraheret vere.

493. Sed crates h. e. tectum vineae, ab oppidanis desuper percussum, cedit, h. e. frangitur.

497. Ergo repulsis hostibus, non iam amplius, ut adhuc fuit, summa voti est Massiliensibus, ut conservent moenia; sed ultro acies inferunt hostibus.

498. *armis*, scutis.

499. *Nocturni*, egredientes nocte. Cf. X. 373.

501. *rapiens*, celeriter ferens et propagans. Cf. supra vs. 465. *turbine rapta.*

504. *raptus ab omni teda.* Constr. sed ignis, ab innumeris tedis propagatus, efficit spatiosa volumina fumi.

506. *silvas* h. e. ligna, axes; sed *saxa* adeo comburuntur in pulverem.

Et crudae putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, maiorque iacens adparuit agger.
Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari. Non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, et qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabilis navalibus area bellis.
Et iam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stoechados arva tenens. Nec non et Graia iuventus,
Omne suum fatis voluit committere robur,
Grandaevosque senes mixtis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quae stabat in undis
Classis; et emeritas repetunt navalibus alnos.
Ut matutinos spargens super aequora Phoebus
Fregit aquis radios, et liber nubibus aether,
Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
Servatum bello iacuit mare, movit ab omni
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Caesaris hinc puppes, hinc Graio remige classis
Tollitur: impulsae tonsis tremuere carinae,

526. *puppes*. Ae. C. b. et fere c. — V. *pubes*.

507. Et dura adeo saxa in tenuem pulverem sunt dissoluta.

509. *Victis*, Caesarianis.

510. *non robore p.* Non ornatae erant, non fulgebant naves, tutelare numen in puppi pictum gerentes.

511. *decuit*, decoravit. Signa autem in puppi sculpta erant, et auro plerumque inducta. Cf. Virg. Aen. X, 171.

513. *stabilis area*, firma et quasi solida stans, in qua tuto possit consisti.

514. Constr. Et iam classis, comitata navem Bruti turrigeram, per Rhodanum fluvium in mare devenerat. Arelate enim Caesar naves duodecim fieri curaverat. — *turrigeram*. Nam turris in ea exstructa erat. Cf. vs. 553.

516. *Stoechados*, h. e. stationem habens apud insulam Stoechadem. Stoechades tres sunt insulae ad oram Ligurum, ab ordine (στοῖχος) quo illic sitae sunt, dictae. — *Graia*, Massiliensium.

517. *fatis*, fortunae bellicae, et quidem navalis belli.

519. Non solum eae naves armantur, quae in usu erant, sed etiam vetustae repetuntur ex navalibus.

520. *alnos*, quippe ex quibus fiebant naves.

522. *Fregit*. Nam radii solis undis reflectuntur, et frangi videntur, quasi non intrantes, sed repercussi.

523. *posito*, quieto, non flante.

524. *servatum*, quasi reservatum ad pugnam navalem. — *iacuit*, quietum fuit. Cf. 10, 329.

527. *tollitur*, promovetur. — *tonsis*, tonsarum motu tremuere carinae, sie schwankten.

Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
Cornua Romanae classis validaeque triremes,
Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, et plures quae mergunt aequore pinus,
Multiplices cinxere rates. Hoc robur aperto
Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt
Ordine contentae gemino crevisse Liburnae.
Celsior at cunctis Bruti praetoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe petit aequora remis.
  Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
Innumerae vasto miscentur in aethere voces:
Remorumque sonus premitur clamore: nec ullae
Audiri potuere tubae. Tunc caerula verrunt,
Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt vacuumque cadentia pontum.

528. *verbera* sc. remorum suorum, qui puppim versus moventur. Non autem cogitandum de carinis aut puppibus adversariorum.

529. Abhinc usque ad vs. 537 describitur acies Romanae classis, lunari forma, cuius extrema cornua tenebant naves maiores, mediam partem minores.

530. *Quasque* etc. h. e. quadriremes.

531. *et plures*, et quae quinque remorum ordines aequore mergunt.

532. *multiplices*. Vel hoc appositio est, vel illa *triremes* etc. ut sit sensus: Cornua Romanae classis cingebantur multiplicibus navibus, videlicet triremibus, quadriremibus etc. — *hoc robur* etc. Hae naves in cornibus stabant, latera aciei tutantes.

533. *Lunata fr. r.* Sensus est: biremes naves medium tenent aciem, sed ita, ut paulo recedant; unde lunata fit acies.

534. *gemino ordine* sc. remorum.

536. *verberibus senis*, sex remorum ordinibus. — *molem*, turrim, quae in ea exstructa erat. Cf. vs. 514. — *profundo invehit*, turrim in mare infert, terrestri potius bello aptam et adhiberi solitam.

537. *longe*. Summi remi sunt remi ordinis sexti, qui summus est, et longissimos habet remos, longius ab navi aequor ferientes, quam ceteri feriunt.

538. Postquam utraque classis ita prope ab se invicem distabant, ut spatium intermedium posset uno remorum percussu absolvi.

541. *premitur*, opprimitur et obruitur.

542. *verrunt*, sc. remiges.

543. *cadunt*, procidunt pectoribus, remos summa vi moventes.

545. *rediere*, resilierunt ab se invicem post primum ictum. Atque statim, eo facto, milites tela sua emittebant, quibus obscuratus est aer, et contectum mare.

Et iam diductis extendunt cornua proris,
Diversaeque rates laxata classe receptae.
Ut, quoties aestus Zephyris Eurisque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare: sic, ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, haec repulit aequor.
Sed Graiis habiles pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.
At Romana ratis stabilem praebere carinam
Certior, et terrae similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait: *Paterisne acies errare profundo,*
Artibus et certas pelagi? Jam consere bellum:
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas et praebuit hostibus alnos.

549. *Eurisve* C. — V. *Eurisque.*

552. Non opus est duplicata *p*, quia *re* ab antiquis per se in perfecto producitur; secus in reliquis temporibus.

547. Dilatatur acies ab utrisque.

548. *diversae*, h. e. adversariorum.

549. Comparantur naves, fluctus moventes a diversis partibus, cum Euro Notoque. — *aestus*, h. e. mare aestuans, repugnat Zephyris Eurisque, utpote ab utrisque impugnatum. Ita enim necessario utrique repugnat. Sensus igitur est: ut, quoties mare simul a Zephyro et Euro impugnatur, mare a Zephyro versus Orientem impellitur, undae autem forte superiores ab Euro ad Occidentem versus pelluntur, aut contra, sic, etc. Nam ubicunque diversis ex partibus venti in mare ingruunt, ibi semper unus eorum potior est, et verum ipsumque mare possidet, quippe qui longius iam flaverit; alter, recens irruens, undas tantum summas impellit. Confer imprimis II, 455. et V, 571. Ex quibus locis apparet, quam perperam Cortius scripserit *Eurisve* pro *Eurisque*, licet ex codicibus quibusdam. Nam codicum opc tantum non omnia possunt probari.

551. *gurgite*, mari.

552. *tulit*, attulit. — *illa*, adversariarum aliqua. — *haec*, Romanarum aliqua repulit aquam, ab illa prorsum motam.

553. Sensus sequentium: Sed Massiliensium naves celeriores fuere, Romanorum stabiliores. *habiles* sc. erant. — *pinus*, i. e. naves. Constructio: Sed Graiis erant naves habiles et ad lacessendum et ad fugiendum, et ad cursum non longo gyro flectendum, et ad celeriter obsequendum gubernatori clavum flectenti.

558. *signifera*, ubi signum erat navis praetoriae.

559. *errare*, huc illuc moveri, arte gubernatoria tantum.

561. *carinas*, nostras.

562. *obliquas*, non transversas, sed angulo minore recto. — *alnos*, naves.

Tunc, quaecumque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo percussae capta cohaesit.
Ast alias manicaeque ligant, teretesque catenae,
Seque tenent remis: tecto stetit aequore bellum.
Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt iaculato vulnera ferro:
Miscenturque manus. Navali plurima bello
Ensis agit. Stat quisque suae de robore puppis
Pronus in adversos ictus: nullique perempti
In ratibus cecidere suis. Cruor altus in undis
Spumat, et obducti concreto sanguine fluctus.
Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent iungi conserta cadavera puppes.
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.
Hi, luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periere ruina.
Irrita tela suas peragunt in gurgite caedes:
Et quodcumque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum laevumque tuetur
Aequo Marte latus: cuius dum pugnat ab alta

571. *nullique.* Sic C. — V. *multique.*
573. Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *obducto concrescunt.*

564. *percussae*, sc. navi Bruti cohaesit quasi capta.

565. *Ast alias*, h. e. Reliquae autem naves pariter inter se proeliantes cohaeserunt, dum aut manicis catenisque se invicem tenebant, aut remis inter se implexis tenebantur.

566. *tecto st.* h. e. contecto quasi integro aequore, proelium fixo loco stetit, tamquam si non mari gereretur.

569. *miscenturque* i. e. sed miscentur manus. — *plurima:* quamquam navalis esset pugna, tamen in ea plurima gladiis agebantur.

570. *de robore*, de ora. Jeder stand am Bord seines Schiffs, und setzte sich dem Feinde aus.

573. et undae maris obductae sunt concreto sanguine, h. e. durato. Nam et in aquam missus sanguis ex vulnere, duratur et concrescit.

574. *quas*, sc. naves; die geenterten Schiffe konnten wegen der dazwischen schwimmenden Leichname nicht ganz heran gezogen werden.

576. *Semianimes*, alii nondum plane mortui in mare decidunt.

578. *trahentes*, retinentes adhuc animam cum morte luctantem.

580. *Irrita tela.* Tela, quae nullum in navi stantem vulneraverant, ubi in mare decidebant, inveniebant in undis natantes adversarios, a quibus exciperentur, et quos vulnerarent.

584. *robore diducto*, divisis militibus suis.

Puppe Tagus, Graiumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur: medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus, flueret quo vulnere, sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius, pelago turbante, carinae
Audivere manum: nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phoebum videat, seu cornua lunae,
Semper venturis componere carbasa ventis.
Hic Latiae rostro compagem ruperat alni:
Pila sed in medium venere trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.
Dum cupit in sociam Gyareus erepere puppim,
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum,
Adfixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fecundae gloria matris,

600. *erepere.* Sic C. — Ar. V. *erumpere.* Ae. *irrumpere.* Quidam cdd. *irrepere.*

586. *Tagus*, Romanus quidam. — *aplustre*, ornamentum puppi navis impositum. — *retentat*, manibus retinet.

587. Missis utrinque ab adversariis telis, et per pectus et per tergum transigitur, ita ut utraque in medio eius corpore convenirent, sanguisque incertus quasi esset, ex utro vulnere profiueret, an pectore, an tergo.

592. Aliud factum narratur usque ad vs. 599. Telon, gubernator navis Massil., postquam everterat navem Romanam, pilo vulneratus, moriens tamen suam navem avertit ab hostilibus.

593. *nullam melius audivere* i. e. q. cuius manu nulla manus melius gubernavit naves in tempestatibus. Similem dictionem vide III, 219.

594. *Nec lux est n. u.* etc. Nec quisquam sive ex adspectu solis, sive lunae, melius iudicare potuit, qualis crastina lux esset futura.

596. Ut infinitivum quare positus sit perspicias, cogita praecedentibus haec subesse: *et quo nemo callidior fuit, ex coniectura futurae lucis* semper ventis venturis carbasa componere, h. e. vela aptare.

598. *trementia*, ut IV, 681. *tremulum missile.*

599. Vide notata ad 592.

600. Aliud eventum. Gyareus Massiliensis, dum cupit in navem illam sociam, in qua Telo gubernator occiderat, erepere, ad capessendum fortasse munus gubernaculi, ad ipsam illam navim, telo affixus, pependit.

603. Aliud facinus usque ad vs. 633. Gemini fuerunt fratres Massilienses, quorum alter cum manu prehendisset navem Romanam, abscissa manu, alteram admovit; et hac quoque ablata ferro hostili, donec vita inerat, corpore suo stans protexit suos, deinde insiluit navi hostili, eamque laborantem iam, pondere suo depressit.

Quos eadem variis genuerunt viscera fatis.
Discrevit mors saeva viros: unumque relictum
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Aeternis caussam lacrymis. Tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus obfert.
Quorum alter, mixtis obliquo pectine remis,
Ausus Romanae Graia de puppe carinae
Iniectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat: illa tamen nisu, quo prenderat, haesit,
Deriguitque tenens strictis immortua nervis.
Crevit in adversis virtus: plus nobilis irae
Truncus habet, fortique instaurat proelia laeva,
Rapturusque suam procumbit in aequora dextram.
Haec quoque cum toto manus est abscisa lacerto.
Iam clypeo telisque carens, non conditur ima
Puppe, sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat:
Telaque multorum leto casura suorum
Emerita iam morte tenet. Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus,
Membraque contendit toto, quicumque manebat,
Sanguine, et hostilem, defectis robore membris,

612. *nisu*. Sic C. b. c. d. — V. *nixu*.
613. *Deriguitque*. Sic C. ex mptis. — V. *diriguitq*.
616. *procumbit*. Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. *procurrit*.

604. *variis fatis*, nam alter superstes evasit ad parentes, alter cecidit in proelio.

606. *agnorunt*, i. e. facile agnorunt, deficiente altero. — *sublato errore*. Antea enim saepe, propter similitudinem, alterum pro altero habuerant.

607. *tenet*, retinet, non patitur evanescere aut perire dolorem, semper referens fratris imaginem.

609. *mixtis obl.* etc. quum inter se complicati essent remi duarum navium, Romanae atque Massiliensis.

611. *manum*, dextram. — *insuper*, desuper inductus.

614. *irae*, pugnandi cupidinis. Cf. II, 93. 324. 527.

615. *truncus habet*, sc. quam habuit integrum corpus.

616. *procumbit*, i. e. inclinat se super aequora ad dextram suam recuperandam laevâ.

618. *clypeo telisque carens*, h. e. abscisa laeva, qua tenere posset clypeum, et dextra, qua mittere tela. — *non condit se* in alvo navis, sed porro etiam se exponens telis hostium, fratrem protexit, crebra excipiens tela, quae alias cecidissent leto multorum suorum, h. e. quae alias suorum multos interfecissent.

622. *emerita iam morte*, quum tandem mortem meruerit. Tum autem omnibus viribus collectis, hostilem insiluit navem.

625. *sanguine*, vitali robore. Cf. 2, 338. — *defectis robore membris*, postquam deficiebat iam iamque robur e membris.

Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virûm cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, descendit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.
Aequora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. — Multaque ponto
Praebuit illa dies varii miracula fati.
  Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Adfixit Lycidam. Mersus foret ille profundo;
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis:
Discursusque animae diversa in membra meantis
Interceptus aquis. Nullius vita perempti
Est tanta dimissa via: pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus;
At tumidus qua pulmo iacet, qua viscera fervent,
Haeserunt ibi fata diu: luctataque multum

630. *descendit*. Sic Ar. Ae. b. c. d. — V. C. *desedit*.

627. *ratis*, nimirum ipsa illa, quam ille insiluerat.

628. *per obliquum latus*, oppositum hosti.

629 *hausit pelagus*, aquam admisit.

631. *involvens*, admittens, — *pontum*, aquam, — *vicinum*, nimium quantum vicinam, proximam, et ideo inevitabilem, statim irrumpentem, *contorto vertice*, h. e. dum aqua immissa, in navi contorta, verticem faceret.

633. *Multaque*. Et hic copula transitum facit ad aliam constructionem, ut I, 10. *Cumque*. — *ponto* dativo accipe.

634. *miracula*, ut quasi pontus miraretur varia illa mortis genera.

636. *adfixit*, loco navis apprehendit Lycidam circa mediam corporis partem, eumque statim detractum navi in undas mersisset, nisi socii stupefacti eum per crura retinuissent; atque sic ille miser discerptus est.

638. *Scinditur avulsus*, h. e. divisus per medium corpus, seu corpore a cruribus avulso.

640. *animae*, h. e. sanguinis, in quo vita. — *diversa* h. e. opposita capiti, — *in membra meantis*, h. e. decursus sanguinis crura versus, quae abscissa erant.

641. *interceptus* sc. est, — *aquis* h. e. mari. Sanguis profluxit in mare. — *vita*, sanguis, ut supra *anima*.

642. *tanta*, tam magno vulnere emissus est nullius vulnerati sanguis.

643. *Tradidit* etc. Inferior pars trunci statim emortua est, evulsis simul cum cruribus omnibus partibus vitalibus, visceribus.

644. *At*; supple: *in pectore*, ubi pulmo.

645. *Haeserunt*. Ibi, h. e. in

Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinae
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus nautasque carina;
Brachia nec licuit vasto iactare profundo,
Sed clauso periere mari. — Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, quum forte natantem
Diversae rostris iuvenem fixere carinae.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quo minus aera sonent. Eliso ventre, per ora
Eiectat saniem permixtus viscere sanguis.
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,
Deiectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. — Pars maxima turbae
Naufraga, iactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociae concurrit: at illi

660. *Deiectum*. Sic Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *disiectum*.

pectore mors diu haesit, h. e. non eum interemit statim. — *luctataque* etc. et postquam mors diu luctata erat cum hac viri discerpti parte, h. e cum pectore, vix tandem exanimare valuit omnia eius membra.

646. *tulerunt* sc. fata, h. e. abstulerunt, exanimarunt.

647. *turba*, h. e. milites, qui in ea navi erant.

652. *Tunc*. Aliud eventum narratur, usque ad vs. 661. Duarum carinarum rostris sibi occurrentibus natantis cuiusdam pectus perforatur. *Tunc* esse i. q. *porro* v. ad. III, 244. *unica*, prae ceteris miserabile mortis genus.

654. *fixere*, anspiessten.

656. *artus* sc. iuvenis illius affixi non impedivere, quominus rostra navium, contra se invicem impulsa, sonarent.

657. *eliso ventre*, dum venter eius ita ab utraque parte elisus est.

658. *Eiectat* etc. sanguis per os effluens, permistus viscere, h. e. intestinis, eiectat saniem, h. e. cruorem ex vulnere.

659. *inhibent remis*, sc. nautae. — *puppes*, h. e. naves. Solemne autem in hac dictione videtur, subiectum omitti.

661. *transmisit*, aquae per eius pectus transiere. — *Pars max.* Ab his inde ad vs. 669. alia ob oculos ponitur imago. Nantes in pelago dum in suorum naves cupiunt erepere, reiecti ab sociis depulsique, abscissis manibus lacertisque, in mare relapsi merguntur. — *turbae*, h. e. nautarum.

662. *naufraga*, quae naufragium fecerat, cuius navis perierat. Notandum, hic quoque factam esse transpositionem epitheti. Nam adi *naufraga* potius *turbae* convenit, quam parti. Vide ad II, 270. et not. crit. ad IX, 656.

663. *ad aux. soc. concurrit*, adnatavit ad navem sociam. — *ad auxilium*, h. e. ut puppis socia sibi esset auxilio, seque reciperet. — *at illi*, sc. naufragi,

Robora quum vetitis prensarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto,
Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graia pendentia puppi,
A manibus cecidere suis: non amplius undae
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis
Avulsasque rotant, excusso remige, sedes.
In pugnam fregere rates. Sidentia pessum
Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi, inopes teli, iaculum letale revulsum
Visceribus traxere suis, et vulnera laeva
Oppressere manu, validos dum praebeat ictus
Sanguis et hostilem quum torserit exeat hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit aequore clades,
Quam pelago diversa lues. Nam pinguibus ignis
Adfixus tedis, et tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles praebere alimenta carinae
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.

quum altius emergentes navem sociorum apprehenderent brachiis *vetitis* h. e. prohibitis ab sociis, seu reclamantibus vetantibusque sociis.

666. *Impia turba* sc. sociorum, qui in navi erant. — *super*, desuper.

667. *linquentes brachia* sc. amputata et sic pendentia a puppi *Graia*, h. e. suorum, sociorum, Massiliensium, a quibus auxilium debebant exspectare.

668. *cecidere* sc. trunci, *a manibus suis* sc. divulsi. — *non amplius*. Sensus est: Atque sic trunci mersi sunt undis, quia non amplius sustinere se poterant in superficie aquae, quippe destituti brachiis.

670. Alia imago sequitur: Pugnant nautae iam non telis ac ferro, sed remis et navium fragmentis.

672. *at hi*, i. e. q. alii. — *tortum*, coniectum.

673. *sedes* sc. transtrorum.

674. *sidentia*, delabentia in mare.

675. *ferro*, h. e. telis, quibus icta fuerant.

676. Alia imago. Quidam, ex suo ipsorum corpore telo extracto, manu laeva vulnus tenentes, dextra telum emittunt in hostes.

679. *exeat*. Constr. et tum demum exeat, cum torserit hastam. — *hostilem*, h. e. prius ab hoste sibi immissam. Ita passim transponit noster. V. VI, 711.

680. *hoc aequore*, hac in pugna navali.

681. *Quam pelago diversa lues*, quam elementum elemento aquae contrarium, h. e. ignis, qui vocatur *lues*, i. e. pestis, i. e. exitium.

684. *rapuere*, celeriter propagaverunt. Cf. 465. III, 504. 501.

Nec flammas superant undae: sparsisque per aequor
Jam ratibus, fragmenta ferus sibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat ut aequore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus haerent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
Qua coepere mori. Nec cessat naufraga virtus.
Tela legunt deiecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. Nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. Saevus complectitur hostem
Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. — Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,
Et nimis adfixos unci convellere morsus,
Adductum quoties non senserat ancora funem.
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor et incolumis summas remeabat ad undas;
Sed, se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub aequore mansit.
Hi super hostiles iecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit; multus sua vulnera puppi

702. *ad undas.* Sic Ar. d. — V. *in undas.*

686. *Fragmenta* etiam navium ardent.

687. *Hic*, h. e. aliquis militum, igne correptus. — *recipit fluctus*, undis se mergit.

688. *Hi*, i. e. alii.

690. Quum tam multa hucusque subierint pericula mortis diversa, hoc tamen genus mortis novum, quod ingruebat, incendium, paene unice iam timetur ab illis, ceteris quasi assuetis. — *Nec cessat* etc. Neque tamen eo minus naufragi natantes etiam pugnare perrexere.

691. *ratibusque m.* h. e. et (tela illa quae collegerant ex undis) sociis, qui in navibus erant, ministrant.

694. *pelago*, h. e. aqua, ad hostem interficiendum, mergendo.

696. *unus*, h. e. prae ceteris, ut vs. 652. *unica facies*, et 689. *mors una.*

697. *Eximius*, eximie peritus. — *Phoceus*, Massiliensis quidam. — *animam servare*, spiritum retinere.

699. *unci morsus*, h. e. anchoram in fundo maris defixam.

700. *non senserat*, non obtemperaverat, non extrahi se passa est.

701. *penitus deduxerat*, in imum mare demerserat.

704. *mansit*, undis est suffocatus.

705. Alii natantes, brachiis suis amplexi remos hostiles.

706. *fugam*, cursum. — *Non perdere letum*, non frustra mori.

707. *multus*, multi, cum essent vulnerati et morti proximi, suspenderunt se a puppi, navemque suam corpore suo protexe-

Adfixit moriens, et rostris abstulit ictus.
Stantem sublimi Tyrrhenum culmine prorae
Lygdamus excussa, Balearis tortor habenae,
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi: stat lumine rapto
Adtonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
Vos, ait, *o socii*, *sicut tormenta soletis*,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animae, *Tyrrhene*, *per omnes*
Bellorum casus. Ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:
Viventis feriere loco. Sic fatus in hostem
Caeca tela manu, sed non tamen irrita, mittit.
Excipit haec iuvenis generosi sanguinis Argus,
Qua iam non medius descendit in ilia venter,
Adiuvitque suo procumbens pondere ferrum.
Stabat diversa victae iam parte carinae
Infelix Argi genitor: non ille iuventae
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis:
Victum aevo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat. Qui, funere viso,

runt ab irruente in eam rostro adversariae navis.

709. *Tyrrhenum*, h. e. militem Romanum.

710. *Lygdamus*, Massiliensis.

712. *postquam cruor* etc. h. e. quia cruor, ex vulnere intra caput collectus, interiora omnia complebat, et prorumpere nitebatur.

713. *procumbunt*, expelluntur.

716. *soletis* sc. dirigere.

717. *mittendis telis*, ut possim tela mittere. — *rectum comp.* dirigite adversus hostes.

718. *Egere.* Se ipsum alloquitur. *Egerere animam* est: animam amittere seu amittendam praebere, omni qua fieri possit ratione sese hostibus exponende.

719. *Ingentem.* Hoc cadaver probe adhuc poterit militis munere fungi, se ipsum telis exponendo, quo, qui pone stant, tuti sint.

723. *Argus*, Massiliensis.

724. *Qua iam non* etc.; infra umbilicum ergo percussus est. — *Ilia* sunt arteriae inter vesicam et alvum, ad pubem tendentes, Plinio teste.

725. Procidit enim, eoque ferrum altius etiam depressit.

726. *diversa*, sc. quam in qua stabat filius Argus.

728. *cessurus* sc. fuisset, h. e. nulli cessisset.

729. *aevo*, senectute.

730. *exemplum* sc. boni militis, quippe qui olim fortiter pugnaverat. — *funere viso*, postquam cadentem vidit filium suum.

Saepe cadens longae senior per transtra carinae
Pervenit ad puppim, spirantesque invenit artus.
Non lacrymae cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
Nox subit, atque oculos vastae obduxere tenebrae,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens et iam languentia colla,
Viso patre, levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Coepit habere dolor, *Non perdam tempora*, dixit,
A saevis permissa deis, *iugulumque senilem*
Confodiam. Veniam misero concede parenti,
Arge, *quod amplexus*, *extrema quod oscula fugi.*
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
Semianimisque iaces, *et adhuc potes esse superstes.*
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub aequora tendit
Praecipiti saltu. Letum praecedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.
Inclinant iam fata ducum, nec iam amplius anceps
Belli casus erat: Graiae pars maxima classis

733. *pectora* sc. sua, ut in dolore alias fieri assolet.

734. *riguit*, sed exanimatus quasi signum adstitit, protentis manibus.

735. Homeri haec. τὸν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν.

736. *agnoscere desinit*, non amplius conspicere valuit.

739. *oscula*, sc. a patre.

741. *Ut t.* Quum quasi in vitam senex redisset. — *viresque* etc. et postquam senex recepit a dolore vires suas.

742. *Non perdam.* Vult senex mori ante filium, naturae lege, et ad id cogit quasi fatum. — *Tempora* autem intelligit spatium, quo vivit adhuc filius.

747. *superstes* sc. mihi, iam ante te morituro.

748. Quamvis gladio se transegerat, tamen et in undas desiluit, quo certius celeriusque moreretur. — *capulum polluerat*, h. e. ad capulum usque demerserat in se gladium, ut capulum quoque ipsum pollueretur.

752. *Inclinant.* Certius iam apparet, utri sint victores. Sub *ducibus* intellige hinc Brutum, illinc Domitium Nasidienumque. Duces autem pro copiis ipsis ponuntur, tamquam imperatores et capita rerum. Sic IV, 25. duces sunt Caesar et Afranius Petreiusque, non Caesar et Pompeius, ut quidam voluere accipere, et ut sane accipiendi sunt IV, 3. Sic III, 174. *Boeoti duces* pro copiis Boeotiae positi leguntur.

753. *belli*, pugnae. Non enim ex hac pugna pendebat integrum bellum.

Mergitur: ast aliae mutato remige puppes
Victores vexere suos: navalia paucae
Praecipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quanti matrum per litora planctus!
Coniunx saepe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavere patres. — At Brutus, in aequore victor,
Primus Caesareis pelagi decus addidit armis.

757. *quanti*. Sic C. b. d. — V. *quantus*.

754. *aliae* sc. Massil. naves. — *mutato remige;* nam pro Massiliensibus iam Romanos habuerunt remiges.

755. *paucae* ad navalia Massiliam revertuntur.

758. *confusis* etc. quoniam vultus eorum deformati erant et lacerati maris undis, ita ut recte agnosci nequirent. Cf. II, 166, et 189 — 191.

759. *ora*, caput, ut saepe.

762. *pelagi decus*, victoriam navalem.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER QUARTUS.

SUMMARIUM.

Interea Caesar in Hispaniam venit, ubi Afranius et Petreius legati praeerant copiis Pompeianis vel potius Romanis Iberisque cum illis coniunctis. — 10. *Ad Ilerdam res geritur.* — 28. *Fit proelium.* — 47. *Vere adveniente aquarum fiunt fluctus, et inundantur castra.* — 90. *Fames oritur et annonae caritas.* — 97. *Diluvium.* — 120. *Denique aquae recedunt; Petreius Ilerda abit.* — 147. *Caesar eum persequens pugnam facit.* — 156. *Fugientem hostem Caesar a tergo iubet excipi.* — 166. *Castra locantur utrimque et a Pompeianis et Caesarianis. Agnoscunt se invicem cives, et manus copulant, et pocula iungunt. At Petreius suos abigit, eosque alloquitur.* — 235. *Bellum recipitur.* — 253. *Fuga fit Pompeianorum Ilerdam versus.* — 263. *Caesar eos aqua intercludit.* — 266. *Describitur Pompeianorum aquae inopia.* — 336. *Afranius pacem petit a Caesare.* — 362. *Fit pax. Recreantur adversarii et milites et incolae.* — 401. *Interim Antonius, Caesaris legatus, in ora Dalmatica Salonis obsidetur a Pompeianis. Conantur Caesariani effugere noctu ratibus iunctis. Quarum duae feliciter elabuntur. At intercepti a Pompeianis qui tertia vehuntur, semet ipsos invicem ad unum omnes interficiunt.* — 581. *Curio interim, ex Sicilia ad Bagradam fluvium in Africa appellit prope Uticam, edoceturque ab incola quodam de ea regione, deque Herculis ibi contra Antaeum rebus gestis, et de Scipione.* — 660. *Curio Varum pellit.* — 714. *Contra Iubam pugnat; sed circumventus eius insidiis, ipse cum copiis perit.* — 798. *Apostrophe ad Curionem.*

At procul extremis terrarum Caesar in oris
Martem saevus agit, non multa caede nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.
Jure pari rector castris Afranius illis
Ac Petreius erat: concordia duxit in aequas
Imperium commune vices, tutelaque valli

1. *extremis*, in Hispania.
2. *non multa* etc. Nam duces Pompeiani, aquae potissimum inopia oppressi, Caesari se dediderunt. Cf. vs. 337 sqq.
3. *ducibus*, Caesari ad victoriam, Pompeio ad exitium.

Pervigil alterno paret custodia signo.
His praeter Latias acies erat impiger Astur,
Vettonesque leves, profugique a gente vetusta
Gallorum Celtae, miscentes nomen Iberis.
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis praelabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes;
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hibernas passurus aquas. At proxima rupes
Signa tenet Magni: nec Caesar colle minore
Castra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
Vix oculo prendente modum, camposque coerces,
Cinga rapax, vetitus fluctus et litora cursu
Oceani pepulisse tuo: nam gurgite mixto,
Qui praestat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli cessavit Marte cruento,
Spectandasque ducum vires numerosaque signa
Exposuit. Piguit sceleris; pudor arma furentum
Continuit; patriaeque et ruptis legibus unum
Donavere diem. Prono tunc Caesar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primae perstant acies, hostemque fefellit,

20. *coerces* C. et in seqq. *tuo.* — d. *coercens.* — V. *coercet* — *suo.* — 28. *tunc.* Sic Ar. Ae. — C. c. *tum.* — V. *cum.*
30. *perstant.* Sic Ae. — V. *praestant.*

8. *His* sc. Petreio Afranioque. — *erat* sc. auxilio.

10. Celtiberi, qui olim, relicta Gallia, in Iberiam transierant.

16. *passurus*, satis firmus contra aquas hibernas. — *at prox.* In rupe Ilerdae vicina erant castra Pompeianorum.

18. *gurges*, fluvius.

20. *coerces*, terminas.

21. *Cinga*, fl. ab orientali castrorum parte, ut Sicoris ab occidentali. — *vetitus.* Nam non ipse influit in Oceanum, sed per Iberum.

23. *qui praestat terris* sc. nomen. Ab Ibero enim dicta est Iberia.

24. *cessavit Marte*, non pugnatum est die primo.

25. Eductae quidem sunt in aciem copiae utrinque, sed sollummodo ut spectarent quasi se invicem. Non enim proelium est commissum. — *ducum*, hinc Afranii Petreiique, illinc Caesaris.

26. *Piguit sceleris*, h. e. quasi eos piguisset sceleris, h. e. belli civilis.

28. *prono in noctem Olympo*, h. e. Sole occidente.

29. *agmina*, i. e. exercitum suum. — *subita fossa circumdedit*, summa cum celeritate castra eo in loco fecit.

30. *Dum primae perstant acies*, dum primae acies (sc. Caesaris) hostibus oppositae perseverant. Non dubitavi autem 1.

Et prope consertis obduxit castra maniplis.
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
Imperat. Huc hostem pariter terrorque pudorque
Impulit; et rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus ferrumque locum promittit: at illis
Ipse locus. Miles rupes oneratus in altas
Nititur: adversoque acies in monte supina
Haeret, et in tergum casura, umbone sequentis
Erigitur. Nulli telum vibrare vacabat,
Dum labat et fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos stirpesque tenent, atque, hoste relicto,
Caedunt ense viam. Vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque iubet succedere bello,
Munitumque latus laevo praeducere gyro.
Sic pedes ex facili, nulloque urgente, receptus,
Irritus et victor, subducto Marte, pependit.

perstant recipere, unice probandam. Cf. Plin. 7, 2. *Gymnosophistae ab ortu ad occasum solis perstant.* Cf. supra 3, 620.

31. *Et prope cons.* Obducere est velare aliquid. Cf. IX, 109. Protexit igitur copiis arctius contractis munitionem castrorum; et hinc die sequenti milites suos iubet collem occupare, qui medius erat inter haec Caesaris castra et inter Ilerdam.

33. *tutam*, vel per ipsum illum collem, qui oppidum quasi tutabatur.

34. *Huc host.* Pompeiani partim terrore, ob periculum inde sibi imminens, partim pudore compulsi, priores tumulum ceperunt.

35. *rapto*, i. e. citato agmine. De re cf. Caes. de bello civ. I, 43.

36. *His*, sc. Caesarianis. — *illis*, Pompeianis. — *ipse locus*, quem iam ceperant.

37. *miles*, Caesarianus.

38. *acies*, Caesarianorum.

39. *sequentis*, sc. aciei. — *casura*, h. e. quia absque eo in tergum cecidisset.

40. *Nulli* etc. Nemo potuit telum in hostes coniicere.

41. *fixo*, in terram.

42. *tenent* arripiunt manibus. — *hoste relicto*, hoste quasi omisso, loco hostis viam caedunt.

43. *Vidit* etc. Intellexit Caesar, nisi succurreret, agmina esse interitura. Cf. V, 746.

44. *succedere bello*, peditibus auxilio venire, ut tutior receptus esset.

45. *munitumque* etc. Cf. Caes. I, 46. Nimirum equites, ab latere laevo in montem enisi, inter utramque aciem perequitabant, praeducebantque peditibus munitum latus suum, h. e. aciem suam, quae ab laeva contra hostes munita erat clypeis. Confundit autem poeta duo, quae separatim facta narrat Caesar.

46. Sic pedites Romani facile recepti sunt, h. e. se receperunt. V. vs. 56.

47. *et victor*, h. e. Pompeiani. — *irritus*, frustratus, quod non poterat persequi Romanos sese recipientes. — *subducto Marte*; Sulpitius: *subtractis peditibus, qui pugnabant.* — *pependit*, ste-

Hactenus armorum discrimina: cetera bello
Fata dedit variis incertus motibus aër.
Pigro bruma gelu, siccis Aquilonibus haerens,
Aethere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives, camposque iacentes
Non duraturae conspecto sole pruinae:
Atque omnis propior mergenti sidera coelo
Aruerat tellus hiberno dura sereno.
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsae portitor Helles,
Atque iterum, aequatis ad iustae pondera Librae
Temporibus, vicere dies: tunc, sole relicto,
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.
Ille suo nubes quascumque invenit in axe,

50. *siccis Aq.* Sic Ar. — V. *siccisque*. Pro *haerens* C. *horrens*.

tit pendens in monte. Cf. vs. 127. Virg. Ecl. I, 76.

48. *Hactenus*, sc. pertinuere; non ultra proelio decertatum est. Nam haec sola proelia gesta in Hispania. — *cetera b.*, reliqua belli fortuna pependit a tempestatibus. Cf. Caes. B. C. I, 48. — *incerti motus aëris* sunt venti modo hac modo ab illa parte flantes.

50. *haerens* male mutarunt contra libros in *horrens*. Verbum *haerere* sign. tarditatem, pigritiam, ut praec. *Pigro gelu*. Cf. I, 662.

51. Ratio hiemis describitur, qua nullae nives ceciderint, nisi in montanis regionibus, campi autem nonnisi pruina obducti fuerint, quae plerumque evanescit *conspecto sole*, h. e. ubi solem campi conspexerint aut senserint.

52. *Urebant*. Usurpatur enim h. v. et de frigore. — *iacentes*, depressiores.

53. *pruinae*, sc. urebant.

54. Atque omnis terra Hesperia sicca erat et arida hiberna serenitate.

56. Sed postquam Aries (portitor delapsae in mare Helles) calidum solem recepit, h. e. re duxit. — *Aries vernus*, quia ve affert.

57. *Sidera respiciens*; fingitu enim Aries averso capite respi ciens.

58. Atque iterum, post aequi noctium, dies augeri coepere.

59. *tunc* etc. Tunc luna, omis so Borea, qui hucusque flave rat, admisit Eurum.

60. *quo cornu* etc. i. e. post quam primum nova incrementa cepit. — *dubitanda*, quoniam e tempore dubium adhuc est, a vere sit incrementa captura.

61. *flammas accepit*. Aestu Cortius, stupidesque vocat inter pretes, qui haec de rubore i luna acceperint, ipse de incre mento lunae interpretatus, p *ab Euro* e coni. posito *in Eur* et in seqq. *ab axe*. Male. Na et de hoc interpretandum, et d rubore, et sunt verba amator *excludere* et *flammas accipere* Denique et vel maxime *flamma* de eo incendio accipiendae, qu legitur vs. 63. *Incendere dici nubes*, de tempestatibus tu maxime orientibus. Ceterum d rubore lunae v. V, 549.

62. *in axe suo*, h. e. terri

Torsit in occiduum Nabataeis flatibus orbem:
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quidquid concrescere primus
Sol patitur, quidquid coeli fuscator Eoi
Intulerat Corus, quidquid defenderat Indos,
Incendere diem nubes, oriente remotae;
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fuga. Vacat imbribus Arctos
Et Notus; in solam Calpen fluit humidus aer.
Hic, ubi iam Zephyri fines et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitae transcurrere, densos
Involvere globos; congestumque aeris atri
Vix recipit spatium, quod separat aethere terram.
Jamque polo pressae largos densentur in imbres,
Spissataeque fluunt: nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: moriuntur fulgura nimbis.
Hinc imperfecto complectitur aera gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, et coelo diffusum reddidit aequor.
Jamque Pyrenaeae, quas numquam solvere Titan

67. *Intulerat*. Sic Ar. C. a. b. c. d. — V. *impulerat*.

78. *moriuntur fulgura nimbis*. Sic Ar. Ae. C. — V. *exstinguit fulgura nimbus*.

82. *diffusum*. Sic Ar. Ae. a. b. c. d. C. — V. *defusum*.

orientalibus. Nam *axis* est mundi regio. Cf. II, 586. III, 359.

65. *primus sol*, Oriens.

67. *intulerat*, sc. in terras orientales. — *defenderat*, sc. a solis radiis et ardoribus.

68. *Incendere diem*, tempestates excitavere.

69. Non licuit nubibus morari in terris intermediis.

70. *rapuere*, rapido cursu attulere. — *vacat*, h. e. nullae nubes sunt in terris borealibus et australibus.

71. *Calpen*, Hispaniae locum, ubi Herculis columnae, Calpe et Abyla.

72. *summus cardo*, extremus axis h. e. regionis occidentalis pars ultima. Videtur hic quoque, ut alibi interdum, cardo significare lineam in regionem aliquam porrectam.

73. *tenet Tethyn*, coniungitur mari. — *vetitae tr.* ibi vetitae ulterius pergere.

74. *globos*, sc. nubium.

76. *polo*, coelo quasi pressae.

77. *nec servant fulmina flammas*; exstinguuntur enim nimbis. Inepte Cort. *cursum* pro *flammas*. *Non servare* enim *cursum* foret: alio quam consueto itinere currere.

78. *fulgura*. Fulmen est telum ipsum, quod emittitur; fulgur autem ignis aut coruscatio cum fulmine emicans.

81. *raptosque*, sc. ex oceano.

82. *coelo* dativus, ut II, 218. *redditque cadavera campo*. — *diffusum*, late effusum Oceani aequor. Est enim hoc epitheton ornans Oceani, ut infra 134. *fuso*. Cf. 670.

Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
Saxa gelu. Tunc, quae solitis e fontibus exit,
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. Jam naufraga campo
Caesaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum
Fallitur occultis sparsus populator in agris.
Jamque, comes semper magnorum prima malorum,
Saeva fames aderat: nulloque obsessus ab hoste
Miles eget; toto censu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deest prolato ieiunus venditor auro.
Jam tumuli collesque latent: iam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit:
Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum
Detulit, atque ipsas hausit, subitisque frementes
Vorticibus contorsit aquas et repulit aestus
Fortior Oceani. Nec Phoebum surgere sentit
Nox subiecta polo; rerum discrimina miscet
Deformis coeli facies iunctaeque tenebrae.
Sic mundi pars ima iacet, quam zona nivalis
Perpetuaeque premunt hiemes; non sidera coelo
Ulla videt, sterili non quidquam frigore gignit,
Sed glacie medios signorum temperat ignes.

92. Sic Ar. Ae. C. a. c. d. — V. *occultos sparsus p. in agros.*
102. *aquas.* Sic C. et a. b. pro varia lectione. — V. *equos.*
104. *subiecta.* Sic Ar. Ae. a. b. c. d. — V. C. *subtexta.*

88. *Caesaris arma;* castra et ipsi milites in campo undis circumdantur, ut statim declaratur.

89. *alto* etc. Imo vallum ab undis superatur.

90. *faciles* sc. amplius sunt.

91. *tectarum* sc. undis.

92. *occultis*, tectis unda.

95. *toto* etc. miles famelicus toto peculio suo parvum panem emit; *non* autem *prodigus* in eo est, h. e. non luxuriat in eo.

96. *Pro* etc. Et, quamquam fames sit communis, tamen venditorem invenit: tanta vis auri est! Cf. Plin. 8, 57. Front. IV, 5.

101. *Detulit*, sc. una cum rupibus, quas vi undarum absorpsit. — *ipsas hausit*, ipsas feras submersit. — *subitisque* etc. et subitis vorticibus contorsit aquas frementes aestusque Oceani, quoniam fortior erat.

102. *Aquas* an *equos* legendum, valde dubium videtur.

106. *pars*, terrae boreales in extrema continente.

109. *glacie* etc. Sed illa zona nivalis glacie sua ac frigore temperat ignes zonae torridae, quae media est et in qua sunt signa duodecim zodiaci. Cf. Tibull. IV, 1, 168. *vicinia coeli*

Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
Aequorei rector facias, Neptune, tridentis:
Et tu perpetuis impendas aëra nimbis;
Tu remeare vetes quoscumque emiseris aestus.
Non habeant amnes declivem ad litora cursum,
Sed pelagi referantur aquis: concussaque tellus
Laxet iter fluviis. Hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
Rhipaeas huc solve nives, huc stagna lacusque
Et pigras, ubicumque iacent, effunde paludes:
Et miseras bellis civilibus eripe terras.
  Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundi
Et veniam meruere dei. Jam rarior aër,
Et par Phoebus aquis, densas in vellera nubes
Sparserat, et noctes ventura luce rubebant:
Servatoque loco rerum, discessit ab astris
Humor, et ima petit, quidquid pendebat aquarum.
Tollere silva comas, stagnis emergere colles

123. *rarior* C. Ar. Ae. b. — V. *clarior*.

Temperat, *alter et alterius vires necat aër*.

110. Laudat poeta aquas, quod inundatione facta impedierint civile bellum, et quasi terras abstulerint ei gerendo. — *summe parens*, h. e. Jupiter. — *sic sorte sec.*, sc. Neptune, qui sorte secunda factus es rector tridentis aequorei.

112. *tu*, sc. o Jupiter, perpetuis nimbis aëra concedas.

113. *tu*, sc. Neptune. — *emiseris*, sc. e terris.

115. *referantur*, retro cogantur. — *concussa*, sc. tridente Neptuni.

116. *Laxet*, solvatur in novos fluvios. — *hos campos*, sc. ubi nunc geritur bellum, h. e. Iberiae campos.

117. *hos Rhodanus*, videlicet eosdem Iberiae. Vult enim omnes eo fluvios concurrere. — *vastos* etc. flumina undas suas vastas omnes huc dirigant. Cf. Stat. Theb. XII, 749.

121. Sed Fortuna, contenta quasi eo, quod Caesari parvum tantummodo terrorem incusserit, mox tanto magis ei favit; deique magis quam unquam secundi fuere, et veniam quasi meruerunt a Caesare.

123. Tandem aer et sol effecerant nubes tenuiores, ita ut Aurora iam denuo venturum diem praenunciaret. — *rarior*, tenuior, minus nebulosus.

124. *par aquis*, ita ut posset aquas fugare, ut II, 416. Eridani undae dicuntur fuisse *pares Phoebeis ignibus*.

126. *loco r.*, i. e. ordine rerum. — *discessit ab astris humor;* tanta enim cogitatur fuisse inundatio, ut aquae astra tangerent, hyperbolice. Sensus igitur est: diluvium est minutum, descenderunt aquae montibus.

127. *quidquid pendebat*, h. e. quidquid loca summa occupaverat. Cf. v. 47.

Incipiunt, visoque die durescere valles.
Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, caesoque inducta iuvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano: sic, quum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
His ratibus transiecta manus festinat utrinque
Succisum curvare nemus; fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Imposuit: medios pontem distendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis
Dat poenas maioris aquae. Postquam omnia fatis
Caesaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
Deserit, et noti diffisus viribus orbis,
Indomitos quaerit populos et semper in arma
Mortis amore feros, et tendit in ultima mundi.
Nudatos Caesar colles desertaque castra
Conspiciens, capere arma iubet, nec quaerere pontem

147. C. et quidam cdd. *Mortis*. — V. Ar. Ae. a. *Martis*.

129. *visoque die*, postquam valles rursus solem conspexerunt, h. e. postquam sol adspicere potuit valles, ut v. 53. *Dies* autem i. q. sol, ut II, 412. — Pro *valles* al. *calles*, al. *colles*. Nostr. vulg. et cdd. plerique, et recte valles dici possunt durescere post inundationem. Ceterum in superiori versu adfuere *colles*, nec verisimile est, duos versus iuxta se positos sic finiri: *colles* — *calles*.

131. Primum cymbae fiunt, deinde iis traiiciunt milites, tum ligna caeduntur, et ex his pons construitur, denique flumen rivis derivatur. Ceterum *primum* etiam iungi possit cum praecedenti *Ut*.

132. *caeso iuvenco*, h. e. pellibus bubulis.

133. *Vectoris patiens*, ita ut idonea esset ad vehendum militem.

134. *fuso*, i. e. late effuso; epitheto ornante, ut supra 88. *diffusum aequor*.

135. *tenet omnia*, terram Aegypti inundavit.

136. *bibula*; ad hoc Sulpitius: *herba palustri et arenosa; transtulitque poeta in herbam id quod erat arenae.* Ex papyro autem calceos adeo confectos esse constat; quidni cymbae potuerint fieri? Cf. Herod. II, 96.

137. *utrinque*, in utraque ripa.

138. *Succisum curvare nemus* est: ligna caedere, et ex iis arcus struere pontis. — *fluviique* etc. h. e. et quia timebat sc. manus, h. e. miles, ne denuo inundaret campos fluvius.

140. Ante *medios* suppl. *sed*.

143. *maioris aquae*, inundationis factae.

145. *noti orbis*, Hispaniae citerioris.

147. *Mortis*. Cf. 506. Non credibile *arma Martis* scripsisse.

Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur, rapuitque ruens in proelia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. Mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra,
In medium surgente die. Jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugae pugnaeque tenentur.
Adtollunt campo geminae iuga saxea rupes,
Valle cava media. Tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutae quos inter opaco
Anfractu latuere viae. Quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem
Inque feras gentes, Caesar videt. *Ite sine ullo*
Ordine, ait, *raptumque fuga convertite bellum,*
Et faciem pugnae vultusque inferte minaces:
Nec liceat pavidis ignava occumbere morte:
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit, et ad montes tendentem praevenit hostem.
Illic exiguo paullum distantia vallo
Castra locant. Postquam spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus,

150. *duris*, fortibus.

151. *rapuitque*, h. e. celeriter prosecutus est difficillimum iter, quum ad proelia iret, quod adeo fugiens timuisset ingredi, sc. per fluvium.

152. *receptis armis*, quae interim transvecta erant cymbis.

153. *a gurgite*, ab aqua.

155. *agmina summa* sc. Pompeianorum.

156. *eques*, equites Caesariani. — *tenentur*, retinentur Pompeiani, et fugientes, et pugnare coacti, ut interdum dubium esset, utrum fugerent, an pugnarent.

158. Vulgata et Cortius: *Valle cavae media*, h. e. quae (rupes) cavae quasi erant, quia vallis inter eas media erat. At Argentinensis et codd. multi: *Valle cava media*, h. e. dum vallis cava media inter eas erat.

160. *quibus* etc. Caesar videt, si hostis illis faucibus potiretur, futurum esse, ut *Mars* h. e. hostilis exercitus *emittatur* h. e. erumpat in *devia*, h. e. desertas remotasque terras et feras gentes.

163. *raptumque* etc. *Bellum* est: agmen sc. vestrum h e. ipsorum Caesarianorum, ut supra *Mars* vocatur; cf. et v. 161. — *fuga* est: cursus celer, ut saepe. *rapere* autem est: celeri motu aliquid promovere et propagare. *convertere* est *umlenken*, ut Sil. It. IX, 645. Sensus ergo loci: et postquam vos celeri cursu agmen vestrum promoveritis, et hostes praeverteritis, tum convertite vos, et occurrite hosti fugienti. Haec neque Cortius, neque ullus interpretum recte cepit. Nostram explicationem maxime probant versus 166. et 167. et imprimis Caesaris ipsius de hac re commentarii; qui conferantur.

169. Postquam oculi utrorumque vultus adversariorum suorum potuerunt agnoscere, ideo

Et fratres natosque suos videre patresque,
Deprensum est civile nefas! Tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu motoque salutant
Ense suos. Mox ut stimulis maioribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere vallum
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen; vocat ille propinquum:
Admonet hunc studiis consors puerilibus aetas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt:
Et, quamvis nullo maculatus sanguine, miles,
Quae potuit, fecisse timet. Quid pectora pulsas?
Quid, vesane, gemis? fletus quid fundis inanes,
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica dent bellum; saevos tu neglige cantus:
Signa ferant; cessa: iamiam civilis Erinnys
Concidet, et Caesar generum privatus amabit.

186. *dent bellum*. Sic a. et fere d. b. — Ae. Ar. *Classica dent bellum*.. — C. *dent bello*. — V. *det bello*.
187. Ar. C. a. d. b. *ferant*. — Ae. *ferunt*. — V. *ferat*.

quod (oculi) non languebant h. e. non fallebantur spatio interposito, h. e. quia spatio tam brevi divisi erant. .

172. *Deprensum*, h. e. repente agnoverunt animo, quantum nefas esset civile bellum, quod gerebant. — *tenuere*, h. e. retinuere se, aut moderati sunt sibi, quin ore sibi acclamarent invicem. Sic *tenuit manus*, IV, 289.

179. *Nec Rom*. h. e. quotquot erant in utrisque castris Romani, omnes inter hostes aut amicum aut propinquum aliquem agnoverunt.

180. *rumpunt*, interrumpunt.

182. *Quae potuit fecisse timet*. Dupliciter horum sensus potest constitui, prout comma ante aut post *fecisse* ponas. Quodsi postponas, ut edd. omnes faciunt, sensus erit: miles timet quasi ea facinora, quae potuisset facere, ut v. c. patrem aut fratrem vulneraret. In qua explicatione aut interpunctione duo non recte congruunt, primum quod sic nude positum *timet*, deinde perfectum *fecisse* perfecto *potuit* iunctum. Quare praefero alteram, quae nemini dum in mentem venit: *Quae potuit, fecisse timet*, ut ad *potuit* suppleatur *facere*. Nam de praeteritorum timore accipiendum esse, patet ex vs. 181. — *pulsas*, sc. prae dolore ob bellum civile.

185. *quem*. Intelligi quam maxime Caesarem, patet ex vs. 188, ubi de solo Caesare sermo est. Vult poeta, utpote perpetuo stans contra Caesarem, hunc a militibus deseri, non pareri illius iussis.

186. *dent* sc. tibicines, i. e. signum dent ad pugnam.

187. *Signa ferant*, sc. signiferi. Absurdum enim foret, Caesarem aut Pompeium ipsos supplere, quod faciunt alii.

Nunc ades, aeterno complectens omnia nexu,
O rerum mixtique salus, Concordia, mundi,
Et sacer orbis amor: magnum nunc saecula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebrae
Tot scelerum: populo venia est erepta nocenti:
Agnovere suos. Prô numine fata sinistro,
Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, et miles, castris permixtus utrisque,
Errabat: duro concordes cespite mensas
Instituunt, et permixto libamina Baccho
Gramineis fluxere focis: iunctoque cubili
Extrahit insomnes bellorum fabula noctes:
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra

199. Ar. Ae. V. cdd. *Graminei luxere foci*, puncto post *Baccho* posito. Nostrum C. et *instituere libamina* aegre dixerit bonus poeta.

189. *nexu*, quoniam concordia et amore omnia connectuntur.

190. *mixti salus mundi* vocatur amor, quia per eum fit, ut diversa genera misceantur et concilientur inter se, atque sic mundus servetur, quum absque amore singula sint interitura. Part. *mixti* igitur significat finem scopumque amoris, quasi ut sit: *qui per te miscetur;* ut passim perfecta pro gerundiis. V. Indicem v. *Praeteritum*.

191. *orbis*, h. e. qui amplecteris omnem orbem, et regnas in eo; cui parent omnia. Cf. Lucret. I. 1, sqq. — *magnum nunc*. Laetus animo poeta quasi mente iam videt vota sua feliciter evenire, exclamatque: ab hoc felici eventu, quo concordia et amor denuo locum habent, ventura omnia pendent. — *saecula nostra* sunt hoc ipsum temporis momentum pacis reconciliatae inter Caesarianos et Pompeianos, cui se quasi ipsum interesse fingit.

192. *latebrae*. Jam se non possunt excusare, postquam cognoverunt, se contra necessarios arma ferre.

194. *Proh numine* etc. In his poeta quasi erroris sui se ipsum damnat. Proh fata valde adversa, quae exiguam requiem maximis malis compensant, et ipsa illa requie clades augent. — Sed tamen pergit in enarranda re dulcissima.

197. *concordes* epitheton est ad *mensas*. Mensae sunt cibi ipsi, convivium. Mensas enim veras nullas habebant; pro quibus duro utebantur cespite. Nam eiusmodi, quales in Virgilio, quaeque illic post cibos comeduntur, hic non debent suppositae cogitari. *instituere* est: *auftischen*, *aufsetzen*, *anrichten*, ut Virgilii septimo: *Instituuntque dapes*, v. 109. Eam ipsam autem ob rem verbum *instituunt* vix apte potest et ad sequentia trahi: *et permixto libamina Baccho*, uti ex vulgata faciendum, quae post *Baccho* puncto posito, dein pergit: *Graminei luxere foci*. Quare probandus h. l. Cortius: *et perm. lib. Baccho Gramineis fluxere focis*, ex certis codicum vestigiis.

200. *fabula*, confabulatio.

201. *qua* i. e. quam forti. Cf. I, 241.

Exierit. Dum, quae gesserunt fortia, iactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. Nam postquam foedera pacis
Cognita Petreio, seque et sua tradita venum
Castra videt, famulas scelerata ad proelia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
Praecipitat castris, iunctosque amplexibus esse
Separat, et multo disturbat sanguine pacem.
Addidit ira ferox moturas proelia voces:
Immemor o patriae, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc caussae, miles, praestare senatus,
Adsertor victo redeas ut Caesare; certe
Ut vincare, potes. Dum ferrum, incertaque fata,
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum, damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine, Caesar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
Numquam nostra salus pretium mercesque nefandae
Proditionis erit: non hoc civilia bella,

203. *negant*, dissentiunt inter loquendum. — *quod solum* etc. Haec cum sequentibus cogitatione sunt iungenda.

204. *renovata fides*, revocati sunt ad amorem, quem debebant cognatis suis civibusque.

205. *Nam.* Causalis coniunctio referenda est ad praec. *futurum nefas*, cuius hoc iam, quod facit Petreius, initium est.

207. *famulas dextras ad sc. pr.* videlicet clientes suos et milites exteros, qui eum comitabantur. Abfuerat enim in remotioribus castris. V. Caes. de B. C. I, 75.

211. *moturas proelia*, h. e. in eum finem ut proelia moverent.

213. *Non potes* etc. Supplendum antea *si* aut *Quodsi.* — *caussae senatus*, sc. pro qua arma geris.

214. *adsertor*, vindex, restitutor rei in integrum, liberator et sospitator reipublicae. — *certe* i. e. saltem, ad minimum.

215. *Ut vincare potes*, saltem hoc potes, ut fide servata pugnes, dum vincaris. — *Dum ferrum*, h. e. dum arma adhuc tenetis, et dum incertum adhuc est, uter victor sit futurus.

217. *ibitis ad dominum?* vosmet ipsi tradetis in dominationem unius? Sic I, 670. *Cum domino pax ista venit.* — *damnataque signa feretis?* sc. Caesaris, qui patriae hostis est iudicatus.

218. *Utque hab.* Pepigerant milites Pompeiani apud Caesarem de venia ducibus etiam suis concedenda, eamque concesserat Caesar, fide data. Sensus ergo est: Quid? vos exoravistis Caesarem, ut et vos in famulorum suorum numerum reciperet vellet, et me atque Afranium duces, nullo discrimine facto? Quamquam *nullo discrimine* possit etiam esse: nullo certamine, nullo proelio commisso.

Ut vivamus, agunt. Trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non sonipes in bella ferox, non iret in aequor
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas umquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri iurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
Vestra fides, quod pro caussa pugnantibus aequa
Et veniam sperare licet. Pro dira pudoris
Foedera! Nunc toto fatorum ignarus in orbe,
Magne, paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, quum forsan foedere nostro
Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, et omnes

230. *pugnantibus aeq. Et c.* Sic Ar. Ae. C. b. c. d. — V. *pugnabitis aequa. Sed v.*
232. *foedera* Ar. Ae. c. b. — C. V. *Funera.*

222. *ut vivamus*, supple: sed ut liberi vivamus. — *Trahimur* sc. in servitutem sub nomine huius pacis, quam facere cupitis cum Caesare.

223. Horum hic est sensus: Imo, quoniam pessimum est pacem libertate emere, h. e. pessumdata libertate pacem facere cum hoste, ideo arma parantur, oppida muniuntur, bellum geritur a fortibus viris. — *chalybem*, ex quo gladii fiunt. — *metallis*, h. e. metallifodinis, quae *penitus fugiunt*, h. e. quae in imas terras recedunt. Innuitur difficultas.

226. *sparsura*, h. e. ut (classis) naves cum turribus in altum mare deducat, ibique bellum gerat navale. Dictio saepius obvia in Lucano. Cf. III, 64. II, 682.

227. si vere esset ex re, libertate pacem emi.

228. Facit oratorum more, ut obiectiones varias solvat. Sic in superioribus solverat obiectionem, quod milites dicerent, sese ducibus quoque veniam pepigisse. Hic, quod obiicerent, iusiurandum dedisse super ea re Caesarem. Sensus: At vos scilicet aiitis, hostes meos, sc. Caesarem, iureiurando dato teneri? *sceleri nefando*, in re iniqua.

229. *at vobis.* At hoc ipso apparet, quanti vos sitis faciendi. Illi enim, ut aiitis, fidem servant in re iniusta; vos fidem proditis, quum pro re iustissima pugnandum vobis sit, et quum, etiam si victi fueritis, veniam vobis sperare liceat.

231. *pudoris foedera!* proh dedecore plenum foedus!

232. *fatorum ignarus.* In his, et in postremis *forsan quum* etc. insignis est, non ironia, sed sarcasmus, isque acerbissimus. Nam *fatorum ignarus* est: quasi ignarus, hic (in Hispania) ignavia nostra et deditione iam actum esse de omni belli fortuna, et sententiam latam a sapientia nostra.

234. *quum forsan*, quum interim forsan etiam tibi, Pompei, uti nobis ducibus, a Caesare impetrata sit venia, paciscentibus cum illo militibus timidissimis et ignavis, dum tu indefessus omnem Orientem ad arma tua convocas.

Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic, ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitaeque tument gustato sanguine fauces;
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: et quae Fortuna deorum
Invidia caeca bellorum in nocte tulisset,
Fecit monstra fides: inter mensasque torosque,
Quae modo complexu foverunt, pectora caedunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes,
Ut dextrae iusti gladius dissuasor adhaesit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. Fervent iam castra tumultu,
[Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.]
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: iuvat esse nocentes.
Tu, Caesar, quamvis spoliatus milite multo,
Agnoscis superos. Neque enim tibi maior in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis

245. *monstra* C. Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *nostra*.
250. Versum habent Ar. Ae.

243. *et quae f.* Et facta sunt facinora, induciae quum essent (*fides*) atque pax, qualia si in obscura proeliorum turba (*nocte*) per fortunam (h. e. improviso) essent facta, in invidiam (h. e. in odium) deos adduxissent, seu quorum caussa dii ipsi accusarentur, quod non avertissent.

245. *monstra* vid. 252. et VII, 464. V, 284.

246. *caedunt* sc. pectora, quae modo etc.

247. *gementes* prae dolore ob pugnandi necessitatem impositam.

248. *Ut*, i. e. simulac.

249. *labantes*, dubios.

251. *rapiuntur*, caeduntur.

252. *Ac velut*, ac velut scelus non scelus esset, si occultum fiat.

253. *in fac.* h. e. in conspectu ducum facere ardent. — *iuvat*, gaudent quasi impios sese esse.

254. *milite multo*, qui interfecti erant in isto tumultu.

255. *agnoscis superos*; dubium quo sit modo interpretandum. Sulpicius: cognoscis deos tibi esse propitios. Atque sic et Grotius. At Farnabius Caesarem in his ait laudari a clementia, quod deos veritus, non par pari rependerit. Illud rectius videtur. Sensus: Tibi, Caesar, in hac re favit fortuna; nunquam enim res tua maius cepit incrementum. Nam per hoc crimen a Pompeianis commissum tua iam caussa melior facta est. — *in arvis Emathiis*, ad Pharsalum.

256. *Phocidos*, nam Massilienses ortum duxerunt a Phocaeensibus in Asia minori.

Massiliae, Phario nec tantum est aequore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux caussae melioris eris. Polluta nefanda
Agmina caede duces iunctis committere castris
Non audent, altaeque ad moenia rursus Ilerdae
Intendere fugam. Campos eques obvius omnes
Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undae praerupta cingere fossa
Caesar avet, nec castra pati contingere ripas,
Aut circum largos curvari brachia fontes.
  Ut leti videre viam, conversus in iram
Praecipitem timor est. Miles, non utile clausis
Auxilium, mactavit equos: tandemque coactus
Spe posita damnare fugam, casurus in hostes
Fertur. Ut effuso Caesar decurrere passu
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem:
Tela tene iam, miles, ait, *ferrumque ruenti*
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:
Vincitur haud gratis, iugulo qui provocat hostem.
En sibi vilis adest invisa luce iuventus,
Jam damno peritura meo. Non sentiet ictus,
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens.

257. *Phario*, Aegyptiaco, ad Alexandriam.

260. *iunctis castris committere*; non audent duces copias suas castris credere, quae tam prope iuncta essent cum Caesaris castris. Sic sine dubio interpretandum, quidquid nugetur Cortius. Omnem dubitationem eripit locus V, 461.

262. *eques*, sc. Caesaris.

265. *castra* sc. Pompeianorum. — *ripas*, fluminis.

266. nec pati, brachia castrorum h. e. vallum eorum, (Cf. III, 385.) curvari circum largos fontes, ut fontes intra se habeant.

267. *videre*, Pompeiani. — *in iram*, in pugnandi ardorem. Cf. II, 324. 527. 93. III, 614.

271. *effuso passu*, lata fronte. Sic *diffusum aequor* vs. 82, et *fusus Oceanus* v. 134.

273. *Tela*, sc. tua. — *tene*, retine. — *ferrumque* sc. tuum. — *ruenti* sc. in ferrum.

274. *bellum*, proelium, victoria.

275. Sensus: Qui cum moriendi proposito in hostem ruit, non sine damno vincentis vincitur.

276. *sibi vilis*, vilipendens vitam suam. — *invisa luce*, damnans vitam.

277. *damno meo*, sc. quia iam mea quasi est.

278. Dubium esse nullum debet, esse asyndeton, et supplendam esse negationem: *non incumbet gladiis*, *non gaudebit s. f.* ex praec. *non sentiet ictus.* Similia vide I, 76. II, 40. 285. 355. 373. III, 286. Similiter et in seqq. tria cumulantur.

Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces
Incassum et vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phoebo.
Inde ubi nulla data est miscendi copia Martis,
Paullatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt:
Saucia maiores animos ut pectora gestant,
Dum dolor est ictusque recens, et mobile nervis
Conamen calidus praebet cruor, ossaque nondum
Adduxere cutem: si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manus, tunc frigidus artus
Adligat atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis.
Jamque inopes undae, primum tellure refossa,
Occultos latices abstrusaque flumina quaerunt:
Nec solum rastris durisque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Asturii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
Aut micuere novi, percusso pumice, fontes:

283. *miscendi Martis.* Sic Ar. Ae. a. b. c. d. — V. C. *miscendae mortis.* — 288. *Adduxere* C. Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *Abduxere.* Sed sive Bentl. sive Web. nostram. — 298. C. *Asturii.* — V. *Assyrii.*

280. *Perdant*, frustra mori voluerint.

281. *passus* sc. est Caesar.

282. H. e. usque ad vesperam aut noctem.

284. *ira*, cf. 267.

285. Comparatio fit irae Pompeianorum cum ira eius qui, in certamine letali vulnere accepto, ubi viderit se vulneratum, nondum autem senserit, quam graviter, acrius etiam in hostem invehitur; at ubi victor se tenet h. e. continet, quoniam probe scit, se illi letale iam vulnus inflixisse, tum post paullo desubito illius ira cadit.

287. *ossa nondum adduxere cutem.* Nam ubi cruor defluxit, tum cutis propius adducitur ad ossa.

289. *tenuitque manus*, detrectat proelium. Cf. Indicem in *Simplicia.* — *tunc fr.*, tunc torpor, subducto robore, artus atque animum alligat sc. quasi vinculis. Ceterum in ordine sententiarum huius apodosis et in constructione offendere aliquatenus possit illud *atque animum* sic postpositum, deinde versus 291. item postpositus. Nihil tamen naevi aut falsi subest.

296. *premitur*, in tantam altitudinem foditur puteus in illo monte, ut fere aequet fundus campum *irriguum*, h. e. prope cuius superficiem plerumque inveniuntur aquae.

298. *Merserit Asturii* etc. Dausqueii emendatio. Cf. Sil. I, 231. et XVI, 584. Stat. Sylv. IV, 7, 16. Claud. Laud. Seren. 75. et de Mall. Theod. 41.

300. *pumice*, ut saepe, pro saxo in universum.

Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore iuventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
Quoque minus possent siccos tolerare vapores,
Quaesitae fecistis aquae. Nec languida fessi
Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. Si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. Nigro si turbida limo
Colluvies immota iacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscoenos miles: moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, et lacte negato,
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas frondesque terunt, et rore madentes
Destringunt ramos: ac si quos palmite crudo
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immixto stravit per rura veneno.
Hos licet in fluvios saniem tabemque ferarum,
Pallida Dictaeis, Caesar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana iuventus
Non decepta bibet. Torrentur viscera flamma,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Jam marcent venae, nulloque humore rigatus
Aeris alternos angustat pulmo meatus,

317. Ar. Ao. *ac.* — V. C. *et.*

302. *vena* sc. aquae. — *turbatur*, miscetur.

303. *super* est: sursum, quemadmodum apud Plautum *intus* est *herus*.

305. Sensus: Atque sic ipsa aquae quaerendae actio maiorem etiam efficiebat sitim.

306. *Nec languida f.* Ne augeretur sitis cibo sumto, ipsis epulis abstinuerunt.

311. *immota*. Sic Ovidius: *Et capiant vitium, ni moveantur, aquae.*

313. *rituque ferarum*, h. e. ut catuli faciunt.

314. *distentas* epitheton est ornans. Sic Horatius Epod. II, 46. *distenta siccet ubera*, et Virg. *Sic cythiso pastae distentant ubera vaccae.*

317. *et si quos.* Sensus: et, quos poterant, succos expressere nudis arborum ramis et medulla.

319. O fortunati, qui, hostem aliquem barbarum persequentes, ubi biberunt ex fontibus a fugiente hoste veneno infectis, moriuntur. Nam illis tamen licuit sitim restinguere.

323. *palam*, ita ut ipsi videant, ac non decipiantur.

Rescissoque nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora tamen, nocturnumque aera captant.
Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant
Impulsu, et siccis vultus in nubibus haerent.
Quoque magis miseros undae ieiunia solvant,
Non super arentem Meroen Cancrique sub axe,
Qua nudi Garamantes arant, sedere: sed inter
Stagnantem Sicorim et rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
Jam domiti cessere duces, pacisque petendae
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. Servata precanti
Maiestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam casusque novos gerit omnia victi,
Sed ducis, et veniam securo pectore poscit:
Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
At nunc sola mihi est orandae caussa salutis,
Dignum donanda, Caesar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis. Nos denique bellum
Invenit civile duces; caussaeque priori,
Dum potuit, servata fides. Nil fata moramur:
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti.

329. *siti* Ar. Ae. V. — C. a. b. *tamen*.

328. *Rescisso*, ulcerato. — *dura*, laedentia.

330. *modo*, i. e. paullo ante, in inundatione, cf. vs. 88.

331. *impulsu*, cum magna vi adventu, lapsu.

334. *Garamantes*, Libyae populi.

340. *servata* sc. est. — *precanti* h. e. a precante.

342. *victi*, *sed ducis;* genitivi pendent a praec. *priorem fortunam casusque novos*. Sensus: gerit omnia ea negotia cum Caesare ita ut servet vultum quasi intermedium inter fortunam priorem et casus novos, vultum victi, sed ducis victi.

345. *rapiendo*, mihimet ipsi inferendo, cupide quasi arripiendo.

347. *donanda*, qui dones.

349. *consiliis inimica tuis*, h. e. consilio nostro inimica tuis armis. Cf. v. 705.

350. *Invenit*, h. e. nos iam duces eramus, cum exortum est bellum civile.

352. *aperimus Eoas*, quia hac victoria patebit tibi iter in Orientem.

353. Securumque te esse patimur orbis Hesperii relicti, quippe ubi nullum habeas amplius hostem.

Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum lassaeque manus. Hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris inermes
Degere, quam tribuis: campis prostrata iacere
Agmina nostra putes: neque enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi
Captos ferre tui: turba haec sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: at facilis Caesar vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli poenamque remittit.
Ut primum iustae placuerunt foedera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum,
Aera non passus vacuis discurrere venis,
Arctavit clausitque animam: nec fervida pestis
Cedit adhuc: sed morbus egens iam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. Mox robora nervis
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, numquam parvo contenta parato,
Et quaesitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautae gloria mensae,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit aegros

357. *inermes* Ar. Ae. d. — V. C. *inermem.*

355. *hoc unum;* non enim proelia sunt gesta, quae ignoscere possis.

359. *Neque enim* etc. Conditio deditionis fuit, ne cogerentur arma pro Caesare ferre. Eam excusat in his. Non decet, inquit, victos arma sua miscere armis victorum.

363. Caesar, qui facilem se iis praebebat vultumque serenum gerebat, flectebatur, et remittebat illis *usum belli poenasque;* quae Sulpicius sic interpretatus est: concessit cessationem a militia et impunitatem; Farnabius: vacationem a bello et impunitatem indulget. Nimirum sic capiendum: remittit iis militiam apud se poenasque; concedit illis, ne ipse iis utatur ad bellum gerendum. Potest et *usus* esse pro *usufructu*, et *bellum* pro *copiis*, ut sit: remittit ducibus usumfructum copiarum sc. ab se faciendum, et poenas. Ceterum *usum belli* v. Sall. Jug. 84. Sil. XI, 610.

368. *Continuus* etc. Multis militibus haustus continuus aquae animam arctavit clausitque, ita ut paene exstinguerentur.

370. Ad *nec* supple *tamen.*

371. *morbus egens*, sitis inexstincta. — *iam gurgite plenis visc.* i. e. quamquam viscera plena sint aqua.

373. *O prod.* Pro Stoico loquitur, ut II, 381. sqq.

Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
Non auro murrhaque bibunt; sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis fluviusque Ceresque.
Heu miseri, qui bella gerunt! Tunc, arma relinquens
Victori, miles spoliato pectore tutus
Innocuusque suas, curarum liber, in urbes
Spargitur. O quantum donata pace potitos
Excussis umquam ferrum librasse lacertis
Poenituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella deos. Nempe usis Marte secundo
Tot dubiae restant acies, tot in orbe labores:
Ut numquam fortuna labet successibus anceps,
Vincendum toties, terras fundendus in omnes
Est cruor, et Caesar per tot sua fata sequendus.
Felix, qui potuit, mundi nutante ruina,
Quo iaceat iam scire loco. Non proelia fessos
Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam coniux natique rudes et sordida tecta
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor. Ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. Sic proelia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem

386. *librasse* C. — V. *vibrasse*.

379. *ignoto consule*, h. e. vinum tam vetustum, ut consulis nomen, quo insignitum est, nemo noscat.

380. Non pateris vasisque utuntur iam Pompeiani nostri aureis murrhinisque.

381. *populis*, i. e. his militibus.

385. O quantum eos poenituit, postquam potiti sunt pace ab Caesare sibi concessa, unquam ferrum librasse lacertis etc.

388. Post *Nempe* cogitatione adde *Caesarianis*.

390. *Ut* i. e. q. *Utut*. Nova enim res incipit.

397. *non deductos*. Bello enim finito, victores copiae plerumque deducebantur in coloniam aliquam, ubi agri singulis assignabantur. Hoc Pompeianis non accidebat; quorum unusquisque potius in suam terram revertebatur.

399. Utrumque, sive *pavor*, sive *favor* legas, bonum habet sensum. Pro neutro enim pavebant adversa belli; quod futurum fuisset, si alteri prae altero favissent. At illi utrique pariter favebant. Utcumque dubium sit, ego magis inclino ad l. *pavor*, sed ut accipiatur de timore mali eventi, quod alterutri ducum posset accidere. Ita si accipias, ad sensum utrumque idem praestat; at l. *pavor* facilior, et ideo haudquaquam reiicienda. Etenim communis illa criticorum regula suas ipsa quoque habet exceptiones.

402. Transit poeta ex Hispania ad litus Illyricum, in quo

titit: in partes aliquid sed Caesaris ausa est,
maris Hadriaci longas ferit unda Salonas,
pidum in molles Zephyros excurrit Jader.
bellaci confisus gente Curictum,
alit Hadriaco tellus circumflua ponto,
litur extrema residens Antonius ora,
ns ab incursu belli, si sola recedat,
gnat quae tuta, fames. Non pabula tellus
endis submittit equis, non proserit ullam
Ceres segetem: spoliabat gramine campum
s, et adtonso miseris iam dentibus arvo
orum siccas de cespite vulserat herbas.
rimum adversae socios in litore terrae
Basilum videre ducem: nova furta per aequor
isita fugae. Neque enim de more carinas
ndunt, puppesque levant, sed firma gerendis
bus insolito contexunt robora ductu.

406. C. *Curictum* ex cd. — V. *Curetum*.

nius obsidetur a Pompeia-
m copiis contra eum mis-
is insula aliqua aut penin-
, a gente Curictum habita-
nde, fame pressus aufugere
t tribus ratibus permagnis
tificiose constructis, ad Do-
llam, qui erat in Illyrica
nenti. Atque feliciter ela-
ur duae rates; tertia astu
rtificiis Pompeianorum ad
retrahitur et undique im-
atur. Ibi, quoniam effugium
m vident, qui insunt rati
nnum omnes se invicem in-
ciunt. De re ipsa silent Cae-
commentarii. Florus pae-
sdem verbis cum poeta ex-
t IV, 2.

4. *Salonae*, urbs Dalmatiae,
ria Romanorum, in qua na-
Diocletianus.

5. *in molles Zephyros*, h. e.
s occasum. — *Jader*; scri-
et Jadar. Nota est *Colonia*
ra ex Ptolemaeo, Plinio,
, oppidumque Jader non
e ab Salonis. Sed et flumen
eiusdem nominis, excurrens
n mare. Atque sic si acci-
, parallelus locus erit illi, III, 190: *Colchis et Hadriacas spumans Absyrtis in undas*. Ut enim ibi Absyrtis in undas Adriaticas spumat, flumine cognomine immisso, sic hic Jader excurrere dici possit.

409. *cautus*, i. e. tutus. Sic *incautus* vs. 719.

415. *socios*, Dolabellam cum copiis Caesarianis, in continente Illyria.

416. *Basilum*, cuius nominis plures commemorati sunt, cf. Juvenal. VII, 146. X, 222. Nostrum habet et Florus IV, 2, et videtur fuisse item dux copiarum Caesarianarum.

418. *Extendunt*, i. e. construunt, quia carinae in longum porriguntur. — *puppesque levant*, h. e. attollunt, quia puppes altissimae navium partes sunt.

419 *robora, firma gerendis molibus*, h. e. turribus. Contexunt robora i. e. ligna, quae satis firma sint turribus gerendis. Sic III, 536. Bruti navis *molem* profundo invehit. — *insolito ductu*, insolita forma et structura.

Namque ratem vacuae sustentant undique cuppae,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium: sed, quod trabibus circumdedit aequor,
Hoc ferit, et taciti praebet miracula cursus,
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Aestus agat, refluoque mari nudentur arenae.
Jamque relabenti crescebant litora ponto;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminae comites. Cunctas super ardua turris
Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricae custos Octavius undae
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
Continuit, cursu crescat dum praeda secundo:
Et temere ingressos repetendum invitat ad aequor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos

Sic *ductus oris, ductus vultus* dicitur.

420. *Cuppae* proprie sunt vasa vinaria. Sed et scaphas eo nomine nuncupari scribit Cortius. Vid. Vegetium III, 7. — *vacuae* est epitheton ornans, et sign. i. q. *cavae*, uti *mapalia* vs. 684. Ratis erat ita constructa in quadratum, ut intus vacaret locus aquis, quibus remiges impellerent, latera autem aperta turres haberent militesque propugnantes.

425. *taciti*, quoniam non audiuntur aut non comparent remorum pulsus.

427. Tunc exspectatur aestus maris, quo facto, cum refluente in altum mari rates quoque in profundum deferantur. Solvuntur autem, ut videtur, cunctae tres, prima vice, transportatisque primis copiis, redeunt ad insulam, ut reliquas etiam copias ad continentem advehant. Ibi duae elabuntur, tertia haeret.

431. *turris*. Nimirum in singulis erant singulae turres, aut plures.

432. *tremulis*, mit schwankenden Zinnen. Hoc enim significat in his *tremere*. Cf. II, 679. et 621.

434. *carinas* sc. suas.

435. *cursu crescat dum praeda secundo*. Haec si de secunda navigatione intelligenda sunt, cogitandi sunt Caesariani tanto plures milites istis ratibus imposuisse, quanto felicius prior cursus absolutus fuerat.

437. *pace maris*, h. e. quiescente Octavio. — *Sic dum pav.* Sic venator, dum vult cervos investigare, ut in retia eos compellat, ab initio continet canes latrantes, et nonnisi eos in silvam immittit, qui abstinere possunt latratu. — *dum*, so lange, bis, — *claudat*, circumcirca includat, *formidine*; formido est linea aut restis vario pennarum diversicolorum contextu instructa, qua terrentur ferae. Cf. Senec. de Ira II, 12. *Nec est mirum, cum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat et in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido.* Cf. et Sen. Hippolyt. 46. sqq. quo loco in-

Claudat odoratae metuentes aera pennae,
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi,
Spartanos Cretasque ligat: nec creditur ulli
Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, et praeda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
Nec mora: complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus, quo tempore primas
Impedit ad noctem iam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
Et laxas fluitare sinit religatque catenas
Rupis ab Illyricae scopulis. Nec prima, nec illa,
Quae sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
Haesit, et ad cautes adducto fune secuta est.
Impendent cava saxa mari, ruituraque semper
Stat (mirum) moles, et silvis aequor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates submersaque pontus
Corpora saepe tulit, caecisque abscondit in antris:

447. Ar. C. Ae. a. b. c. d. *Impedit*. — V. *Impulit*.

teger noster locus optime illustratur.

438. *metuentes aera pennae odoratae*, h. e. qui metuunt pennas odoratas, quae vel aere moventur, vel per aerem odorem suum spargunt. Fuerunt enim plerumque rubri coloris, ita ut fortasse per colorem, quo infectae erant, odorem etiam emitterent.

439. *dispositis varis*, perticis furcatis.

440. *Molossi*, cf. Sen. Hippol. 46.

443. *nescit latrare*, h. e. scit non latrare.

444. *Contentus* etc. Nam canes longo loro alligati, cuius finem manu tenebat venator, in silvam immittebantur. Qui cum invenissent cubile cervi, taciti lorum certo quodam modo huc illuc movebant. Hoc autem est *tremulis*; cf. ad vs. 432.

446. *deseritur*, sc. a militibus, qui cupide rates petunt.

447. quo tempore lux, iam extrema, primas adhuc impedit tenebras (h. e. eas adhuc retinet) ad noctem, h. e. quin nox fiat.

448. *Pompeianus* adiunctum est τῷ *Cilix*, quoniam Cilices in partibus Pompeii erant.

449. *passusque*, et dum liberam relinquit superficiem maris, depressa sub ea *vincula* h. e. catenas et hamos, suspendit.

454. *ad cautes*, ad insulam attracta est.

456. *moles*, sc. saxea litoris, ita tamen ut semper videatur esse ruitura. — *silvis*, h. e. arboribus, quibus ea rupes consita.

**Restituit raptus tectum mare: quumque cavernae
Evomuere fretum, contorti verticis undae
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdin.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit: hanc omni puppes statione solutae
Circumeunt: alii rupes ac litora complent.
Vulteius tacitas sensit sub gurgite fraudes;
(Dux erat ille ratis,) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe proelia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus: inter tot millia captae
Circumfusa rati et plenam vix inde cohortem
Pugna fuit; non longa quidem: nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebrae.
Tunc sic adtonitam venturaque fata paventem
Rexit magnanima Vulteius voce cohortem:
*Libera non ultra, parva quam nocte, iuventus,
Consulite extremis angusto tempore rebus.
Vita brevis nulli super est, qui tempus in illa
Quaerendae sibi mortis habet: nec gloria leti***

459. *raptus* C. Ar. Ae. a. b. c. — V. *rupes*.
472. Ar. V. *atra*. — C. Ae. a. b. c. d. *umbra*.
477. Ar. omittit *in* ante *tempore*. Habet vulg.

459. *Restituit raptus tectum mare*, h. e. ibi mare, rupe clausum (cf. I, 406.), evomit ea quae antea abstulerat.

461. *Tauromenitanam*, prope Tauromenium, Siciliae oppidum. Ov. Fast. IV, 475. Plin. III, 8. Val. Max. II, 7, 3.

462. *Opiterginis*. Opitergium oppidum Venetorum.

463. Hanc cingunt omnes Pompeianorum naves ex statione sua provectae.

464. *alii* sc. Pompeiani.

467. *poscit spe proelia nulla*, h. e. vult pugnare, quamquam nulla spes sit vel victoriae vel fugae.

468. *Incertus*, nimirum quoniam aeque ab omni parte cinctus erat.

469. Constructio: Virtus tamen, in hoc casu deprensa, effecit, quantum valebat.

471. *inde*, h. e. a parte Caesarianorum, quorum non plena cohors in rati illa erat. Cohors autem est decima pars legionis.

475. *rexit*, monstravit, quid esset faciendum.

476. *iuventus* i. e. q. milites.

478. *Vita brevis nulli super est, qui* etc. Nullius vita nimium brevis est iudicanda, cui tantum temporis suppetit, ut sibi mortem ipse quaerat. Disiungendum autem *super* et *est*, illudque sic supplendum: *super, quam par est*.

479. *nec gloria l.* nec minor est gloria ex morte ei, qui, illa sibi sponte illata, fato admoto occurrit, quam gloria ex victoria esse posset. — *admotum fatum* est interitus certo imminens. Cui *occurrere* est i. q. praevertere, praevenire, φθάνειν.

Inferior, iuvenes, admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturae tempore vitae,
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere, et extremae momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. Non cogitur ullus
Velle mori. Fuga nulla patet: stant undique nostris
Intenti cives iugulis. Decernite letum,
Et metus omnis abest: cupias quodcumque necesse est.
Non tamen in caeca bellorum nube cadendum est,
Aut quum permixtis acies sua tela tenebris
Involvunt, conserta iacent quum corpora campo,
In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis hostique carina
Constituere dei. Praebebunt aequora testes,
Praebebunt terrae, summis dabit insula saxis:
Spectabunt geminae diverso e litore partes.
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. Quaecumque per aevum
Exhibuit monumenta fides, servataque ferro
Militiae pietas, transibit nostra iuventus.
Namque suis pro te gladiis incumbere, Caesar,
Esse parum scimus: sed non maiora supersunt
Obsessis, tanti quae pignora demus amoris.
Abscidit nostrae multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.

487. Sic Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *Et metus hinc absit.*
489. *Aut* Ar. a. c. d. Ae. — V. C. *Ut.*
503. *Abscidit* Ar. C. Ae. a. b. — V. *Abscindit.*

481. *incerto tempore* sunt ablativi consequentiae, causam subsequentis sententiae continentes. Quoniam omnino incertum est omnibus, quantum futurum sit venturae vitae spatium, par est laus, et longissimos, quos forsitan speraveris, annos sponte abiicere, et extremae diei momentum abrumpere.

484. *Non cogitur ullus velle mori*, nondum ullus nostrum cogitur velle mori; liberum adhuc habemus arbitrium. Et hic simplex *non* positum pro composito *nondum*, ut *enim* pro *enimvero*, et *tamen* pro *tamenetsi*.

488. *cadendum est*, sc. nobis. Ostendit, quanta gloria sint morituri, quippe in conspicuo, non in proelii turba.

489. *Aut* reposui ex bonis nostris, et innumeris aliis libris editionibusque vett. Est autem explicatio praecedentium per asyndeta.

495. *diverso*, i. e. Caesariani, qui spectant ex continente.

496. *nostris fatis*, per nostrum interitum.

499. *transibit*, h. e. vincet, superabit, gloriosior erit nostra cohors.

504. *Quod non cum senibus* etc. videlicet quoniam sic cum illis etiam essemus morituri, Saguntinorum exemplo.

Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes
Et morti faciles animos, et gaudeat hostis
Non plures haesisse rates. Tentare parabunt
Foederibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famae,
Promittant veniam, iubeant sperare salutem:
Ne nos, quum calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. Magna virtute merendum est,
Caesar ut, amissis inter tot millia paucis,
Hoc damnum cladem que vocet. Dent fata recessum
Emittantque licet, vitare instantia nolim.
Proieci vitam, comites, totusque futurae
Mortis agor stimulis: furor est. Agnoscere solis
Permissum est, quos iam tangit vicinia fati,
Victurosque dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor
Nobilium mentes iuvenum: quum sidera coeli
Ante ducis voces oculis humentibus omnes
Adspicerent, flexoque Ursae temone paverent,
Iidem, quum fortes animos praecepta subissent,
Optavere diem. Nec segnis mergere ponto
Tunc erat astra polus: nam sol Ledaea tenebat

508. *corrumpere*, impellere nos ad deditionem, vita pacta.

509. *unica*, egregia.

512. *Magna virtute merendum est.* Videlicet nisi fortiter moriemur, numquam nos Caesar suos vocabit, aut interitum nostrum vere damnum existimabit.

514. *recessum*, i. e. liberum discessum.

515. *instantia*, mortem tamen nolim vitare.

517. *stimulis*, cupidine. — *furor est* sc. iam in me.

518. Soli illi, qui iam sunt in vicinia mortis, sciunt, in morte esse felicitatem. Contra iis, qui adhuc longius tempus victuri sunt, abscondunt dii hunc felicitatis, quae in morte est, sensum, *quo durent vivere*, h. e. ut in vita perdurent, quia, si omnes illius felicitatis sensum haberent, omnes mallent mori. Ergo copula in *Victurosque* posita est pro adversativa *autem*.

520. *Sic cunct.* etc. Prosa haec foret constructio: Hac oratione ita omnes accensi sunt, ut, quum antea venturum diem expavissent, iam, erecti praefecti sui praeceptis, cupide diem optarent. Omissa igitur coni. *ut*, apodosin recta, non obliqua oratione, elocutus est.

526. *Ledaea.* Sol in Geminis tum erat, versus mediam aestatem, quo tempore brevissimae noctes fiunt, dies autem longissimi, quia vicinus est Cancer. Tum, ubi meridies est, Soli vicinus est Cancer, cui oppositus Sagittarius medium noctis occupat. Sagittarius autem est Chiro Thessalus. Is tum *urgetur nocte*, h. e. proxime praecedit noctem mediam, ut Cancer solem. Vide I, 491. Horat. Epod. XVII, 25.

Sidera, vicino quam lux altissima Cancro est:
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.
Tentavere prius suspenso vincere bello
Foederibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. Stabat devota iuventus,
Damnata iam luce ferox, securaque pugnae
Promisso sibi fine manu: nullique tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas:
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor. Primus dux ipse carinae
Vulteius, iugulo poscens iam fata retecto,
Ecquis, ait, *iuvenum est*, *cuius sit dextra cruore*
Digna meo, *certaque fide per vulnera nostra*
Testetur se velle mori? Nec plura locuto
Viscera non unus iamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. Sic semine Cadmi
Emicuit Dircaea cohors, ceciditque suorum

531. *Tentavere* sc. Pompeiani.

532. *fieret* c. si forte inclusis fieret vita dulcior ipsâ morâ mortis. Intentos videbant Pompeiani Caesarianos ad fortissime pugnandum, mortemque subeundam paene certam. *Pugna* igitur hic merito vocari possit *mors*, ut *mortis mora* idem sit, quod mora pugnae. Nihil eo minus tamen expeditior locus sit, si pro *mortis* legatur *Martis*, quae duo in Lucano alibi etiam in libris inter se sunt permutata. *Mars* autem i. e. q. *pugna*. Nil tamen mutavimus.

534. *damnata luce*, ut v. 276. *invisa luce*, h. e. *vita*. — *secura pugnae*, nihil timens pugnam, quia sibi ipsis iam promiserant mortem manu propria inferendam.

535. *tumultus*, ab hoste excitati.

538. *mentis*, h. e. cum animus mortem destinavit.

539. *bello* pro *pugnâ*. Non enim dativo accipiendum.

540. *ab hoste*, supple: in semetipsos.

543. *certa fide*, certo quasi promisso.

545. *iamdudum* hic est: statim, paullo post, ut in Plauto: paullo ante. Cf. Plaut. Cas. 2, 6, 62. Epid. 3, 3, 27. Mil. V, 36. — Cf. Nostr. II, 524.

546. *cunctos*, sc. qui eum interfecere, h. e. duos aut tres. Cf. III, 18.

548. totumque nefas proelii in unis solum partibus unaque acie perpatraverunt, inter semetipsos.

550. *ceciditque* sc. Dircaea co-

Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen:
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenae, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos complerunt sanguine sulcos:
Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. Sic mutua pacti
Fata cadunt iuvenes: nimiumque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque caduntque
Vulnere letali: nec quemquam dextra fefellit,
Quum feriat moriente manu. Nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et iugulis pressere manum. Quum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti,
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
Exegere enses. Pietas ferientibus una,
Non repetisse, fuit. Jam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari. Despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,

554. *complerunt* Ar. Ae. C. c. — V. *implerunt*.
557. *nimiumque* Ar. C. Ae. b. c. — V. *minimumque*.

hors, h. e. nati ex dentibus draconis a Cadmo satis.

551. *Thebanis fratribus*, Eteocli et Polynici.

552. *Phasidos et campis*, in terra Colchica. — *insomni dente*, h. e. ex dentibus draconis vigilantissimi. Rem vide Valer. Flacc. libro VII. Ovid. VII, 10.

553. *missa*, h. e. immissa. — *magicis cantibus* sc. Medeae. — *ira*, pugnandi ardore.

554. *tantos*, i. e. *tantùm*, adiectivo loco adverbii posito, ut V, 193. *extremae* pro *extremo*. — *sulcos*, quos bobus iunctis ignivomis fecerat Jason.

556. *nefas*, h. e. fratricidium quod nati ex illis dentibus committebant, postquam Jason lapidem inter eos coniecerat. — Sic cadunt Caesariani, dum sese mutuo interimunt.

557. In Vulgata legitur *minimum*, quae l. significaret, vim, quam exseruerint viri in se mutuo interficiendis, superasse adeo vim violentiamque mortis ipsius, quae tamen omnes subegit. Quam lectionem possit comprobare repetitio verbi *mors*, quae videtur oppositum aliquod significare. Cortius tamen et boni libri habent *nimiumque*.

560. *Quum* i. e. q. quamquam, ut vs. 562. — Ad *nec vulnus adactis* supple adv. *tantum*.

561. Ante *percussum est* supple *sed adeo*. Sensus: Qui nondum erant transfixi, ipsi pectore suo in gladium occurrentis irruebant, et pectore quasi ferrum percutiebant.

562. *iugulis pressere manum*, ipsi iugulum suum eo usque adegerunt in ferrum alterius, ut capulum manusque premeretur iugulo. — *Quum* hic quoque, ut vs. 560, pro *quamquam*.

564. *toto cum pondere*, omni cum nisu.

566. *non repetisse* sc. *ictum*, h. e. uno ictu interemisse patrem aut fratrem aut filium.

Et mortem sentire iuvat. Jam strage cruenta
Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. Nullam maiore locuta est
Ore ratem totum discurrens fama per orbem.
Non tamen ignavae post haec exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu. Sed regna timentur
Ob ferrum, et saevis libertas uritur armis:
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
Mors, utinam pavidos vitae subducere nolles,'
Sed virtus te sola daret!
Non segnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque rates audax Lilybaeo litore solvit
Curio: nec forti velis Aquilone recepto
Inter semirutas magnae Carthaginis arces
Et Clupeam tenuit stationis litora notae:
Primaque castra locat cano procul aequore, qua se
Bagrada lentus agit, siccae sulcator arenae.
Inde petit tumulos exesasque undique rupes,
Antaei quae regna vocat non vana vetustas.
Nominis antiqui cupientem noscere caussas
Cognita per multos docuit rudis incola patres.

572. *ducibus* sc. Pompeianis mirantibus, ulli militi tanti posse esse ducem suum, quanti suis hic fuit Caesar, a quo ne desciscere cogerentur, mortem potius oppetierant.

576. *quam sit* etc. quam non sit difficile, potius mori, quam servitutem subire.

577. *regna*, i. e. tyrannicae potestates.

578. *ob ferrum*, ob armatos et mortem, quam inferunt. — *uritur*, vexatur.

580. *vitae subducere*, vita privare.

581. *Sed virtus* etc., sed ii te solum nanciscerentur, qui fortes sese praestant. — *Non segnior.* Transit iam in Libyam, ubi Curio, qui de partibus est Caesaris, pariter adversa utitur fortuna, ex Sicilia eo appulsus. — Sensus: Non minus grave, quam illud ad Salonas, bellum erat, quod etc.

584. *nec forti* etc. et postquam Aquilone non adeo forti, sed leniter flante mare traiecerat, appulit inter Carthaginem Clupeamque.

586. *notae*, ob bella ibi gesta.

587. *cano;* solitum hoc addi epitheton Oceano. Cf. Virg. — *procul*, h. e. prope.

588. *Bagrada*, fluvius.

590. ubi vetustas narrat fuisse olim Antaei regnum; neque falso. — Curio quum cuperet caussam cognoscere, quare ea regio vocaretur regnum Antaei, edocet eum agricola quidam ea, quae ipse de ea re compererat, tradita sibi per patrem et proavos suos.

Nondum post genitos Tellus effeta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam iusta fuit terrarum gloria Typhon,
Aut Tityos Briareusque ferox: coeloque pepercit,
Quod non Phlegraeis Antaeum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui foetus, quod, quum tetigere parentem,
Jam defecta vigent renovato robore membra.
Haec illi spelunca domus: latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga ferae praebere cubile
Adsuerunt, non silva torum: viresque resumit
In nuda tellure iacens. Periere coloni
Arvorum Libyes: pereunt, quos adpulit aequor,
Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terrae spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. Tandem vulgata cruenti
Fama mali, terras monstris aequorque levantem
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonaei proiecit terga leonis,
Antaeus Libyci. Perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacae servato more palaestrae:
Ille, parum fidens pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infundit arenas.
Conseruere manus et multo brachia nexu.

616. *infundit* Ar. Ae. C. — V. *infudit*.

593. Tellus quamquam genuerat gigantes, nondum tamen effeta eo partu facta, Libycis in antris Antaeum concepit.

595. Eo partu pariter merito gloriari poterat Tellus, quam Typhone et Tityo Briareoque; coelumque sibi potuit gratulari, quod Antaeum Tellus non in Thessalia protulerit, ubi gestum est bellum contra deos.

598. Porro autem terra vires tam vastas filii sui hoc quoque munere auxit, quod, ubi membra eius, certamine defessa, terram matrem suam tangerent, renovato vigebant robore.

601. *Haec spelunca*, δεικτικῶς. Monstrat enim narrator digito speluncam. — *domus* sc. fuit.

602. *epulas*, suppl. *et*.

603. *terga*, h. e. pelles.

604. *silva*, frondes arborum.

607. Virtus Antaei per longum tempus non usa auxilio illo in terram cadendi, sprevit quasi vires ex terra.

609. *staret*, non in terram procideret.

610. *levantem*, liberantem, sc. Herculem.

613. *liquore*, oleo unxit.

614. *Hospes*, Hercules.

615. *parum fidens*, quia non confidebat fore, ut semper, ubi opus esset, terram contingere posset.

616. *arenas*, quae pariter sunt partes terrae.

Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur:
Miranturque habuisse parem. Nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis,
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, et gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati: tunc pectore pectus
Urgeri: tunc obliqua percussa labare
Crura manu. Jam terga viri cedentia victor
Adligat, et medium, compressis ilibus, arctat:
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. Rapit arida tellus
Sudorem: calido complentur sanguine venae.
Intumuere tori, totosque induruit artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto:
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
Desectam timuit, reparatis anguibus, hydram.
Conflixere pares, telluris viribus ille,
Ille suis. Numquam saevae sperare novercae
Plus licuit. Videt exhaustos sudoribus artus

635. *Desectam* Ar. C. Ae. a. c. d. — V. *Defectam.*

621. Hercules in primo certamine non omnibus viribus contendebat.

622. *Exhausitque virum*, sed lentius pugnando adversarium defatigabat.

624. Tunc ab Hercule quatiebatur cervix Antaei iamiam lassata; tunc pectus eius urgebatur pectore Herculis; tunc crura Antaei, percussa manu obliqua Herculis, lababant. *Tunc, tunc* videtur esse i. q. *nunc, nunc.* Sed alibi et continuationem significat, quasi pro *porro* positum.

625. *obliqua manus* ictum transversum significat. Cf. 422.

627. *adligat*, manibus eum complexus.

628. *Inguina*, h. e. femora. — *insertis pedibus*, pedibus inter crura immissis, quo procideret humum Antaeus.

629. *Explicuit*, prostravit humum. Similiter V, 81. — *per membra*, quantusquantus erat. — *rapit*, statim imbibit, filiumque eo liberat.

630. *sanguine*, i. e. novis viribus.

632. et renovato quasi corpore liberavit se amplexu Herculis.

634. *Inachiis*, quoniam Inachus fuerat rex Argivorum, ubi palus et hydra Lernaea. — *quamvis rudis esset* sc. Hercules, i. e. iuvenis, tiro.

637. *novercae*, Junoni, Herculi infestae.

638. *videt* sc. Hercules, — *artus* Antaei esse liberatos sudore (cf. 629.), et cervicem eius siccam, et ita robustam renovatis viribus, ut ea etiam Olympum ferre ac sustinere posset. Perperam Cortius, qui legit *cum ferret.* Nam subiectum ad *Videt* sine dubio est Hercules, non idem potest esse ad *ferret;* in quo et Farnabius videtur errasse.

Cervicemque viri siccam, qua ferret Olympum.
Utque iterum fessis iniecit brachia membris,
Non exspectatis Antaeus viribus hostis
Sponte cadit, maiorque, accepto robore, surgit.
Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur; tellusque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactae prodesse parentis
Alcides sensit: standum est tibi, *dixit*, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terra.
Haerebis pressis intra mea pectora membris:
Huc, Antaee, cades. *Sic fatus, sustulit alte*
Nitentem in terras iuvenem. Morientis in artus
Non potuit nati tellus submittere vires.
Alcides medium tenuit: iam pectora pigro
Stricta gelu: terrisque diu non credidit hostem.
Hinc, aevi veteris custos, famosa vetustas
Miratrixque sui signavit nomine terras.
Sed maiora dedit cognomina collibus istis,
Poenum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem,
Scipio. Nam sedes Libyca tellure potito
Haec fuit. En, veteris cernis vestigia valli.
Romana hos primum tenuit victoria campos.
Curio laetatus, tamquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,

639. *qua ferret* Ar. — V. *cum f.*

640. *Utque*, videlicet postquam secundo etiam in certamine iterum iam defatigatus erat ab Hercule Antaeus, illeque iterum eum brachiis suis amplexus tenebat, Antaeus iterum, sed sponte, procidit humum.

643. Nam spiritus ille, quisquis terris inest, propagatur in fessos eius artus.

644. *laborat*, ad suggerendas ei vires. — Perperam Cortius de aegritudine et anxietate accipit.

646. *Standum est tibi*, i. e. cogam te stare.

647. *non credére*, non amplius patiar, te procidere.

649. *Huc*, h. e. ad mea pectora.

653. *stricta*, h. e. adstricta sunt, obtorpuere. — *diu*, h. e. per longum tempus suspensum in aëre tenuit.

655. *Miratrix sui*, h. e. quae amat admirari et augere sua facta, h. e. quae vetusto tempore acciderunt, neque solum mirari, sed etiam per nomina posteris propagare. Cf. III, 406. — *nomine*, sc. Antaei regnorum.

656. *cognomina*. Locus enim vocatus est Castra Corneliana.

657. *hostem revocavit*, Hannibalem in Africam reverti coegit.

664. *Indulsit castris*, diu sedit

Sollicitatque feros non aequis viribus hostes.
Omnis Romanis quae cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub iure fuit: qui, robore quamquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycae gentis, extremaque mundi
Signa, suum comitata Jubam. Non fusior ulli
Terra fuit domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio confinis Syrtibus Hammon:
At qua lata iacet vasti plaga fervida regni,
Distinet Oceanum, zonaeque exusta calentis
Sufficiunt spatio. Populi tot castra sequuntur:
Autololes, Numidaeque vagi, semperque paratus
Inculto Gaetulus equo: tunc concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, mixti Garamante perusto
Marmaridae volucres, aequaturusque sagittas
Medorum, tremulum quum torsit missile, Mazax:
Et gens, quae nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga:
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferrique simul fiducia non est,

in castris, eoque effecit, ut hostes possent copias colligere, quibus non aequus esset ipse.

668. *regis*, Jubae.

669. *extremaque*, et excivit copias mundi extremi, quae suum regem Jubam comitabantur. Sic autem *extrema* potius *mundo* iungendum sensu. De qua re vide not. crit. ad IX, 656.

670. *fusior*, latior, amplior. Cf. IV, 19. 82. et 134.

672. *cardine ab occ.*, h. e. ab occasu.

673. *a medio*, h. e. *a meridie*, sed Romanorum, non Numidiae. Tum enim deberet esse potius *ab oriente*.

674. *qua lata iacet*, h. e. a mari mediterraneo versus Austrum; ibi hinc et illinc oceano terminatur, qui uterque distinentur h. e. dividuntur fervidis terris, quae regnum Jubae efficiunt; terraeque exustae sub zona torrida spatium illud explent. Pertinet ergo Jubae regnum a mari mediterraneo ad Oceanum Australem qui Africam ambit.

680. *aequat.* et Mazax, qui tanta vi torquet telum manu, ut possit aequare sagittas Medicas.

682. *nudo dorso* sc. equi.

683. *ora* sc. equi. — *flectit*, regit. — *frenorum nescia* sc. gens Massyla, quae non utitur frenis, sed loco frenorum virga levi. Cf. Herodian. VII, 9, 18. Virg. Aen. IV, 41.

684. Significantur in his Numidae νομάδες. — *vacuis*, i. e. cavis. Cf. 420. De mapalibus vide Sall. Jug. 18. et 46. Sensus: et Numida, solitus vitam agere nomadicam, habitans in concavis mapalibus.

685. et simulac non fidit ferro, solitus veste obiecta leonis faciem obnubere.

Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatae sed bella dabat Juba concitus irae.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
Lege tribunicia solio depellere avorum
Curio tentarat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te, Roma, facit. Memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat iam Curio fama,
Et quod Caesareis numquam devota iuventus
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrumque putat. Sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli
Desolata fuga, trepida sic mente profatur:
Audendo magnus tegitur timor: arma capessam
Ipse prior: campum miles descendat in aequum,
Dum meus est: variam semper dant otia mentem.
Eripe consilium pugna. Quum dira voluntas
Ense subit presso, et galeae texere pudorem,

706. *presso* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *prenso*. — Ar. *et* ante *galeae* addit, ut et Ae. At in V. C. deest.

687. Non solum publica res bellumque civile Jubam commovit, sed commotus est ad bellum gerendum etiam iris in Curionem privatis.

689. *Hunc*, Jubam. — *superos humanaque* i. e. q. omnia divina et humana, i. e. omnia. Nam divinis humanisque rebus omnia involvuntur. Sic in Sallustio pluribus locis, et in Plauto veteribusque iureconsultis utraque saepissime coniunguntur.

692. Dum Curio Romae tyrannicam potestatem Caesari parare tentat.

693. Lucrum quodammodo putat regni sui retenti, pugnare se posse contra Curionem.

694. *regis* sc. advenientis.

695. Deinde etiam ideo Curio trepidat, quod milites sui non nimis dediti erant Caesari, nec cum illis comparandi, qui cum Caesare ad ostia Rheni pugnaverant, (Cf. I, 369. sqq.) sed ex illis erant, qui Corfinio dedito, ad Caesarem transierant.

699. *utrumque*. Utrumque putat aeque fas aut potius nefas esse, h. e. et caussam Caesaris et Pompeii. — *Sed postquam* sc. Curio vidit omnes languidos esse factos metu, multosque suorum ex castris suis transfugisse ad hostem.

701. *trepida* etc. ipse apud se haec est locutus.

702. Audendum est aliquid, ut timor hic tegatur neque erumpat.

705. *Eripe*. Pugnam igitur committam, ne possint consilia inire. — *Quum dira* etc. Quum pugna est, pugnandique cupido invasit animos.

706. *ense presso*, sc. manu; quum firmiter manu gladium tenent. Cf. Ov. Met. 8, 37. Nostr. VI, 237. VII, 562. Sil. It. II,

Quis conferre duces meminit? quis pendere caussas?
Qua stetit, inde favet: veluti fatalis arenae
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares. Sic fatus, apertis
Instruxit campis acies: quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque foeda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
Tristia sed postquam superati proelia Vari
Sunt audita Jubae: laetus, quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per iussa silentia famam,
Hoc solum metuens, incautus ab hoste timeri.
Mittitur, exigua qui proelia prima lacessat
Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabura belli.
Ipse cava regni vires in valle retentat:
Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis

722. *Sabura* Ar. Ae. C. a. b. — V. *Sabbura.*

615. V, 670. Claud. Stil. II, 15. — *galeae.* Nam qui galea tectus est, non agnosci se putat, ideoque non eum pudet contra cives pugnare.

707. *Quis conf.* Quis pugnae tempore caussas ducesque utrarumque partium expendit?

708. *Veluti;* sicut, in certaminibus athletarum qui ad pugnandum producuntur, non ira vetere adversus se invicem sunt incensi, sed quod vident, adversarium sibi esse parem, ideo pugnant contra eum.

711. *quem blanda,* sed eum belli fortuna blandiens quasi futuris malis recepit, quia nonnisi id agebat, ut eum deciperet. — *recipere aliquem alicui rei* est: servare aliquem ad aliquid. Cf. Plaut. Trin. 1, 2, 152. ergo *futuris malis* sunt dativi ad *recepit* referendi.

714. *donec vet.* h. e. usque ad castra Vari.

717. *rebus suis,* h. e. sibi. — *rapit,* celeriter promovet exercitum suum, sed occulto. Lege Caes. B. C. II, 33 — 44.

719. *incautus ab hoste timeri,* h. e. ne timeretur ab hoste; hoc autem est i. q. ne animadverteretur ab eo. — *incautus,* quia non recte cavisset, h. e. texisset adventum suum. Sic *cautus* pro *tutus* supra vs. 409.

720. Mittitur Sabura, secundus a rege inter Numidas, qui exiguis copiis prima proelia faciat, Curionemque in insidias eliciat; idque ita, ut simulet, sibi soli esse commissum bellum, regemque non adesse.

723. *Ipse,* rex. — *regni vires,* verum exercitum Numidarum. — *retentat,* continet.

724. Comparatur Juba cum ichneumone, qui, contra aspidem *Phariam* h. e. Aegyptiam pugnans, hostem caudae suae umbra provocat, attollentem autem ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus, invadat in fauces aspidis virus effundentis, sed citra noxam hostis. Cf. Plin. H. N. VIII, 24.

Ludit, et iratas incerta provocat umbra:
Obliquusque caput vanas serpentis in auras
Effusae tuto comprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem: tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
  Fraudibus eventum dederat fortuna: feroxque,
Non exploratis occulti viribus hostis,
Curio nocturnum castris erumpere cogit
Ignotisque equitem late discurrere campis.
Ipse sub aurorae primos excedere motus
Signa iubet castris, multum frustraque rogatus
Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis. Leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis iuvenem: bellumque trahebat
Auctorem civile suum. Super ardua ducit
Saxa, super cautes, abrupto limite, signa:
Quum procul e summis conspecti collibus hostes
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille, fugam credens, simulatae nescius artis,
Ut victor, medios aciem proiecit in agros.
Tunc primum patuere doli, Numidaeque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non proelia fortes:
Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum

725. *Obliquusque* Ar. Ae. C. a. b. — V. *Obliquansque.*
727. *tuto* C. Ar. Ae. Bentl. a. b. c. d. — V. *toto.*
733. *discurrere* Ar. C. Ae. a. — V. *decurrere.*

Nicand. Theriac. Sic Farnabius. At *citra* potius significat, ichneumonem proxime caput mordere aspidem, ut capite ablato nihil nocere possit virus. Sic *citra cruorem* IV, 211.

729. *pereunte*, nihil nocente.

730. *Fraudibus* sc. Jubae — *eventum dederat*, favit.

732. Curio nimis audax iubet equites suos noctu erumpere etc.

737. *dolis*, tamquam venenis. — *leti*, fortuna iuvenem tradiderat fatis leti propinqui.

738. *trahebat*, sc. in perniciem.

742. *fraude sua*, h. e. sibi propria. — *cessere*, recessere tamquam fugientes. — *dum*, donec Curio in planitiem descendisset.

749. Neque timidi fugam petere potuissent, neque fortes proelia. Clausi enim erant, et equi ita languidi, ut ad pugnam nulli usui esse possent.

750. *Quippe ubi* i. e. q. *Nam ibi* equi non quatiebant saxa, nec terebant frenos, aut iubas spargebant, auresque subrigebant, nec stare repugnabant, uti fortes equi faciunt; sed cervix etc.

Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
Ora terens, spargitque iubas, et subrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa iacet cervix. Fumant sudoribus artus,
Oraque proiecta squalent arentia lingua:
Pectora rauca gemunt, quae creber anhelitus urguet:
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus:
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque gradum neque verberibus stimulisque coacti,
Nec quamvis crebris iussi calcaribus addunt.
Vulneribus coguntur equi. Nec profuit ulli
Cornipedis rupisse moras: neque enim impetus illis
Incursusque fuit: tantum profertur ad hostes,
Et spatium iaculis oblato vulnere donat.
At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen,
Tunc campi tremuere sono: terraque soluta,
Quantus Bistonio torquetur turbine, pulvis
Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
Incubuit, nullo dubii discrimine Martis
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnae
Mors tenuit. Neque enim licuit procurrere contra,

754. *artus* Ar. C. Ae. a b. c. d. — V. *arma*.

752. terens ora, quae vexant quasi frena rigida.

753. *incerto tumultu*, nunc huc nunc illuc se movens.

755. *squalent*. Usurpatur hoc verbum de rebus calentibus fervidisque, ut campis Libyae.

757. *et gravis pulsus* sc. respirationis molestae. — *ilia defecta*, h. e. intestina defessa. — *longe trahit*, h. e. non crebra respiratione; ut apud Britonem XII, 804. *Ilia duxit equus crebro salientia pulsu*. Cf. Stat. Theb. VI, 473. Turneb. Advers. XVII, 9. Barth. Advers. XXVII, 14.

759. Et iam equi non movebant amplius gressum, quamvis coacti verb. etc. et quamvis iussi calcaribus.

761. *vulneribus* sc. gladio illatis. — *Nec prof.* Neque vero etiam aliquid profuisset, equos cogere ad progrediendum.

762. *Neque enim*, non enim hic locus erat impetum aut incursum faciendi in hostem.

763. *tantum prof.* imo qui equum suum coegisset ad incurrendum, is nihil eo effecisset nisi hoc, ut ipse hostibus sese obferret, et hostili iaculo quasi donaret spatium, dum se vulnerandum praeberet.

766. *terraque soluta* sunt ablativi absoluti, supplendumque: *in pulverem*. Sensus: tantusque pulvis ortus aera nube sua texit, tenebrasque effecit, quantus torquetur turbine Bistonio, h. e. vento Thracio.

769. Postquam vero, equitibus interemptis, pugna ad pedites pervenit, non pugna erat, sed mors, h. e. hostes non opus habebant certare, sed in mera caede occupati erant.

Et miscere manus. Sic undique septa iuventus
Cominus obliquis et rectis eminus hastis
Obruitur: non vulneribus nec sanguine, solum
Telorum nimbo peritura, ac pondere ferri.
Ergo acies tantae parvum spissantur in orbem:
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impune suos inter convertitur enses:
Densaturque globus, quantum pede prima relato
Constrinxit gyros acies. Non arma movendi
Jam locus est pressis: stipataque membra teruntur:
Frangitur armatum colliso pectore pectus.
Non tam laeta tulit victor spectacula Maurus,
Quam fortuna dabat: fluvios non ille cruoris,
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora: compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas dirae Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis: ferat ista cruentus
Hannibal et Poeni tam dira piacula manes.
Romanam, superi, Libyca tellure ruinam
Pompeio prodesse nefas, votisque senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
Permisit clades compressus sanguine pulvis,

774. *Cominus obliquis;* nam pedites pugnabant contra Numidas equites, qui cominus desuper eos hastis suis confodiebant. — *rectis*, cum terrae superficie parallelis.

776. *peritura*, cui pereundum fuit quasi nube telorum suffocatae et oppressae pondere ferri, sc. quod in telis erat, in cuspidibus.

779. Vix illaesus manet inter suorum enses.

780. Globus in tantum densatur, in quantum prima acies externa, dum pedem refert, gyros interiores constringit.

783. *Frangitur*, colliditur.

784. Abstulit locus Mauro spectaculum cruoris profluentis, lapsusque cadentium; nam cadavera non potuere procidere propter angustiam loci, quemadmodum arbores III, 445. *sustinuit se silva cadens*, et ipsa cadavera II, 203.

788. Hoc vult poeta: Nolim, hanc civium Romanorum in terra Libyca caedem Pompeianis partibus prodesse. Sumant sibi Hannibal Poenorumque manes illa parentalia. Excitet fortuna eorum umbras ex Orco novis his inferiis, ut iis gaudeant. At non ea victoria gaudeat Pompeius aut Senatus. Potius tota Afrorum sit. — Detestatur quasi, Afros etiam esse in partibus. Umbrae *invisae* sunt *infestae*, uti *gentes invisae* I, 9. et *partes invisae* II, 229.

794. *et cernere* etc. et ubi pulvis sedatus cruoris copia liberum ei permisit adspectum campi. Nam antea propter pulverem caedes videri non poterat.

Non tulit adflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam: ceciditque in strage suorum,
Impiger ad letum, et fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
Unde tribunicia plebeius signifer arte
Arma dabas populis? quid prodita iura senatus,
Et gener atque socer bello concurrere iussi?
Ante iaces, quam dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
Has urbi miserae vestro de sanguine poenas
Nempe datis? luitis iugulo sic arma, potentes?
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet. Libycas, en, nobile corpus,

806. *Nempe datis* C. — V. *Ferre datis.*

796. *animam producere*, vitam protollere, prorogare.

797. De Curionis morte sic Caesar B. C. II, 42. *Hortatur Curionem Cn. Domitius, praefectus equitum, cum paucis equitibus circumsistens, ut fuga salutem petat atque in castra contendat, et se ab eo non discessurum pollicetur. At Curio numquam se, amisso exercitu, quem a Caesare fidei commissum acceperit, in eius conspectum reversurum confirmat, atque ita proelians interficitur.*

800. Legitur et *arte* et *arce*. Illud Ar. et Ae., hoc vulg. et Cort. Ars tribunitia est: dicendi facultas, quae magna fuerat in Curione.

801. *quid prodita iura senatus*, h. e. a te Caesari quasi vendita. Curio enim, a Caesare magno aere alieno liberatus, acerrime pro eo steterat, adversatusque erat senatui. Denique a senatu expulsus ad Caesarem ipse se contulerat, eiusque auxilium contra senatum Pompeiumque imploraverat. Idem ab initio cum Pompeio fuerat, contraque Caesarem adeo legem rogare voluerat, qua huic imperium in provincia Gallia abrogaretur.

802. *gener atque socer* etc. Pompeius atque Caesar ad certamen inter se subeundum commissi. Qui ut concurrerent bello civili, ille maximopere operam dederat, plebe excitanda, senatuique obnitendo, et pro Caesare dicendo.

806. *arma* sc. civilia, excitata a vobis.

807. Felix Roma foret, si dii tam propensi essent ad tuendos libertatis assertores, quam videntur fuisse ad puniendos eos, qui de opprimenda libertate cogitarunt, veluti hic Curionem. Similis locus est in Tacito Hist. I, 3. Cf. Ann. XVI, 33.

809. *Libycas en* etc. Constructio sine dubio est: *En Curio, tam nobile corpus, aves Libycas pascit, nullo contectus busto.* Errant enim, qui *nobile corpus* ipsum subiectum esse credunt, et Curionem appositionem, uti et vulgata et Cortius et ut opinor reliqui omnes distinguunt. Nam tamenetsi supra *potentes* fuerint commemorati vs. 806, tamen hic non magis illud consideratur a poeta, quod nobile corpus insepultum iacuerit, quam quod Curio idem ille, qui tantas antea in senatu turbas bellumque civile inter primos con-

Pascit aves nullo contectus Curio busto.
At tibi nos (quando non proderit ista silere,
A quibus omne aevi senium sua fama repellit,)
Digna damus, iuvenis, meritae praeconia vitae.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita tunc urbi nocuerunt saecula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt:
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis, et Caesaris auro.
Jus licet in iugulos nostros sibi fecerit ense
Sulla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus,
Caesareaeque domus series: cui tanta potestas
Concessa est? Emere omnes, hic vendidit urbem.

citarit, aves Libycas paverit; ideoque verba *nobile corpus* commatibus positis ab reliquis sunt seiungenda. Appositiones autem haud raro et a Nostro, et ab aliis poetis elegantissime praemittuntur. Cf. IV, 654. etc.

811. *quando*, simplex pro composito: *quandoquidem*.

812. a quibus factis fama sua (h. e. fama factorum) omne aevi senium repellit.

815. *deberent recta sequenti*, h. e. deberent aut debuissent, si semper secutus esset recta.

817. *opum*, virium, pollentiae.

819. *mutatus*, postquam, corruptus a Caesare, ad eius partes se contulit.

820. Nimirum Caesaris aurum ex Gallorum ipsis spoliis fluxerat.

821. Licet dominationem in nosmet habuerint Sylla, Marius, Cinna et Caesares, nemini tamen tantum potestatis concessum fuit, quantum Curioni. Huic enim soli hoc datum fuit, ut urbem venderet. Illi omnes, saltem plerique, largitionibus suis urbem emerunt, sed a plebe aut multis, non ab uno, quemadmodum a Curione Caesar.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER QUINTUS.

SUMMARIUM.

Sub initio anni consules in Epiro in exercitu Pompeii comitia habent. — 14. *Lentulus patres alloquitur hortaturque ut Pompeium iubeant esse ducem. Id quod fit.* — 49. *Dein reges, qui auxilia miserant, laudati.* — 64. *Appius Pompeianus consulit oraculum Delphicum, quod diu siluerat.* — 70. *Describitur oraculum.* — 123. *Aperitur templum. Pythia dehortatur.* — 140. *Adigitur tamen ut tripoda conscendat.* — 162. *Furor eam invadit. Eloquitur oraculum de Appio ipso ante Pharsalicam pugnam in Euboea insula morituro.* — 197. *Apostrophe ad oraculum.* — 208. *Exit Pythia templo, animumque humanum recipit.* — 224. *Apostrophe ad Appium.* — 236. *Interim redux ex Hispania Caesar, deprehendit milites ad pacem inclinantes, bellumque pertaesos, et tumultuantes idcirco.* — 296. *Caesar interritus,* — 318. *eos alloquitur, minaturque.* — 364. *Mutatur militum animus.* — 373. *Caesar Brundusium eos mittit ibique classem parare iubet.* — 380. *Ipse Romam it, resque ibi ordinat.* — 402. *Inde Brundusium, media hieme.* — 409. *Confirmat milites.* — 423. *Traiicit fretum, adque Palaesten appellit in Epiro.* — 460. *Dein ad Dyrrhachium castra fiunt.* — 475. *Caesarem moratur, ne pugna statim fiat, Antonius, Brundusii relictus, hiemeque ne eum sequeretur impeditus.* — 503. *Caesar decernit solus Brundusium navigare, Antoniumque accersere. Ergo ad litus it. Ibi cymbam deprehendit, eiusque dominum Amyclam quendam ex somno excitat, promissisque magnis adigit, ut secum fretum transiiciat. Tempestas fit. Timet nauta. Confirmat eum Caesar.* — 593. *Describitur tempestas. Ad Italiam appellit Caesar.* — 677. *Redeuntem deinde sui carpunt milites, quod sese reliquerit.* — 700. *Transiiciunt Brundusio reliquae copiae.* — 721. *Pompeius uxorem Corneliam Lesbum dimittit, quo tuta sit a bello. Alloquitur eam.* — 759. *Illa respondet.* — 790. *Cornelia conscendit navem.* — 801. *Lesbum navigat.*

Sic alterna duces bellorum vulnera passos
In Macetum terras, miscens adversa secundis,

1. Sic Fortuna Caesarem Pompeiumque, et secunda et adversa passos, *servavit in Epirum pares*, h. e. conservavit utrumque, ut in Macedonia possent tamquam athletae pares

Servavit fortuna pares. Jam sparserat Aemo
Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima iuris,
Consul uterque vagos belli per munia Patres
Elicit Epirum. Peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres: secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.
Nam quis castra vocet tot strictas iure secures,
Tot fasces? Docuit populos venerabilis ordo,
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
  Ut primum moestum tenuere silentia coetum,
Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis, non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captae sedeamus ab urbis,
Cernite: sed vestrae faciem cognoscite turbae:
Cunctaque iussuri, primum hoc decernite, Patres,
Quod regnis populisque liquet, nos esse senatum.
Nam, vel Hyperboreae plaustrum glaciale sub ursae,
Vel plaga qua torrens claususque vaporibus axis
Nec patitur noctes nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. Non unquam perdidit ordo

14. Ar. *patres* — *partibus*, ut et c.

inter se dimicare. *pares* enim voc. a re athletica desumtum. Cf. IV, 710. I, 7.

4. *Atlantis*, gen. *ides*, patronymicum est. pro: filia Atlantis, i. e. Pleiade, singulari pro plurali posito. Pleiades autem Olympo cadunt, h. e. occidunt, III. Id. Novembr.

5. *dies*, Calendae Januariae, quibus Consules novi magistratum ineunt.

8. *vagos*, hic illic dispersos, quippe alios aliis in partibus copias curantes.

9. *Elicit*, convocat.

11. *Hospes curia*, senatus quasi hospitans et peregrinans.

12. Nam non castra profecto, sed curia vocanda erat illa patrum congregatio.

14. senatum non esse a partibus Pompeii, sed senatum ipsum esse partes, et Pompeium stare a partibus senatus.

21. *Cuncta iussuri*, h. e. quoniam cuncta adhuc sunt in potestate vestra.

24. *axis*, mundi regio, quae est sub zona torrida. — *clausus*, ut non possit adiri.

25. *noctes* sc. iniquas crescere. H. e. ubi semper dies noctesque pares sunt.

Mutato sua iura solo. Moerentia tecta
Caesar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque iustitio tristi fora. Curia solos
Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exsulat, hic est.
Ignaros scelerum, longaque in pace quietos
Bellorum primus sparsit furor: omnia rursus
Membra loco redeunt. En, totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi: iacet hostis in undis
Obrutus Illyricis: Libyae squalentibus arvis
Curio Caesarei cecidit pars magna senatus.
Tollite signa, duces: fatorum impellite cursum:
Spem vestram praestate deis; fortunaque tantos
Det nobis animos, quantos fugientibus hostem
Caussa dabat. Nostrum exhausto ius clauditur anno:
Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium, Patres, Magnumque iubete
Esse ducem. Laeto nomen clamore senatus
Excipit: et Magno fatum patriaeque suumque
Imposuit. Tunc in reges populosque merentes
Sparsus honos, pelagique potens Phoebeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta iuventus
Taygeti: fama veteres laudantur Athenae:
Massiliaeque suae donatur libera Phocis.

32. Curia Caesaris eos solum nunc habet senatores, quos ipsa (sc. curia) fugavit, h. e. hostes iudicavit, quum urbs plena adhuc civibus esset.

35 *Ignaros scelerum*, h. e. imparatos adversus tantam audaciam.

36. *sparsit* sc. nos.

37. *membra;* non solum senatus, sed etiam reliqui ordines iam denuo redeunt huc, seque cum senatu coniungunt.

38. Quod amissa est Hispania, id iam compensatur nobis eo, quod copiae nobis confluxerunt ex toto orbe terrarum.

39. *Illyricis*, ubi interiit Vulteius cum suis in rate illa. Cf. IV, 401 — 580.

40. *Curio*. Cf. IV, 581 — 824.

41. *impellite*, urgete, promovete, persequimini fortunam secundam. Cf. ad vs. 108.

42. *fortunaque* sc. nunc secunda.

43. *quantos* etc. videlicet ut abiretis Roma, ideo quod caussam sequeremini reipublicae senatusque.

45. *Vos*, sc. patres. Nam senatus est perpetuus, Consules in annum tantum.

48. *suumque* i. e. senatus fatum.

50. *Phoebeia*, in qua praecipue cultus Solis floruit. — *donis*, honoribus et immunitatibus.

51. *iuventus*, incolae. — *Taygeti*, int. Lacones. — *inculta*, non mollis, non luxuriosa.

53. Phocis libera declaratur, ob Massiliam tam fortiter a partibus reipublicae stantem.

Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma
Deiotarum, et gelidae dominum Rhasipolin orae
Collaudant: Libyamque iubent auctore senatu
Sceptrifero parere Jubae. Pro tristia fata!
En tibi, non fidae gentis dignissime regno,
Fortunae, Ptolemaee, pudor, crimenque deorum,
Cingere Pellaeo pressos diademate crines
Permissum. Saevum in populos puer accipis ensem:
Atque utinam in populos! Donata est regia Lagi;
Accessit Magni iugulus: regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas.
Jam turba soluto
Arma petit coetu. Quae quum populique ducesque
Casibus incertis et caeca sorte pararent,
Solus in ancipites metuit descendere Martis
Appius eventus: finemque expromere rerum
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phoebi.
Hesperio tantum, quantum submotus Eoo
Cardine, Parnasus gemino petit aethera colle,
Mons Phoebo Bromioque sacer: cui numine mixto
Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae.
Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
Emicuit, pontoque fuit discrimen et astris.

71. *submotus* C. a. b. c. d. — V. *semotus*.
76. *Emicuit* C. a. c. — V. *Eminuit*.

54. Equites ex Thracia quingentos dederat Cotys rex, filiumque miserat Sadalem, ut Caes. B. C. III. narrat.

55. Rhasipolis, aliis Rhascipolis, Rhascupolis aut Rhescuporis dictus, praeerat parti terrae Thraciae frigidioris.

60. *Pellaeo*, h. e. Alexandrino, h. e. Aegyptiaco. Pellaeus enim Alexander, a Pella dictus. Cui successit in Aegypto Ptolemaeus Lagi, a quo reliqui Ptolemaei deducti sunt, Ceraunus, Philadelphus, Euergetes, Philopator, Epiphanes, Philometor, et alter Euergetes s. Physcon, Lathurus; denique Auletes, qui huius Ptolemaei, qui Pompeium interfecit, fuit pater. Cf. Strabo l. XVII.

63. *sorori*, Cleopatrae, ex senatus consulto.

64. *soceroque nefas* i. e. Caesari ereptum, ut ipse interimeret Pompeium.

65. *soluto coetu*, soluta concione senatus. — *Quae quum* etc. Dum reliqui duces populique arma ita parabant, ut omnia casui incerto incertaeque fortunae relinquerent, solus Appius certiora deos auspicia flagitat, Delphicumque adire oraculum decernit.

73. *cui* sc. monti, h. e. in quo monte, *referunt trieterica Delphica*, i. e. tertio quoque anno sacra celebrant. — *mixto numine*, al. *nomine*, h. e. ita ut cum Baccho simul Apollinem celebrent.

Tu quoque vix summam seductus ab aequore rupem
Extuleras, unoque iugo, Parnase, latebas.
Ultor ibi expulsae, premeret quum viscera partus,
Matris, adhuc rudibus Paean Pythona sagittis
Explicuit, quum regna Themis tripodasque teneret.
Ut vidit Paean vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.
Quis latet hic superûm? quod numen ab aethere pressum
Dignatur caecas inclusum habitare cavernas?
Quis terram coeli patitur deus, omnia cursus
Aeterni secreta tenens, mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactusque ferens hominum, magnusque potensque,
Sive canit fatum, seu, quod iubet ille canendo,
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aere libratum vacuo quae sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis, Cirrhaea per antra
Exit, et aetherio trahitur connexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Aetnam
Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat

79. *premeret* Ar. Ae. a. c. d. — V. *premerent.*
91. Ar. *hominum.* — V. C. *hominis.*
92. *ille* Ar. Ae. C. a. b. d. — V. *ipse.*

77. *Tu quoque* etc. h. e. Sed tantum fuit illud diluvium, ut Parnasus quoque ipse nonnisi summo cacumine, et nonnisi uno, emineret, altero pariter undis oppresso.

79. Ibi Apollo interemerat Pythona serpentem, qui iussu Junonis Latonam persecutus fuerat, quum viscera eius partu premerentur, h. e. quum paritura esset.

81. *Explicuit*, h. e. prostravit humum. Cf. IV, 629. — *Themis.* Cf. Aeschyli Eum. init. et Ov. Met. I, 321.

83. *fidem*, auspicia divina certaque quasi promittere. Cf. vs. 142.

86. *pressum*, delapsum.

88. *omnia* etc. fata, seriemque et ordinem causarum tenens.

93. *Forsan* etc. Forsitan Delphico oraculo inest pars ipsius illius spiritus aeterni, qui per omnem mundum permanat, h. e. pars Jovis, et attrahitur spiritus ab illo loco, sed ita, ut coniunctus maneat cum aethere.

99. *Siculus apex*, h. e. ipsius Aetnae cacumen.

100. *Campana* etc. aut uti Typhoeus sub Inarime prope Campaniam saxa Campana eiaculatur. Inarime, quae et Ischia dicitur et Aenaria, prope Prochytam. V. Virg. 9, 716.

Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.
Hoc tamen expositum cunctis nullique negatum
Numen ab humani solum se labe furoris
Vindicat. Haud illic tacito mala vota susurro
Concipiunt. Nam, fixa canens mutandaque nulli,
Mortales optare vetat: iustisque benignus
Saepe dedit sedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare: sustulit iras
Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit
Aera tabificum. Non ullo saecula dono
Nostra carent maiore deûm, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui. Nec, voce negata,
Cirrhaeae moerent vates; templique fruuntur
Justitio. Nam si qua deus sub pectora venit,
Numinis aut poena est mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque deorum
Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo
Immotos tripodas vastaeque silentia rupis
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati

107. *totas* Ar. Ae. — C. *notas* et in c. *totas* legitur prima *t* in membr. rasa.

103. *ab humani* etc. non admittit vota humana et iniusta.

106. *iustisque benignus*, h. e. et deus ille, qui benignus est erga homines iustos paraeque mentis, saepe sedem, qua habitarent, assignavit quaerentibus, qui cuperent suas sedes relinquere. *Tyriis*, qui terrae motu vexati, Sidona Erycumque, et Gades condiderunt. Cf. Plin. V, 19. Diod. Sic. 25, 2.

108. *minas impellere belli*, (ut vs. 41. *fatorum impellite cursum*,) h. e. fortiter et ultro bellum facere contra hostes.

110. *monstrato fine*, monstrata ratione, qua finis posset fieri sterilitati, hostiis offerendis, aut piaculis instituendis.

113. *reges*, i. e. domini, tyrannicae potestatis. Sic enim accipiendum v., ut alibi *regna*.

114. *voce negata*. Nec ideo moerent Pythiae, quod vetitae sunt loqui aut non consuluntur.

116. *Nam si qua* etc. Nam quaecumque illo munere fungebatur, plerumque immatura morte obibat, aut poenam aut pretium mortem existimans, prout aut cupida erat vitae, aut mortem summum bonum esse indicabat, quemadmodum ipsum numen esse iudicaverat in Cleobi et Bitone.

122. *scrutator Hesperii fati*, i. e. fati Italiae Romaeque. — *ad ultima*, suppleo: *edenda oracula*. Sollicitat Appius, scrutator Hesperii fati, tripodas et rupes ad ultima oracula eloquenda. Nam posthac penitus siluere.

Sollicitat. Iussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque deis immittere vatem,
Castalios circum latices nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phoebas,
Absterrere ducem noscendi ardore futura
Cassa fraude parat. *Quid spes*, ait, *improba veri*
Te, Romane, trahit? Muto Parnasus hiatu
Conticuit, pressitque deum: seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu, barbarica quum lampade Python
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phoebi tenuere viam: seu sponte deorum
Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longaevae vobis commissa Sibyllae:
Seu Paean, solitus templis arcere nocentes,
Ora quibus solvat, nostro non invenit aevo.
Virginei patuere doli, fecitque negatis

129. *futura* Ar. C. a. b. c. d. — V. Ae. *futuri*.

138. Constr. *et satis est, vobis commissa esse arcana fati futuri carmine longaevae Sibyllae*. Sed *carmina* habent C. a. b. c. d. Illycinus autem: *farique sat est arcana futuri Carmina longaevae, vobis commissa, Sibyllae*. Verum arcana committuntur, non carmina. — Nostram habet V. Ar. Ae.

123. *laxare*, aperire templum.

124. *deis immittere*, in templum immittere.

127. *corripuit* sc. sacerdos Appii iussu.

132. *pressit*, obruit divinam vim, cuius instinctu edebantur oracula. Vel dictum puta pro: *suppressit*, ut II, 521. Vide Indicem in v. *Simplicia*.

133. *devia*. Sic Marcianus Capella I. de Apollinis ex Phocide recessu: *licet inde quoque ad Indici montis secretum obumbratumque scopulum nube perpetua posterius migrasse perhibebant*.

134. *barbarica*. Intelligunt de Delphis a Brenno altero incensis. Verum et post eius tempora oracula Delphis sunt edita. Scilicet novissime a Thracibus fuerant incensi.

135. *in immensas cavernas*, in cavernam illam prolapsi sunt cineres, *et Ph. tenuere viam*, et obstruxere viam illi spiritui divino, impediveruntque, ne erumperet.

137. *fatique* etc., et satis est, arcana futuri vobis commissa esse in carmine longaevae Sibyllae. Sic sine dubio locus interpretandus. Quod enim plerique edd. *Carmina* habent, id ex emendatione ortum propter ignorantiam constructionis, quum fere omnes v. *commissa* pro mero participio haberent, nemini, praeter scholiastam antiquum, in mentem veniret, dictum esse posse pro: *commissa esse*.

139. *nocentes*, facinorosos.

140. *non invenit* sc. sacerdotes pura mente praeditas.

141. *negatis numinibus*, h. e. quamquam numina essent nega-

Numinibus metus ipse fidem. Tum torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
Haerentem dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit. Illa, pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit,
Atque, deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusae murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud aeque laesura ducem, cui falsa canebat,
Quam tripodas, Phoebique fidem. Non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
Excussae laurus, immotaque culmina templi,
Securumque nemus, veritam se credere Phoebo
Prodiderant. Sentit tripodas cessare, furensque
Appius: *Et nobis meritas dabis*, *impia*, *poenas*,
Et superis, *quos fingis*, ait, *nisi mergeris antris*,
Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu
Desinis ipsa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Haesit, et insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustae per tot iam saecula rupis
Spiritus ingessit vati: tandemque potitus
Pectore Cirrhaeo, non umquam plenior artus
Phoebados irrupit Paean: mentemque priorem

ta vel hic a sacerdote, vel omnino a diis.

142. *fidem*, h. e. extorsit oraculum. Nam *fides* et alibi apud Nostrum praesagia significat, ut I, 523. et supra vs. 83. — *Tunc torta pr.*, tunc coacta est ornatum sacrum induere, vitta comas stringere, et crines infula complecti.

145. *sacerdos*, antistes.

146. *Illa pavens.* Noluit Phoebas cortinam inscendere nec interius adytum adire.

148. *pectore quieto*, quod non vere commotum erat deo.

151. *laesura*, h. e. eaque fraude pariter Appium laedebat atque deum ipsum, vel laesura fuisset, si licuisset illi eam persequi.

154. Nec vox erat satis alta; non horrebant ei comae, non tremebat templum, nec turbatum erat nemus circa templum; ea autem omnia prodebant, illam vereri se credere Phoebo, h. e. illam nolle deum in suum pectus immittere.

157. *tripodas cessare*, h. e. non adiri tripodas, nullum usum fieri eorum, ut *ager cessat*, i. e. q. non colitur.

160. *Deque orbis* etc. et nisi, consulentibus te nobis de tanto per omnem orbem terrarum bello dissidioque, ipsa loqui desinis, h. e. desinis eloqui tua ipsius inventa, non dei.

163. *haesit*, mansit ibi.

Expulit, atque hominem toto sibi cedere iussit
Pectore. Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque dei Phoebeaque serta
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exaestuat igne,
Iratum te, Phoebe, ferens. Nec verbere solo
Uteris et stimulis, flammasque in viscera mergis:
Accipit et fraenos: nec tantum prodere vati,
Quantum scire, licet. Venit aetas omnis in unam
Congeriem: miserumque premunt tot saecula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem: vocemque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenae.
Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu. Sic plena laborat
Phemonoe Phoebo, dum te, consultor operti
Castalia tellure dei, vix invenit, Appi,
Inter fata diu quaerens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
Murmura: tunc moestus vastis ululatus in antris,
Extremaeque sonant, domita iam virgine, voces:
Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
Bellorum, o Romane, minas: solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis.

175. Sic Ae. optime. Item Ar. nisi quod habet *stimulos*. — *flammasque* a. b. c. — V. *flammas*, puncto post *mergis* posito. Opponuntur autem frena stimulis flammisque.

195. *o Rom.* Ar. Ae. — Reliqui *o* omiserunt.

169. *aliena colla*, quasi non sua, sed dei et a deo mota.

171. *discussa*, h. e. postquam discusserat vittam coronamque, erectis comis; ut II, 336. *cineresque ingesta sepulchri*, ubi vide n. Cf. IX, 172. X, 84.

172. *spargit*, prosternit. — *vaganti* sc. sibi.

174. *iratum*, concitatum. — *ferens*, intra se habens.

176. Sed Pythias etiam frenos a te patitur; non enim omnia ei eloqui licet.

177. *aetas* — *saecula* sc. futura.

193. *domita* sc. ab deo, lassata. — *extremae;* hic quoque adiectivum occupat locum adverbii *extremo*, *postremo*, *denique*, ut IV, 554. *tantos* pro *tantum*.

196. De hoc oraculo cf. Oros. hist. adv. Pag. VI, 15. Salisb. II, 27.

Caetera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri Paean, nullumque futuri
A superis celate diem, suprema ruentis
Imperii, caesosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? An nondum numina tantum
Decrevere nefas? et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur?
Vindicis an gladii facinus, poenasque furoris,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces?
Tunc pectore vatis
Impactae cessere fores, expulsaque templis
Prosiluit. Perstat rabies; nec cuncta locutae,
Quem non emisit, superest deus. Illa feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia coelo
Lumina, nunc vultu pavido, nunc torva minaci:
Stat numquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liventesque genas: nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
Corda; sed, ut tumidus Boreae post flamina pontus
Rauca gemit, sic muta levant suspiria vatem.
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad vulgare iubar, mediae venere tenebrae.

206. *furoris* Ae. C. a. b. c. In Ar. hic versus excidit. — V. *furorum*.
209. *expulsaque* Ar. Ae. a. b. c. — V. *exclusaque*. C. *excussaque*.
210. *locutae* C. et Ar. b. habent *locuta*. — V. Ae. *locuta est*.
211. *illa* Ar. Ae. — V. C. *ille*.
218. *muta* C. et c. in margine. — V. *multa*.

199. et tu, Paean, qui vera cernis, cuique superi omnia futuri temporis fata recludunt. Sub Paeane autem hic int. oraculum Delphicum.

201. *regum*, dominorum, ut Pompeii, Caesaris, Antonii.

202. *sanguine*, bello.

205. *damnare*, exitio addicere. — *tenentur*, adhuc retinentur.

206. An ideo taces, ne impediatur ultio per Brutum ventura. Eius enim est *vindex gladius*. — *furoris*, h. e. belli civilis.

208. Tunc Phemonoe erupit ex templo, impulsaeque pectore fores aperuit sibi vi, et a deo quasi expulsa prosiluit foras. Describitur eius status.

210. *nec* etc. h. e. et quoniam non omnia elocuta fuerat.

213. *Torva* sunt lumina nunc paventis nunc minantis.

220. *mediae* sc. inter statum furoris divini et receptae mentis humanae.

Immisit Stygiam Paean in viscera Lethen,
Quae raperet secreta deûm. Tunc pectore verum
Fugit, et ad Phoebi tripodas rediere futura:
Vixque refecta cadit.
Nec te vicinia leti
Territat, ambiguis frustratum sortibus, Appi:
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicae, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, praestare deorum
Excepta quis morte potest? Secreta tenebis
Litoris Euboici, memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
Interea domitis Caesar remeabat Iberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem:
Quum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere dei. Nullo nam Marte subactus,
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: quum paene fideles
Per tot bella manus, satiatae sanguine, tandem
Destituere ducem: seu moesto classica paullum
Intermissa sono, claususque et frigidus ensis
Expulerat belli furias: seu praemia miles

222. *raperet*, ab ea auferret.

224. *Vixque refecta cadit*, procidit humum, statim ubi sensus ei refecti sunt, quemadmodum furore correpti, postquam sana mens rediit, procidere solent. Cf. I. fin. *et lasso iacuit defecta furore*. Nihil enim de morte cogitandum.

226. *iure mundi incerto*, quum adhuc ignoraretur, quis esset dominaturus. — *subsidere parabas regnum Eub.* Sulpicius male ad *subsidere*: „suppositum iri tibi.“ Farnabius: „Sibi subiicere, invadere dolo, ἐφεδρεύειν.“ Atque sic recte, opinor, ut *subsedit adulter devictam Asiam*, Virg. Aen. XI, 269.

233. *tumidis*, superbis hominibus. — *numina*, int. Nemesin, cuius ibi templum.

235. *cursum mutantibus undis.* Nimirum fretum illud septies per diem et noctem refluum, eo impetu, ut naves reluctantibus ventis secum rapiat.

236. *iniquam*, vel propter eam ipsam caussam, quod refluum ibi toties mare.

240. *avertere*, in peius paene convertere tam prosperum fatorum cursum.

242. *scelerum*, belli civilis. — *paene* coniunge cum *destituere*.

Dum maiora petit, damnat caussamque ducemque,
Et scelere imbutos etiamnunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Caesar in ullo est,
Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus:
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Paene suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, enses.
Non pavidum iam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quae dubias constringere mentes
Caussa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum iniusta gravari,
Haud retinet. Quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos. Quidquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas: *Liceat discedere, Caesar,*
A rabie scelerum. Quaeris terraque marique
His ferrum iugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras. Partem tibi Gallia nostri
Eripuit: partem duris Hispania bellis:
Pars iacet Hesperia: totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid iuvat Arctois, Rhodano Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
Cepimus expulso patriae quum tecta senatu,
Quos hominum, vel quos licuit spoliare deorum?
Imus in omne nefas, manibus ferroque nocentes,

247. *maiora*, sc. quam quae apud Caesarem nacti erant aut sperare poterant.

248. *venditat*, vendere cupit, fortasse Pompeio.

250. *tremulo*, nutante. Nie hatte Caesar mehr erfahren, von welcher nicht sichern, sondern schwankenden Höhe herab er alles unter sich sah.

251. *fultus*, impositus, quasi statua in basi.

252. *Tot raptis truncus m.* Videlicet Caesar comparatur trunco, ablatis ei manibus militum suorum.

253. *suo* sc. soli.

254. Intelligit, non a duce pendere, sed a milite, rem gerendam.

255. Sensus breviter: Nam non retinet eos timor ducis.

257. *quibus*, videlicet ducibus. — *pavet* sc. eos, i. e. duces, quibus potius ipse est timendus.

258. dumque singulus quisque existimat, se solum, nec pariter ceteros, habere quare indignetur. — *regnorum iniusta*, h. e. ob iniustitiam eorum, qui per vim nacti sunt summum imperium.

260. *turba exsolverat metus*, milites metum exuerant.

262. *quaeris his ferrum iugulis*, h. e. nihil aliud efficis, nisi ut nos iugulemur.

272. Nocentes sumus manibus et ferro, quibus gerimus bellum civile; at pii tamen sumus eatenus, quatenus pauperes.

Paupertate pii. Finis quis quaeritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? Jam respice canos,
Invalidasque manus, et inanes cerne lacertos.
Usus abit vitae, bellis consumsimus aevum:
Ad mortem dimitte senes. En, improba vota!
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima glebam fugiente ferire,
Atque oculos morti clausuram quaerere dextram,
Coniugis illabi lacrymis, unique paratum
Scire rogum. Liceat morbis finire senectam.
Sit praeter gladios aliquod sub Caesare fatum.
Quid, velut ignaros ad quae portenta paremur,
Spe trahis? Usque adeo soli civilibus armis
Nescimus cuius sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si nondum comperit, istas
Omnia posse manus. Nec fas nec vincula iuris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Caesar in undis
Dux erat, hic socius. Facinus quos inquinat, aequat.
Adde, quod ingrato meritorum iudice virtus
Nostra perit. Quidquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. Licet omne deorum
Obsequium speres: irato milite, Caesar,
Pax erit. Haec fatus, totis discurrere castris
Coeperat, infestoque ducem deposcere vultu.
  Sic est, o superi! quando pietasque fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est,

279. *glebam* Ar. Ae. C. — V. *galeam.*

277. *En improba vota*, ironice. Sensus: vide quam parum sit, quod petimus. Petimus, ut liceat nobis domi mori, apud nostros.

278. *cespite*, h. e. in castris, humi.

279. *non anima glebam fugiente ferire*, h. e. liceat nobis ita mori, ut ne capite terram nudam (in castris) feriamus. Quod Cortius animam de sanguine intellexit, qui effluens *galeam* (sic enim legit in ed. maiore pro *glebam*) feriat, per mihi ineptum hoc loco videtur, utut alibi *vita* et *anima* occurrat pro sanguine, quemadmodum supra vidimus. Cf. III, 641.

280. *morti*, i. e. morienti.

281. Ab initio versus suppleatur: *Sed liceat.* — *unique;* nam in militia pluribus unus rogus erigebatur.

284. *portenta*, ut alibi *monstra*, i. e. q. facinora belli civilis.

285. *Usque adeo* etc. Oblique Caesari mortem minantur.

286. *cuius sceleris*, videlicet interfecti ducis.

288. *istas manus*, h. e. nostras manus, manus militum.

297. *Sic est*, sic fiat. II, 304.

298. *destituunt*, nos reliquere. — *mores malos sperare*, h. e. et quando unica spes relicta est in moribus malis, h. e. in discor-

Finem civili faciat discordia bello.
Quem non ille ducem potuit terrere tumultus?
Fata sed in praeceps solitus demittere Caesar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desaeviat ira,
Exspectat: medios properat tentare furores.
Non illis urbes spoliandaque templa negasset,
Tarpeiamque Jovis sedem, matresque senatus,
Passurasque infanda nurus. Vult omnia certe
A se saeva peti, vult praemia Martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet heu, Caesar, soli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave ius erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? Lassare, et disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
Saeve, quid insequeris? quid iam nolentibus instas?
Bellum te civile fugit. Stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque haec ira dictante profatur:
Qui modo in absentem vultu dextraque furebas,
Miles, habes nudum promtumque ad vulnera pectus.
Hic fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata iuventus,
Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis:
Invenient haec arma manus, vobisque repulsis

307. *certe* C. a. et fere b. — V. *Caesar.*
316. *aggere fulti* c. Ar. Ae. c. d. atque Sulp. int. *in loco eminenti et cespitibus congesto.* Recte. — a. b. *fulto.* — V. C. *fultus.*

dia, dum obsequium non praestatur duci.
301. *in praeceps demittere*, h. e. audacter illis occurrere; quasi in arenam fatis demissis, cum iis luctari.
311. *manibus*, millitibus. — *ante*, quam te.
312. *ferri ius grave erit*, hi gravabuntur ferro civili pugnare.
314. *pati* sc. te existere.
316. *Stetit* etc. Solitum erat in castris exstrui tribunal ex cespite; de qua re cf. Lipsium ad Tacit. Ann. I, 18. et Bern. ad Stat. Theb. VII, 374. Lectionem *fulti* tuentur tantum non omnes codices et editiones antiquae. Cortius: *fultus*, ex vs. 251. Sed *fulti* est: exstructi cespitis. Cf. 516. Sulpicius: in loco eminenti et cespitibus congesto.
319. *absentem* sc. me.
321. *Hic ense relicto*, h. e. in pectore meo. — *fuge;* tamquam ignavos compellat hac voce.

Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperiae gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulsi tantum quae praemia belli
Auferat et, vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos despecta, senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros iam plebs Romana triumphos.
Caesaris an cursus vestrae sentire putatis
Damnum posse fugae? veluti, si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis umquam descenderet aequor,
Quam nunc crescit, aquis. An vos momenta putatis
Ulla dedisse mihi? Numquam sic cura deorum
Se premit, ut vestrae morti vestraeque saluti
Fata vacent. Procerum motus haec cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus. Orbis Iberi
Horror et Arctoi nostro sub nomine miles,
Pompeio certe fugeres duce. Fortis in armis
Caesareis Labienus erat: nunc, transfuga vilis,
Cum duce praelato terras atque aequora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste
Nec duce me geritis. Quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompeianis tradit sua partibus arma,
Hic numquam vult esse meus. Sunt ista profecto
Curae castra deis, qui me committere tantis
Non nisi mutato voluerunt milite bellis.

333. *despecta* Ar. d. — V. C. Ae. *defecta.*
338. *descenderet* Ar. C. a. b. d. — V. *decresceret.* Ae. *decreverit.*
349. *relinquit* V. Ar. Ae. — C. a. c. d. *relinquens.* b. *relinquet.*
350. C. *Non Pomp.* ut a. c.

327. *reddet* sc. mihi.

330. *impulsi tantum belli*, in quo nonnisi uno quasi adhuc impulsu opus erit, quo praemia auferant.

338. *descenderet*, i. e. minueretur. Non minueretur mare quemadmodum nunc non crescit, quum omnia flumina in illud influant.

341. *se premit*, cura deorum numquam adeo se demittit et ad vilia descendit, ut vobis vacet.

343. *paucis*, h. e. proceribus tantum, potentibusque. Est autem dativus casus.

344. Vos, qui fuistis me duce horror orbis Iberi et Arctoi, sub Pompeio certe fugeretis.

348. *si bella* etc. h. e. si a neutrius partibus stabitis.

351. *numquam*, nec post victoriam reportatam. — *ista*, h. e. haec, h. e. mea castra.

353. Felicem se praedicat, quod permutato milite bellum sit gesturus, omissis veteranis, quibus nulla praemia sint satisfactura, acceptisque tironibus.

Heu, quantum Fortuna humeris iam pondere fessis
Amolitur onus! sperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Jam certe mihi bella geram: discedite castris,
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.
At paucos, quibus haec rabies auctoribus arsit,
Non Caesar, sed poena tenet. Procumbite terra,
Infidumque caput feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt iam robore castra,
Tiro rudis, specta poenas, et disce ferire,
Disce mori. Tremuit saeva sub voce minantis
Vulgus iners: unumque caput tam magna iuventus
Privatum factura timet: velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipse pavet, ne tela sibi dextraeque negentur
Ad scelus hoc Caesar: vicit patientia saevi
Spem ducis, et iugulos, non tantum praestitit enses.
Nil magis, adsuetas sceleri quam perdere mentes,
Atque perire timet; tam diro foederis ictu
Parta quies, poenaque redit placata iuventus.

360. Ar. Ae. a. b. c. d. *terra.* — V. C. *terras.*

355. *omnia*, h. e. praemia summa. — *dextras*, h. e. veteranos.

356. *exarmare datur*, h. e. dimittere licet. — *quibus hic* etc. quibus si totum hunc orbem largiar, non sim satisfacturus.

360. *tenet*, i. e. hic retinebit. Discedite, ait, veterani; soli remanebunt hic auctores seditionis, sed non ut sub Caesare militent, potius ut poenas dent.

363. *disce ferire*, *disce mori*, disce quomodo poenae sumantur, et quomodo dentur.

366. *privatum factura*, cui facile fuisset, ex metuendo privatum reddere. Privatus opponitur duci, imperatori.

367. *moturus ferrum*, ad poenam sumendam.

369. *patientia*, obedientia, maior erat, quam sperare poterat Caesar.

370. *iugulos praestitit*, damnati sponte procumbebant, quo ferirentur.

371. Utut speciosa sit Bentleii coniectura, qui pro *timet* reponi iubet *tenet*, i. e. afficit, obligat, obstringit mentes sceleri assuetas nihil magis, quam perdere (h. e. supplicium sumere) atque perire, h. e. supplicium pati; retinendam tamen omnium librorum duco lectionem, quo timor Caesaris declaretur, cui summi sine dubio esse momenti debebat, veteranos in castris retineri, quippe assuetos sceleribus. Ad verba *atque perire* supple *mentes* accusativo subiecti. *perire* autem est: incassum assuevisse sceleribus. Sic *perdere* III, 706. atque *perire* IV, 252. Ceterum Caesar pariter subiectum est ad *timet*, atque fuit ad praec. *pavet* vs. 368.

372. *foederis*; per sarcasmum coacta illa obedientia foederi comparatur, supplicioque adfecti hostiae. — Facta autem est illa seditio iuxta Placentiam.

Brundusium decimis iubet hanc adtingere castris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquusque Taras, secretaque litora Leucae,
Quas recipit Salapina palus, et subdita Sipus
Montibus: Ausoniam qua torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreae, Calabroque obnoxius Austro
Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.
Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam,
Jam doctam servire togae: populoque precanti
Scilicet indulgens, summum dictator honorem
Contigit, et laetos fecit se consule fastos.
Namque omnes voces, per quas iam tempore tanto
Mentimur dominis, haec primum reperit aetas,
Qua sibi ne ferri ius ullum Caesar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Moesta nota. Nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? Fingit solemnia Campus,

375. *revocare*, congregare, cogere. — *avius Hydrus*, flexuosus fluvius Calabriae.

376. *Taras*, fl. prope Tarentum. Sed et conditor Tarenti et urbs ipsa Graecis fuit Taras. — *Leucae*, oppidi Tarentinorum.

377. *Salapia*, oppidum in Apulia, Hannibalis meretricio amore famosum. — *Sipus*, Sipuntum, Apuliae urbs.

378. *Ausoniam* etc. Qua in regione Garganus, obnoxius Boreae a Dalmatia, et Austro a Calabria flanti, torquens oram Ausoniam, in Hadriaticum mare exit. — *Garganus*, promontorium Apuliae. Cf. Hor. Od. II, 9, 7. — *torquens*, inflectens. — *exit*, porrigitur.

382. *togae*, Caesari togato, pacis autori. — *precanti*, sc. ut velit dictator fieri.

383. *scilicet* refer ad *precanti*.

384. *Contigit* est: *attigit*, nactus est. Sed Cortius ex codd. quibusdam: *summo dictator honori contigit*, quasi gratulari sibi potuerit summus honor, quod sibi contigerit Caesar dictator. Mihi tamen praeplacet vulgata lectio.

385. *omnes voces*, quales fuere: *Divus*, *semper Augustus*, *pater patriae*, *dominus* etc.

387. Constr. Qua Caesar, ne sibi ullum ius ferri abesset, securibus Consulis addidit gladios dictatoris. Vox *Caesar* pariter dislocata, atque aliae transpositiones in Lucano occurrunt, cf. VI, 711. *imposui* et III, 679. *exeat*. — *ferri ius ullum*, h. e. ulla potestas ferri exercendi, vel in supplicio sumendo, vel gerendo bello.

390. *Signavit* etc. Signavit suo nomine, tamquam aptissima nota, annum eum, quo extinctus est Pompeius, et eversa libertas reip. Romanae.

392. *Campus* Martius quasi simulat Comitia consularia. Nam non veri consules eliguntur, sed quasi pseudoconsules, et nomine tantum.

Et non admissae dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, et vana versat in urna.
Nec coelum servare licet: tonat augure surdo,
Et laetae iurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Iuris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit saecula consul.
Nec non Iliacae numen quod praesidet Albae,
Haud meritum Latio sollemnia sacra subacto,
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
    Inde rapit cursus, et, quae piger Appulus arva
Deseruit rastris, et inerti tradidit herbae,
Ocior et coeli flammis et tigride foeta
Transcurrit: curvique tenens Minoia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, et pavidas hiberno sidere classes.

393. *non admissae.* Citabantur quidem tribus, at non vere admittebantur aut comparebant cives, quoniam Caesar solus eligebat consulem, tribubusque commendabat. — *dirimit* sc. Campus, tamquam persona. *Dirimere* est i. q. *diribere*, h. e. dividere inter singulos suffragia seu calculos aut tabellas. Quae ubi divisa erant, citabantur tribus singulae, coniiciebantque suffragia sua in urnam, in qua ea deinde versabantur, h. e. miscebantur. De hac sortitione cf. Plautum in Casina II, 6, 26. sqq.

395. *Nec coelum* etc. Nulla iusta fiebant auspicia in illis comitiis.

397. *potestas*, sc. consulum.

399. *menstruus*, in breve tempus electus, uti saepe factum sub imperatoribus. — *saecula*, annos, tempora. — *menstruus in fastos* dictum est pro *in fastos menstruos*, h. e. in s. ad annum menstruum tantum quasi. Similis constructio est II, 213. *Interruptus aquis*, pro: *interruptis aquis.*

400. Nec non Jupiter Latialis, quamquam haud vere meritus, quoniam subactum erat Latium a Caesare, finitas vidit ferias Latinas flammifera nocte. Cf. I, 550. Finiebantur enim Latinae sacrificio nocturno. Ad illud templum autem procedere solebant longa pompa novi consules. Ergo quasi per indignationem addit hoc poeta, nihilominus fuisse celebratas Latinas, utut simulata fuerit consulum electio. Ergo *Nec non* positum est pro *Ac tamen.*

403. *rapit*, accelerat.

404. *inerti herbae*, lolio aliisque. — *tradidit*, passus est lolium ibi crescere, propter belli tumultus. — *piger*, otiosus, non arans aut rastris colens. Idem enim tum piger erat, qui Horatio *impiger* Od. III, 16, 27. *si quidquid arat non piger Apulus.* Ergo piger factus erat bello, coactus in otio vivere et agriculturam omittere.

405. *Ocior*, cf. I, 230.

406. *curvi Brundusii*, quia in litore curvo, portumque efficiente exstructum erat. Cf. II, 613.

407. *clausas*, ita ut non posset navigari.

408. *hiberno sidere.* Cortius occasum Vergiliarum intelligit.

Turpe duci visum, rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portuque teneri,
Dum pateat tutum vel non felicibus aequor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortius hiberni flatus, coelumque fretumque
Quum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
Nec maris anfractus lustrandaque litora nobis,
Sed recti fluctus soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, et Graia ad moenia perflet,
Ne Pompeiani Phaeacum e litore toto
Languida iactatis comprendant carbasa remis:
Rumpite, quae retinent felices vincula proras.
Jamdudum nubes et saevas perdimus undas.
Sidera prima poli, Phoebo labente sub undas,
Exierant, et luna suas iam fecerat umbras,
Quum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus: et flexo navita cornu
Obliquat laevo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus

409. *visum* C. a. — V. et rel. add. *est.* — 426. *tortosque* C. — V. *totosque.*

Cf. Manil. I, 365. Barthius de sole hiberno quasi algente int. Advers. XXVIII, 14. Farnabius de Delphino et Cane matutino.

409. *rapiendi*, celeriter conficiendi.

411. *vel non felicibus*, Pompeianis.

413. Sensus: Firmior est ventus hieme media, quam verno tempore.

414. *tenent*, sibi constant. — *quam* etc. quam ii venti, quos inconstantia veris impedit, quominus certi mari incumbant.

416. Sensus: nec nos litora legemus, ubi periculum est ab rupibus, sed recta per altum vehemur.

420. Ne Pompeianae naves, quae stationem habent ad Phaeacum litora, nos remis insectentur, qui utimur onerariis, quum ventus forte remittat, et languida sint carbasa.

422. *felices proras* sc. nostras, i. e. victrices.

423. *perdimus*, h. e. frustra esse patimur, non utimur coelo turbido saevisque undis, quo occulti et non exspectati in Epirum transiiciamus.

424. Solvunt nocte ingruente, eo consilio, ut die orto sequenti appellant.

427. *laxavere*, explicuere. — *cornu* sc. antennae, quae duo habet cornua. — *pes veli* est ima eius pars, seu funis, quo tenditur. Cf. VIII, 185. Eurip. Iph. Taur. 1136. Soph. Ant. 726. Catull. IV, 19.

429. *perituras*, h. e. quia alias periturae fuissent aurae, h. e. non promoturae navem, quippe a latere flantes.

Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta,
Non valet ipsa sequi puppes, quae vexerat aura.
Aequora lenta iacent, alto torpore ligata.
Pigrius immotis haesere paludibus undae.
Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporus undas,
Quum, glacie retinente, fretum non impulit Ister,
Immensumque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis
Aequora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Maeotida Bessi.
Saeva quies pelagi, moestoque ignava profundo
Stagna iacentis aquae: veluti deserta rigente
Aequora natura cessant, pontusque vetustas
Oblitus servare vices, non commeat aestu,
Non horrore tremit, non solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixae patuere carinae.
Illinc infestae classes et inertia tonsis
Aequora moturae; gravis hinc languore profundi

431. *reddita* sc. vela. Mox omnis desinit ventus, et vela languida adhaerescunt malo et decidunt non inflata, facta malacia.

433. *non valet sequi*, aura tardius it ipsis navibus.

435. Undae maris pigrius stant undis paludum.

436. Bosporum ponit pro ponto Euxino, tamquam partem pro toto. Intelligit autem Cimmerium proxime.

437. *retinente*, sc. Istrum. — *non impulit fretum*, h. e. non movet influens undas Ponti Euxini.

438. *comprimit*, constringit, retinet naves unda gelu obstricta.

439. *nec* etc. Constr. et eques frangit aequora non pervia velis. — *frangit*, calcat, conterit ungula, ut in sqq. *scindit*. Male haec ceperunt intt. — Pro *nec pervia* quidam libri melius, saltem commodius, *non pervia*.

441. *orbita*, currus. — *migrantis*, euntis iuxta currum, aut: iter facientis, transiicientis Maeotidem. — *Bessi*, populi Thraciae. Ov. Trist. III, 10, 5. Plin. H. N. IV, 11.

442. *Saeva* sc. est. — *moesto* sc. adspectu Caesarianis, qui superent transiicere.

443. *veluti des.* Aequora cessant moveri, quasi deserta plane essent a natura sua, quae in eo est, ut semper moveantur, nunc autem riget. Cf. vs. 453. Male intt. tantum non omnes, praeter Sulpicium.

446. *non horrore tremit*, non movetur vento ingruente. — *vibrat*, non varie motus varie frangit solis imaginem.

447. Carinae Caesaris multis expositae erant periculis, partim ab hostibus qui facile remis usi poterant accedere, partim a fame.

449. *moturae*, quae movere poterant.

Obsessis ventura fames. Nova vota timori
Sunt inventa nove, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. Nubila nusquam
Undarumque minae: coelo languente fretoque,
Naufragii spes omnis abit. Sed nocte fugata,
Laesum nube dies iubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi coepere rates, atque aequora classem
Curva sequi, quae iam vento fluctuque secundo
Lapsa Palaestinas uncis confixit arenas.
Prima duces vidit iunctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circueunt ripis. Apso gestare carinas
Caussa palus, leni quam fallens egerit unda.
At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutae
Praecipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terrae, vicino litore, novit.
Hoc fortuna loco tantae duo nomina famae
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces parva campi statione diremtos

456. *dies* C. c. — V. *diem.*

450. *Obsessis*, quum quasi obsessae essent naves mari languenti.

452. *dum se t.* h. e. ut se unda liberaret isto torpore, stagnumque esse desineret, et fieret verum mare, cuius natura est, ut moveatur. Cf. vs. 444.

453. *nusquam* sc. videntur.

454. *undarumque*, nec minae undarum comparent e longinquo.

455. *Naufragii.* Nimirum exoptaverant sibi vel periculosissimam tempestatem, imo naufragium, prae hoc pelagi torpore. Cf. vs. 494.

456. *laesum iubar nube*, sole partim nubibus tecto.

457. *movitque Ceraunia nautis*, per illusionem opticam, qua fit, ut litus videatur moveri navigantibus, et montes iactari, iactatis ipsis in fluctibus. Sic hic *moveri visa sunt Ceraunia nautis.*

458. *rapi*, celeriter impelli. — *aequora curva*, h. e. undas maiores facientia. — *sequi classem*, h. e. secundo lapsu promovere et adiuvare.

460. *lapsa*, h. e. allapsa. Cf. II, 618. — *Palaestinas;* Palaeste urbs Orico vicina, prope Ceraunia.

461. *iunctis*, propius sibi oppositis. Cf. IV, 260. — *duces*, Caesarem et Pompeium.

462. *Genusus*, Macedoniae fl., uti et *Apsus.*

463. *Apso gest.* Apsus ut possit navigari, eo efficitur, quod fluvius egerit paludem leni unda fallens, i. e. leniter defluens e palude oritur, sensim sensimque, ut vix sentiatur. Sic *fallere* de clivo leniter descendente Plin. Ep. V, 6, 14. Omnes autem fluvii ex paludibus orientes leniori unda defluunt.

469. *composuit*, tamquam par athletarum.

Admotum damnare nefas. Nam cernere vultus
Et voces audire datur: multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignera tanta
Sanguinis, infausti sobolem mortemque nepotis,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena.
Caesaris adtonitam miscenda ad proelia mentem
Ferre moras scelerum partes iussere relictae.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tunc civili meditatus Leuçada bello.
Illum saepe minis Caesar precibusque morantem
Evocat: *O mundi tantorum caussa malorum,*
Quid superos et fata tenes? Sunt cetera cursu
Acta meo: summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. Num rupta vadosis
Syrtibus incerto Libye nos dividit aestu?

474. V. *post pignora tanta*, *Sanguinis infausti sobolem*, *mortemque nepotis*. d. et a. *nepotum*. Cum V. faciunt Ar. Ae.

471. *admotum*, appropinquans iam et in proximo situm. — *nefas*, bellum inter se. — *damnare*, abiectis armis.

473. *post pignora tanta sanguinis*, intellige Juliam Pompeio a Caesare in matrimonium datam. Haec autem iungenda sunt cum *dilectus tibi*, atque *post* h. l. eodem sensu positum est, quo II, 635. et III, 14. et 233. vidimus, ut sit: *ex quo* tanta sanguinis pignora intercedebant. Referendum autem esse ad *dilectus* apparet ex adiecto *tanta;* in hoc enim tanto pignore summum amoris vinculum continebatur. Sed eadem etiam simul eo pertinent trahique possunt, quod ex illo tempore non viderit Caesar Pompeium, quippe ad bellum Gallicum statim post profectus. — In sequentibus est asyndeton, frequens Lucano, repetendaque pr. *post*, ut sit: et post sobolem mortemque infausti nepotis. Sobolem dictam puto pro *partu*. Nam simulac natus est infans, mortuus etiam est una cum matre. Atque sic retinendam puto lectionem vulgatam, interpungendamque et interpretandam. Cortius de coniectura: *infaustam subolis mortemque nepotum*, quasi aut pluribus uno nepote natis, aut Julia ipsa dicta nepote. Nisi malis: *infaustam subolis mortemque nepotis*, ut suboles sit ipsa Julia. Quodsi retineas *infausti subolem*, rursus erit per hypallagen dictum pro *infaustamque subolem mortemque nepotis*. Cf. I, 112.

475. *Niliaca*, ubi extinctus Pompeius.

476. *adtonitam*, quasi furore concitatam.

477. ut pateretur differri bellum adhuc, coegit hoc, quod pars exercitus eius in Italia relicta erat, cuius dux erat Antonius.

479. *Leucada*, h. e. proelium apud Actium.

481. *O mundi* etc. O Antoni qui morando me tantorum caussa existis malorum mundi. Sed Cortius: *O mundo tantorum caussa laborum*, partim e codd. partim coniectura aut nonnisi uno libro. Ceterum et prophetice quasi innuere potest Caesar mala mundo per Antonium ventura.

Numquid inexperto tua credimus arma profundo,
Inque novos traheris casus? Ignave, venire
Te Caesar, non ire, iubet. Prior ipse per hostes
Percussi medias alieni iuris arenas.
Tu mea castra times? Pereuntia tempora fati
Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per aequor:
Si bene nota mihi est, ad Caesaris arma iuventus
Naufragio venisse volet. Jam voce doloris
Utendum est: non ex aequo divisimus orbem.
Epirum Caesarque tenet totusque senatus:
Ausoniam tu solus habes. His terque quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse deis, ac non sibi numina, credit,
Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod iussi timuere, fretum, temeraria prono
Expertus cessisse deo: fluctusque verendos
Classibus, exigua sperat superare carina.
    Solverat armorum fessas nox languida curas:
Parta quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor. Jam castra silebant;
Tertia iam vigiles commoverat hora secundos:
Caesar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis,
Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam
Egressus, vigilum somno cedentis membra
Transsiluit, questus tacite quod fallere posset.

499. *ac* C. b. c. d. — V. *at*.

487. *venire* sc. ad se.

488. *non ire*, non solum proficisci contra hostes.

489. *arenas alieni iuris*, appuli ad oram ab hoste occupatam. — *Percussi*, nam litus appellentibus ad illud navibus rostris quasi percutitur. Cf. Virg. Aen. X, 295. — *per hostes* sc. feliciter evadens. — *medias*, cum a dextra laevaque essent hostes.

490. Parum abest quin videaris mea castra timere.

491. *in ventos* etc. Impendo vota in ventos et mare, quo tu feliciter traiicias, quum longe maiora sint mihi votis petenda.

492. *cupientes* sc. milites.

494. *naufragio*, h. e. si vel naufragium sit subeundum. — *doloris*, i. e. exprobrationis.

500. *incautas*, intutas, ut IV, 719, ubi v. n.

505. *in quorum p.* qui propter exiguitatem fortunae suae dulcius dormiant securiusque quam duces magni et quam Caesar.

506. *Fortuna minor* est inferiorum ordinum.

507. Tertia erat hora secundae vigiliae.

512. *quod fallere posset* sc. ipse eos; quod tam dulce illi dormirent, ut ipsum ne sentirent quidem.

Litora curva legit, primisque invenit in undis
Rupibus exesis haerentem fune carinam.
Rectorem dominumque ratis secura tenebat
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili iunco cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
Haec Caesar bis terque manu quassantia tectum
Limina commovit. Molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro. *Quisnam mea naufragus*, i
Tecta petit? aut quem nostrae Fortuna coegit
Auxilium sperare casae? Sic fatus, ab alto
Aggere iam tepidae sublato fune favillae,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes;
Securus belli: praedam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitae tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Caesarea pulsante manu? Tum poste recluso,
Dux ait: *Exspecta votis maiora modestis*,
Spesque tuas laxa, *iuvenis. Si iussa secutus*
Me vehis Hesperiam, *non ultra cuncta carinae*
Debebis, *manibusque inopem duxisse senectam.*
Ne cessa praebere deo tua fata, *volenti*
Angustos opibus subitis implere Penates.
Sic fatur: quamquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. Tum pauper Amyclas:
Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.

516. *fulta*, exstructa, ut vs. 316.

524. *aggere*, foco quasi e cespite facto. Ad sequentia Sulpicius sic: „Solet ignis intorto fune servari, ex cuius agitatione, admotis foliis et fomitibus flamma elicitur. Est hoc loco hypallage: sublata favilla tepida funis, i. remoto cinere, sub quo ignis latebat.“ Judaeus hanc hypallagen! *funis favillae* est funis servando igni aggeri impositus; quod fieri nequit, nisi funis paullatim in favillam abeat. Sustulit igitur a foco suo cespititio funem favilla iam circum circa accumulatum. Ceteru *fune* cd. Voss. habuit *fu* alius *fine*. Hoc addam, fa aggerem, qualem int. C non recte posse dici *altum*

525. *pavit*, nutrivit.

533. *laxa*, ampliores co

535. *duxisse*, i. e. ducer bebis. — *manibus*, opere f do.

536. *deo*, deorum consilii ram tuam praestare.

539. *Indocilis* etc. Non non alta loqui.

540. Multa quidem prog ca dehortantur, ne credan vem meam ponto hac noct

Nam sol non rutilas deduxit in aequora nubes
Concordesque tulit radios: Noton altera Phoebi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio languensque recessit,
Spectantes oculos infirmo lumine passus.
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
Ora tulit, vultu sub nubem tristis ituro.
Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat aequora, Delphin:
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
Ardea sublimis pennae confisa natanti:
Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
Instabili gressu metitur litora cornix.
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem praebere manus. Vel litora tangam
Jussa, vel hoc potius pelagus flatusque negabunt.
Haec fatus, solvensque ratem, dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quae fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. Niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu

560. Ar. et Bersm. *fatus*. — V. C. *fatur*.

542. *Concordesque*, i. e. nec concordes. Sulpicius: „non unicolores et pares." — *Noton altera Ph.* Sulpicius: in diversas partes radios sol emisit, ita ut hinc Notum, hinc Aquilonem portenderet. Nam sic sparsi radii pluviam et ventos, Plinio auctore, significant.

543. *diducta*, divisa.

544. Ipse orbis solis languebat, nec habebat solitos ignes, ut, nihil impediente oculos lumine, facile posset adspici.

546. *non gracili cornu*, sed quasi obtuso. Cf. Virg. Ge. I, 433.

547. *aut exesa*, i. nec exesa. Non erat exesa in orbe medio, non pura, sed nube maculata.

548. Rectum eius cornu non tenue ostendebat cacumen, sed obtusum.

549. Rubor lunae ventos portendit.

552. *incertus*, inquietus.

553. *siccum*, litus. Cf. Virg. Georg. I, 361. sqq.

554. *natanti* sc. in aëre, volanti.

555. *spargens*, irrorare se gestiens. — *velut*, quasi antecapiat imbrem futurum.

561. Jam exordium capit tempestatis descriptio. — *quorum* sc. ventorum. — *lapsa sidera*, meteora decidebant: Sternschnuppen.

562. *dispersos traxere sulcos*, reliquere sui in aere vestigia.

564. *horror est*, cum surgunt undae maris.

Aestuat unda minax, flatusque incerta futuri:
Turbida testantur conceptos aequora ventos.
Tunc rector trepidae fatur ratis: *Adspice, saevum*
Quanta paret pelagus. Zephyros intendat, an Euro
Incertum est. Puppim dubius ferit undique pontus.
Nubibus et coelo Notus est: si murmura ponti
Consulimus, Cori verrunt mare. Gurgite tanto,
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam et vetitos convertere cursus,
Sola salus. Liceat vexata litora puppe
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.
Fisus cuncta sibi cessura pericula Caesar,
Sperne minas, inquit, *pelagi, ventoque furenti*
Trade sinum. Italiam si coelo auctore recusas,
Me pete. Sola tibi caussa haec est iusta timoris,
Vectorem non nosse tuum; quem numina numquam
Destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur,
Quum post vota venit. Medias perrumpe procellas,
Tutela secure mea. Coeli iste fretique,
Non puppis nostrae labor est: hanc Caesare pressam
A fluctu defendet onus. Nec longa furori
Ventorum saevo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis. Ne flecte manus: fuge proxima velis
Litora: tum Calabro portu te crede potitum,
Quum iam non poterit puppi nostraeque saluti
Altera terra dari. Quid tanta strage paretur,

569. *Zephyros* C. Ae. a. b. c. d. — V. Ar. *Zephyrosne.*
572. *verrunt.* Sic unus ex vetustissimis Cortii. Cortius t *verrent.* — Ar. Ae. *venient Cori in mare.* — V. ut C. — a. d. *venient.* — 579. C. *sinus*, rursus versus nulla habita r — 588. *Ne* C. et cdd. Bersm. — V. *Nec fl. manum.* C. Bersm.

566. *incerta flatus futuri*, unda aestuat, quasi incerta, cui vento sit paritura.

572. *Corus:* Nord-Westwind. De re cf. II, 459. sq.

573. Nec salva navi, nec naufragi Italam oram tangemus.

575. *litora* sc. Epiri.

579. *Italiam;* si recusas coelo auctore Italiam petere, me auctore illam pete.

582. *de quo* etc., cuius vota plerumque antecedit Fortuna, existimatque se male mereri, si vota primum eius exspectaverit.

584. Coelum et mare laborabunt in ista tempestate navis nostra, quae secu fluctus evadet. Ea, qu insidet ei Caesar, propt onus tuta erit.

586. Nec longum tempu vient venti. Imo proderit quod nostra navis nunc hitur.

590. Crede nos ad Bru um appulisse, simul atq vem ventis commiseris, reverti non possimus. — tum monstrat appulsum liam.

591. Quid sibi velit F

Ignoras? Quaerit pelagi coelique tumultu
Quid praestet Fortuna mihi. Non plura locuto,
Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes
Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
Vela tulit: sonuit victis compagibus alnus.
Inde ruunt toto congesta pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens aestus: iam te tollente furebat
Pontus, et in scopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui pareat, aequor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Aequora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Aeolii iacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentes
Defendisse suas violento turbine terras;
Sic pelagus mansisse loco. Non parva procellis
Aequora rapta ferunt: Aegeas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Jonio vagus Hadria ponto.
Ah quoties frustra pulsatos aequore montes

597. *congesta* Ar. et cdd. Bersm. — V. *concita.*

602. *pareat* Ar. Ae. optime, etsi pessime existimet Cortius. Cf. Ov. Trist. 1, 2, 25. Metam. 8, 470. — V. *concidat* prorsus ineptum, ortumque ex *concedat*, quod fortasse aliquis explicationis caussa adscripserit. Nostr. et Ald. et Junt. — 612. V. *Nam p.* C. *Nec.*

cum tanta tempestate, quaeris? Vult ostendere, quantum mihi faveat in summis periculis.

595. *turbo tulit vela super malum* h. e. turbo involvit malum velis, postquam rudentes absciderat. Malus enim stat adhuc versu 641.

596. *alnus sonuit*, navis increpuit. — *victis compagibus* sc. mali.

597. *ruunt*, irruunt in navem.

601. *occurrit*, sc. ab latere, ab alia parte.

604. *vada fecit*, paene nudavit fundum maris.

605. *suumque* etc. fluctus a Borea moti franguntur fluctibus, quos movebat Corus. Aequora autem tanta vi commota erant, ut etiamsi subtraherentur venti, per se solos inter se confligerent.

608. Verum et Eurus accessit, et Notus.

611. *defendisse terras*, ne a fluctibus mergerentur, mareque suo loco maneret.

612. *Non parva.* Sed tamen venti abripiunt quasi totas maris partes, et in alia maria ingerunt. Sic pars Tyrrheni maris translata est in Aegeum, sic et pars Jonii in Adriaticum.

615. Montes, toties antehac frustra fluctibus pulsati, hac

Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! Non illo litore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in saecula fulmen
Adiuvit, regnoque accessit terra secundo,
Quum mare convolvit gentes, quum litora Tethys
Noluit ulla pati, coelo contenta teneri.
Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni superum rector pressisset nubibus undas.
Non coeli nox illa fuit: latet obsitus aër
Infernae pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aër.
Tunc superûm convexa fremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire
Nox manes mixtura deis. Spes una salutis,

617. *Non illo* C. a. — V. *Non ullo.* — 625. *Nunc* C. — V. *Tunc.* — 632. *fremunt* Ar. Ae. — V. *tremunt.*

nocte obruti sunt; summa cacumina undis tecta.

617. *Non illo* etc. Sensus: Tanti fuerunt fluctus, paene ut dixeris, non illic solum esse ortos, sed ex Oceano advenisse.

620. *unda mundum coercens* est Oceanus. — *monstriferos sinus*, h. e. fluctus undarum miraculosos, immanes. — *Sic rector Olympi* etc. Neque minus intumuit mare, quam tum quum Jupiter, fatigatus hominum sceleribus fulmine vindicandis, decreverat universum terrarum orbem diluvio perdere.

622. *regnoque secundo*, h. e. Oceano. — *accessit terra*, facta est instar Oceani, undis subruta.

624. *Coelo contenta teneri*, passa nonnisi coelum sibi fines imponere.

626. Nisi Jupiter tantas nubes cumulasset inter mare, ut cogeretur mare a coelo recedere.

627. Non erant simplicis noctis coelique tenebrae, sed quasi ex Acheronte allatae.

629. *deprimitur* sc. aer. — *fluctusque*, mare autem ad nubes usque attollitur.

630. *Lux metuenda*, h. e. fulgura undis obruuntur. Conferendum omnino diluvium in terra Iberia, enarratum IV, 77.

631. *obscurum*, adverbialiter, pro: obscure. — *dissilit* sc. fulminibus.

634. *chaos* sc. iterum venturum.

635. *moras*, fines legesque sibi positas.

636. *Nox*, chaos. — *manes mixtura deis*, inferos superosque mixtura. — *spes una* etc. Una erat spes Caesari et Amyclae, id in tanta tempestate nau-

Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautae videre trementes
Fluctibus e summis praeceps mare: quumque tumentes
Rursus hiant undae, vix eminet aequore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenas:
Exhaustum in tumulos, omnisque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus: nescitque magister,
Quam frangat, cui cedat aquae. Discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sasona vadis, non litora curvae
Thessaliae saxosa pavent, oraeque malignos
Ambraciae portus: scopulosa Ceraunia nautae
Summa timent. Credit iam digna pericula Caesar
Fatis esse suis. *Tantusne evertere*, dixit,
Me superis labor est: parva quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari? Si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur;
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. Licet ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis; sat magna peregi.
Arctoas domui gentes: inimica subegi
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.

638. *Quantus* C. — V. *Quantum*. — 643. *arenas* Ar. C. Ae. a. b. d. — V. *arenam*. — 644. Ar. *tumulos*. — V. *cumulos*.

dum perierant sc. ipsi, Caesar et Amyclas.

638. Describitur in his, quam alte navis fuerit elata, nimirum ut aequaret altitudine verticem Leucadium.

639. *nautae*, qui cum Amycla erant. Cf. vs. 652.

640. *cumque* etc. In his autem ostenditur, quam alte rursus fuerint depressi.

641. *hiant*, aperiunt fundum maris.

643. *non celat*, aperit, ostendit, nudat.

644. *in tumulos*, in undas instar montium. — *omnisque* etc. et omnis unda in fluctibus consumitur, erigitur, et ima deserit.

646. *quam frangat*, cui aquae obviam eat.

649. Circumcirca navis sustentatur ventis ab omni parte flantibus.

650. Tam alte ibat mare, ut iam non litora pavescerent, sed summa Cerauniorum cacumina, quasi infra se posita. Apparet, quantâ hyperbole haec poeta eloquatur.

652. *nautae* iterum sunt socii aut servi Amyclae, uti vs. 639.

661 *inimica arma* sc. Pompeii — *metu*, nam metuens fugit Pompeius.

Iussa plebe tuli fasces per bella negatos.
Nulla meis aberit titulis Romana potestas.
Nesciet hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum
Et dictator eam Stygias et consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. Mihi funere nullo
Est opus, o superi: lacerum retinete cadaver
Fluctibus in mediis: desint mihi busta rogusque,
Dum metuar semper, terraque exspecter ab omni.
Haec fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere deiecit pelagi, sed pertulit unda,
Scruposisque angusta vacant ubi litora saxis,
Imposuit terrae. Pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam, tacta tellure, recepit.
    Sed non tam remeans Caesar iam luce propinqua,
Quam tacita sua castra fuga comitesque fefellit.
Circumfusa duci flevit, gemituque suorum
Et non ingratis incessit turba querelis:
Quo te, dure, tulit virtus temeraria, Caesar?
Aut quae nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
Quum tot in hac anima populorum vita salusque
Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Saevitia est voluisse mori. Nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes

665. *Nesciet* Ar. a. d. e. — V. *Nesciat*, ut Ae. b. — C. *Nec sciet.*

663. Imperator effeci, ut crearer consul.

665. *nisi tu* sc. Fortuna vs. 668. Nemo sciet, me privatum hic mori.

672. *decimus*, i. decumanus, praegrandis. V. Festus sub v. decimus. Sic Ovid. in Tristibus: *Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes; posterior nono est, undecimoque prior*.

673. *levat*, attollit.

678. *remeans*, reversus, postquam evocaverat Antonium, in Epirum. Illa enim, quae gesserit Brundusii, supprimuntur. Rediit autem eadem nocte; at quoniam sub adventu eius orta iam erat dies, non poterat latere suos, quin senserint, eum abfuisse.

680. Construe: Circumfusa duci turba suorum flevit, et gemitu querelisque non ingratis eum incessit, h. e. increpavit.

683. aut ad quem interitum nos, tamquam nullius pretii animas, relinquens etc.

684. *invitis*, recusaverant enim eum perdere, servaverantque.

685. *in hac*, in tua.

686. et orbis terrarum te dominum suum sibi elegerit.

687. *nullusne* etc. Nullusne nostrum meruit, tecum proficisci [illegible] mori?

Esse tuis? Quum te raperet mare, corpora segnis
Nostra sopor tenuit. Pudet, heu! Tibi caussa petendae
Haec fuit Hesperiae: visum est, committere quemquam
Tam saevo, crudele, mari. Sors ultima rerum
In dubios casus et prona pericula mortis
Praecipitare solet. Mundi iam summa tenentem
Permisisse mari! Tantum quid numina lassas?
Sufficit ad belli summam favor iste laborque
Fortunae, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere deûm, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
Talia iactantes, discussa nocte serenus
Oppressit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus, ventis patientibus, undas.
 Nec non Hesperii lassatum fluctibus aequor
Ut videre duces, purumque insurgere coelo
Fracturum pelagus Borean, solvere carinas,
Quas ventus ductaeque pari moderamine dextrae
Permixtas habuere diu: latumque per aequor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox saeva modum venti velique tenorem

697. *ad belli summam.* Sic C. — V. Ae. Ar. a. b. d. *ad fatum belli.* At c. *ad belli fatum.*
706. *ductaeque* C. — V. *doctaeque.* Nostr. Gronovius em.

692. *Sors* etc. Ultima rerum sors per se iam homines praecipitare solet in dubios casus et prona mortis pericula. *Sors ultima*, *sors suprema*, solemnis est locutio pro Sorte in universum. Cf. VII, 122. et Bentleium ad Hor. Epist. II, 2, 173.

694. *mundi* etc. Quam temerarium ergo fuit, eum mari se committere, qui mundo imperaturus est!

696. Nonne maioribus in rebus experienda est nobis fortuna, quam in hoc, an velit te salvum ad litus hoc referre?

703. *Hesperii duces*, Antonius, Gabinius, Calenus, Postumius.

704. *purum*, serenitatem coeli efficientem.

705. *fracturum*, dominaturum in pelagus. — *Borean*, cf. vs. 418, ubi pariter Aquilo dicitur secundus esse Epirum navigantibus. Atque differt in hoc Lucanus ab Caesare, qui Austro flante traiecisse narrat, III, 26.

707. *Permixtas habuere diu*, h. e. effecere, ut interdiu in ordine et congregatae irent. — *latumque*, et agmen navium, velut terrestre agmen per mare congregatum fertur. Nam *latum* participium est, non adiectivum.

709. Nocte remisit ventus, eoque turbatus est navium ordo. Quod quoniam adversabatur navigantibus, nox ideo *saeva* vocatur. Nam malaciam incidisse, patet e v. 717. Ceterum locus a ventis difficilis, necdum satis expeditus. Comparatio enim quae sequitur, potius ventorum impulsu contrariorum turbatas esse naves arguere videatur. Sed priorem expl. omnes habent interpretes.

Eripuit nautis, excussitque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturae te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temere immixtae glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Quum primum redeunte die violentior aër
Puppibus incubuit, Phoebeo concitus ortu,
Praetereunt frustra tentati litora Lissi,
Nymphaeumque tenent. Nudas Aquilonibus undas
Succedens Boreae iam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Caesaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis, seponere tutum
Coniugii decrevit onus, Lesboque remotam
Te procul a saevi strepitu, Cornelia, belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in aequas
Justa Venus! Dubium trepidumque ad proelia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub ictu
Fortunae, quo mundus erat Romanaque fata,
Coniux sola fuit. Mentem iam verba paratam
Destituunt, blandaeque iuvat ventura trahentem
Indulgere morae, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus, et aversi petit oscula grata mariti:
Humentes mirata genas, percussaque caeco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.

713. *varias figuras*, plerumque *V*, vel *Λ*, vel *L*.

716. *pennis*, gruibus.

719. *Lissi*, Lissus, opp. Macedoniae prope Nymphaeum, ad quod appellere impediti sunt ab hostibus.

720. *Nudas* etc. Sensus: Vix quum intrassent portum, qui *nudus*, h. e. expositus est Aquiloni, ventus mutatus est, desiit flare Boreas, et ortus est Auster, qui non infestat illum portum; quare factum ut vere esset portus, h. e. tutus a ventis. — *undas* intellige ipsius portus. Lege Caes. l. l., ubi tamen contrarii ventus ordinantur.

722. *in robur*, in firmas ad bellum vires.

727. *aequas*, pias. — *dominatur*, quam vim habet.

728. *iusta Venus*, legitimus amor, isque verus.

732. *ventura trahentem*, iuvat Pompeium, procrastinare ea, quae necessario fieri debebant, et morae indulgere.

736. *pectus* sc. Pompeii. — *aversi*, paullo remoti.

737. *percussaque*, et perterrita latente dolore mariti.

738. Non audet eum idcirco

Ille gemens: *Vita non nunc mihi dulcior*, inquit,
Quum taedet vitae, laeto sed tempore, coniux,
Venit moesta dies, et quam nimiumque parumque
Distulimus: iam totus adest in proelia Caesar.
Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit. Desiste preces tentare: negavi
Jam mihi: non longos a me patiere recessus.
Praecipites aderunt casus: properante ruina,
Summa cadunt. Satis est audisse pericula Magni:
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. Nam me iam, Marte parato,
Securos cepisse pudet cum coniuge somnos,
Eque tuo, miserum quatiunt quum classica mundum,
Surrexisse sinu. Vereor civilibus armis
Pompeium nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, et tutior omni
Rege, late, positamque procul fortuna mariti
Non tota te mole premat. Si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima nostri;
Sitque mihi, si fata premant victorque cruentus
Quo fugisse velim. Vix tantum infirma dolorem
Cepit, et adtonito cessere e pectore sensus.
Tandem vix moestas potuit proferre querelas:
Nil mihi de fatis thalami superisque relictum est,
Magne, queri: nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi: sed sorte frequenti
Plebeiaque nimis careo dimissa marito.

739. V. *Non nunc vita.* — 751. *quatiunt* Ar. C. Ac. a. b. c. d. — V. *quatient.* — 757. *nostri* Ar. Ac. — V. *Magni.*
760. *cessere e p.* Ar. Ac. — V. *cesserunt pectore.*
761. *Tandem vix.* Sic C. b. c. Ar. Ac. — V. *Tandem ut vox.*

alloqui caussamque doloris ex eo quaerere.

739. *non nunc*, iam enim vita Pompeio minime dulcis erat; ideo non magnum fuisset, si dixisset, cariorem esse ea vita sibi Corneliam.

741. *nimiumque parumque*, nimium, respectu rerum; parum, respectu amoris.

745. *negavi iam mihi*, cupienti te posse hic retinere.

747. *Summa cadunt*, approperat iam ruina, qua summis summum instat periculum.

748. Tu non vere me amas, si persistis in eo, ut velis civile bellum praesens spectare.

752. *Vereor* etc. Nolo me in communi omnium malo solum expertem esse tristi damno sc. tuae absentiae a me, quum omnes reliqui suas uxores reliquerint.

762. Non est quod accusem fata superosque, nec mortem. His enim non dividor a te; imo a te ipso dimittor, sorte nimis frequente et plebeia.

Hostis ad adventum rumpamus foedera tedae:
Placemus socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? non olim casu pendemus ab uno?
Fulminibus me, saeve, iubes tantaeque ruinae
Absentem praestare caput? secura videtur
Sors tibi, quum facias etiam nunc vota, perisse?
Ut nolim servire malis, sed morte parata
Te sequar ad manes; feriat dum moesta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod adsuescis fatis, tantumque dolorem
Crudelis me ferre doces. Ignosce fatenti:
Posse pati, timeo. Quodsi sunt vota, deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima coniux.
Sollicitam rupes, iam te victore, tenebunt:
Et puppim, quae fata ferat tam laeta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Quum, vacuis proiecta locis, a Caesare possim
Vel fugiente capi. Notescent litora clari
Nominis exsilio, positaque ibi coniuge Magni,
Quis Mitylenaeas poterit nescire latebras?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, quum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam:
Litoribus quaerere meis. Sic fata, relictis

769. *non olim* C. Ar. Ae. a. b. d. — V. *nonne olim.*
781. *ferat* Ar. Ae. b. c. d. — V. *feret.*

771. *Secura* etc. Refellit ab hoc inde versu ea, quae antea dixerat Pompeius a v. 754. ad 759. Ibi primum voluerat, eam tutam latere Lesbi. Respondet igitur hic: Quid? securane tibi videtur sors mea Lesbi, quae nihil aliud est, quam periisse iam, quia et te careo, et a rebus gerendis absum, in exilio, quasi iam omnia conciderint, quum tu tamen adhuc facias vota pro secundo rerum eventu, et possis facere, quia omnia in integro sunt. Ait se quasi iam periisse, nec quaquam securam dici posse Lesbi. Interpretes hic frustra fuere.

773. *malis*, i. e. hostibus, si tu occisus fueris. Quodsi tibi acciderit aliquid, mihi, absenti, parataeque tecum mori, vivendum tamen erit tamdiu, donec audiero te occidisse.

776. Accedit, ait, quod assuescis me quasi sic, te carere, ita ut timeam, me posse pati mortem tuam. *Adsuescere* pro *adsuefacere* v. Hor. Sat. I, 4, 105. et II, 2, 109. Gronovius malit: *asuesci*, contra omnes libros.

778. *Quodsi* etc. Quodsi victor evades.

782. Nec in victoria satis tuta ero a Caesare fugiente, qui me tamquam obsidem venabitur.

787. His respondet ad illa, quae Pompeius vs. 758. *Sit mihi, quo fugisse velim.*

Exsiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora. Non moesti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere:
Extremusque perit tam longi fructus amoris:
Praecipitantque suos luctus, [neuterque recedens
Sustinuit dixisse, vale] vitamque per omnem
Nulla fuit tam moesta dies. Nam cetera damna
Durata iam mente malis firmaque tulerunt.
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
Fertur ad aequoreas, ac se prosternit, arenas,
Litoraque ipsa tenet, tandemque illata carinae est.
Non sic infelix patriam portusque reliquit
Hesperios, saevi premerent quum Caesaris arma.
Fida comes Magni vadit duce sola relicto,
Pompeiumque fugit. Quae nox sibi proxima venit,
Insomnis. Viduo tum primum frigida lecto
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non haerente latus. Somno quam saepe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
Atque oblita fugae quaesivit nocte maritum!
Nam, flamma quamvis tacitas urgente medullas,

795. Inclusa ab Cortio, habent Ae. Ar. a. b. c. d. Aberant tamen ab uno cod. vetustissimo Cortii.

804. *vadit* — *fugit* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *vadis* — *fugis*.

805. *sibi* omnes. — V. *tibi*. Atque hic pronominis *sibi* usus caussa videtur fuisse mutationis; unde postea et praecedentia sunt immutata. Sed et *Fida comes Magni*, non ut appositio sed ut allocutio accepta, secundae personae reponendae ansam praebuerint. Quae si hic recte locum teneret, et in sequentibus obtinere debebat.

811. *flamma quamvis* C. — V. *quamvis flamma*. — *urgente* Ar.

791. *tormentaque*, vult statim secedere, quoniam semel sic statuerat maritus.

795. *neuterque* — *vale*, haec in omnibus edd. et plerisque codd. leguntur; abfuerunt a cd. Salmasii et Voss. 3. quare uncis inclusit Cortius, ob repetitum v. *sustinuit*.

800. Transpositio est, solita poetae. Construe: fertur ad aequoreas arenas, ibique se prosternit humum, et litora ipsa vult tenere manibus.

801. *tandemque illata carinae est.* In his puto finiisse librum Lucanum; reliqua appicta esse ab seriore aliquo. Arguunt v. 804. *vadit*, v. 805. *sibi*, 807. *frigida quies*, deinde illa inepta v. 811. *Nam flamma* etc. *Non iuvat* etc. Ut non dubitaverim, totum hunc locum includere, adiectum ab aliquo, cui nimis videretur abruptus finis in versu 801.

802. *Non sic;* nam ibi tamen una cum Pompeio est profecta; at nunc iam sine illo navigandum ei erat.

808. *non haerente*, non ei adhaerente.

811. Ad haec Schrevelius: „Licet ardenter amat, non tamen

Non iuvat in toto corpus iactare cubili:
Servatur pars illa tori. Caruisse timebat
Pompeio: sed non superi tam laeta parabant.
Instabat, miserae Magnum quae redderet hora.

Ae. C. a. b. c. d. — V. *urente.* — V. Ae. *tacitas.* — Ar. a. b. c. d. *tectas.* Ceterum locus videtur sensu idoneo destitutus. Sulpicius adnotat: Licet amore vexaretur, tamen non iactabat corpus per totum torum, ut amantes prae molestia consuevere, sed partem, tamquam si vir adesset, servabat intactam. Similiter Farnabius.

impatiens vacuo sua corpora lecto versat: sed pudibunda suam quasi praesenti viro adservat lecti partem.“ Cur autem non utrumque potuit fieri, ut et ardenter amaret, et in toto cubili corpus iactaret? Horum neutrum alterum excludebat, qualis exclusio tamen debet locum habere, ubicumque *quamvis* positum legitur. Ergo foetet locus; non enim cum logica concinit.

813. *Caruisse timebat.* Haec a proxime praecedentibus cogitatione sunt seiungenda. Sensus: timebat, se cariturам esse Pompeio neque umquam postea amplexuram. At hoc nimis laetum fuisset, quia melius perire quam fugere. Non caruit eo, sed recepit fugitivum, mox eius necem suis oculis inspectura.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER SEXTUS.

SUMMARIUM.

Caesar, frustra provocato ad pugnam Pompeio, ad Dyrrhachium tendit. — 14. *Pompeius iter ei praecludit.* — 18. *Describitur oppidi situs.* — 28. *Caesar obsidionem molitur, castellaque exstruit.* — 63. *Qua re animadversa, Pompeius facit eruptiones, ut distrahat Caesaris copias.* — 79. *Fames oritur et lues in Pompeii exercitu.* — 105. *Item fames in Caesaris.* — 117. *Pompeius castellum aliquod oppugnat, ac paene expugnasset, nisi defensum esset a Scaeva, forti viro, cuius egregie factum enarratur.* — 262. *Repulsus hac parte Pompeius alia castella aggreditur, capitque unum eorum.* — 289. *Caesar recipere illud conatur, sed frustra.* — 313. *Ergo in Thessaliam it, eoque eum sequitur Pompeius.* — 332. *Describitur Thessaliae situs.* — 412. *Uterque castra locant, copiis trepide rerum exitum spectantibus.* — 419. *Inter Pompeianos erat Sextus, Magni filius. Is, magicorum arcanorum studiosus, futura scire avens, spretis verioribus oraculis, veneficas Thessaliae adit.* — 434. *Quarum artes describuntur.* — 505. *Earum una Erichtho, reliquarum more spreto, urbes fugit, desertaque incolit, cadavera inquirens laceransque et ad suas artes adhibens.* — 569. *Ergo eam Sextus cum comitibus noctu investigat, invenitque sedentem et multam carmine caedem Thessaliae precantem.* — 588. *Alloquitur eam, rogatque, ut, quid futurum sit, ex mortuo aliquo se scientem faciat.* — 603. *Respondet illa, se facturam quod rogaverit.* — 628. *Ergo eligit sibi unum ex cadaveribus. Id unco pertrahitur ad caveam veneficae.* — 641. *Describitur locus, et ornatus Erichthus. Pavet Sextus.* — 658. *Confirmat eum Erichtho.* — 666. *Efficit illa, arte et carminibus, ut reviviscat cadaver.* — 761. *Jubet illud Erichtho fata eloqui.* — 774. *Ergo eloquitur, et infausta quidem et omnino Romanis et imprimis Pompeiis.* — 820. *Quo facto demum Erichtho, rogo incenso, cadaver mori patitur, Sextumque, ad castra redeuntem, comitatur.*

Postquam castra duces, pugnae iam mente propinqui,
Imposuere iugis, admotaque cominus arma,
Parque suum videri dei, capere omnia Caesar

3. *Par suum*, h. e. dignum infra de Scaeva v. 191. *Parque par*, quod spectarent dii. Sic *novum Fortuna videt* etc. Et

Moenia Graiorum spernit, Martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat.
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quae cuncta ferat. Placet alea fati
Alterutrum mersura caput. Ter collibus omnes
Explicuit turmas et signa minantia pugnam,
Testatus numquam Latiae se deesse ruinae.
Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,
Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii praeceps rapiendas tendit ad arces.
Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus,
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
Insedit castris, Ephyraeaque moenia servat,
Defendens tutam vel solis turribus urbem.
Non opus hanc veterum nec moles structa tuetur
Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis:
Sed munimen habet, nullo quassabile ferro,
Naturam sedemque loci. Nam clausa profundo
Undique praecipiti scopulisque vomentibus aequor,
Exiguo debet, quod non est insula, colli.
Terribiles ratibus sustentant moenia cautes,
Joniumque furens rapido quum tollitur Austro,
Templa domosque quatit, spumatque in culmina pontus.
Huc avidam belli rapuit spes improba mentem

29. *Huc* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *Hinc.* C. *Hic.*

Seneca in libro: Cur bonis viris mala fiant: *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo deus. Ecce par deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* — Non vult Caesar oppidis in Epiro expugnandis vacare, sed uni Pompeio proelio superando. Nullam victoriam, nisi de Pompeio, Fortunae debere vult.

10. quasi testatus, se semper promtum esse ad extinguendam remp. et libertatem Romanam.

14. *rapiendas*, expugnandas.

17. *Ephyraea moenia*, i. e. Dyrrhachium, conditum a Phalio Corinthio, testibus Thuc. et Strabone.

18. Dyrrhachium vel sine exercitu tuta erat urbs.

19. Neque tam operibus a veteribus exstructis defendebatur, quae plerumque aut vi aut vetustate collabuntur, quam loci natura.

24. *vomentibus*, allisos fluctus reiicientibus.

26. Cautes, quae terribiles sunt navibus, sust.

28. *in culmina* sc. aedium, tecta.

29. *Huc*, Sulpicius: „in hanc sententiam.“ Falso. Sensus: ad Dyrrhachium versus Caesarem rapuit spes, id agentem, ut etc.

Caesaris, ut vastis diffusum collibus hostem
Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis: nec cespite tantum
Contentus fragili subitos adtollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
Graiorumque domos, direptaque moenia transfert.
Exstruitur, quod non aries impellere saevus,
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Caesar
Ducit opus: pandit fossas, turritaque summis
Disponit castella iugis, magnoque recursu
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et silvas, vastaque feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Caesareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumque ut summa revisat,
Defessus Caesar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos adtollat fabula muros,
Adscribatque deis: fragili circumdata testa
Moenia mirentur refugi Babylonia Parthi.
En, quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eoae
Sufficit in regnum, subitum bellique tumultu
Raptum clausit opus. Tanti periere labores.
Tot potuere manus adiungere Seston Abydo,
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum,
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longae flexus donare Maleae,

40. *recursu* Ar. — V. *recessu*. Patet illud longe hoc esse praestantius.

30. Pro *diffusum* et Sulpitius legit et alii maluerunt *diffusus*.

34. *metallis*, lapicidinis.

38. *planumque* etc. Sulpicius: „aequum aggerem per altos montes extendit." Farnabius: „Editioribus locis deiectis, atque humilibus exaltatis aequavit opus." Sicque capio.

50. *refugi*, simulata fuga proeliari soliti.

51. In his et seqq. Farnabius intelligit solas urbes, nimirum ad Euphratem Babylonem, ad Orontem Antiochiam, denique Assyriorum Ninon. Atque sic et fere Sulpicius.

54. *raptum*, properatum. — *Tanti labores* sc. Caesaris. — *periere*, incassum sunt impensi; non enim cepit Pompeium. Melius igitur fuisset, eos utilioribus impendere.

56. *Phryxeum*, Hellespontum.

57. Hoc est: Isthmum perfodere.

58. Hoc est: abscindere a Peloponneso Maleum promontorium, ut facere voluit Xerxes monti Atho. Farnabius tamen hoc tam-

Aut aliquem mundi, quamvis natura negasset,
In melius mutare locum. Coit area belli:
Hic alitur sanguis terras fluxurus in omnes,
Hic et Thessalicae clades, Libycaeque tenentur.
Aestuat angusta rabies civilis arena.
Prima quidem surgens operum structura fefellit
Pompeium: veluti mediae qui tutus in arvis
Sicaniae rabidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga quum Tethys Rutupinaque litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primum vasto septas videt aggere terras,
Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra
Diversis spargit tumulis, ut Caesaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat:
Ac tantum septi vallo sibi vindicat agri,
Parva Mycenaeae quantum sacrata Dianae
Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma:
Quoque modo Romae praelapsus moenia Tibris
In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.
Classica nulla sonant, iniussaque tela vagantur:
Et fit saepe nefas, iaculum tentante lacerto.
Maior cura duces miscendis abstrahit armis.
Pompeium exhaustae praebenda ad pabula terrae,
Quae currens obtrivit eques, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger adtonsis sonipes defessus in arvis,
Advectos quum plena ferant praesepia culmos,

quam fructum accipit perfossi Isthmi, ne opus haberent nautae circumnavigare Peloponnesum. Maleum autem promontorium quinquaginta millibus passuum excurrit.

67. Ut, qui in Britannia versus Caledonios, i. e. Scotos degunt, non audiunt aestum maris saevientis adversus litus Rutupinum in Cantio.

74. Quantum Aricia distat ab Roma. Ariciae autem templum erat Dianae, cuius signum olim ab Oreste Mycenaeo ex Tauride in Graeciam fuerat reportatum.

76. Sensus: et quantum Roma distat ab ostio Tiberis, recta linea.

78. *iniussa*, nullo imperante, quia pugnam fieri noluit Pompeius. Inde etiam dicitur admissum esse *nefas* vs. seq. si quis exercitii caussa iaculum emitteret.

85. Locus impeditus. Mihi sensus videtur: quum nonnisi advectitiis culmis impleantur praesepia, illique non sufficiant equis alendis. Sulpicius: „hoc est, cum clausi intra praesepia paleis abundarent.“ Grotius: „sensus videtur esse, culmorum aridorum satis fuisse in praesepibus, sed ab equis desideratas herbas virides.“

Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
Corpora dum solvit tabes, et digerit artus,
Traxit iners coelum fluidae contagia pestis
Obscuram in nubem. Tali spiramine Nesis
Emittit stygium nebulosis aera saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, coeloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera coeno.
Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
Igneaque in vultus, et sacro fervida morbo
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Jam magis atque magis praeceps agit omnia fatum:
Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque,
Sed languor cum morte venit: turbaque cadentum
Aucta lues, dum mixta iacent incondita vivis
Corpora. Nam miseros ultra tentoria cives
Spargere funus erat. Tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aer,
Litoraque, et plenae peregrina messe carinae.
At liber terrae spatiosis collibus hostis
Aere non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur saevam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem. Nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus

88. *dum* C. d. — V. *tum*. Al. *cum*.

87. *Et tremulo* etc. h. e. concidit in cursu, trementibus cruribus.

88. *digerit* i. e. q. praecedens: solvit.

89. *iners coelum*, aer quietus. Vapor contagiosus, ex cadaveribus prorumpens in aerem ascendit, ibique nubem formavit.

90. *Nesis* insula in sinu Puteolano, de qua v. Plin. 19, 8, tetros vapores emittens.

91. Supple: talique spiramine *antra Typhonis*, i. e. antra Inarimes insulae, quibus substratus iacet Typhoeus.

93. *coeloque* etc. h. e. et aqua, quae facilius omne venenum ad se trahit eoque inficitur, quam aer, effecit ut laborarent viscera, coeno durata. — *duravit*, strinxit ventrem, ut non posset egerere.

95. Induratur cutis, et atrum induit colorem, eoque inflammantur oculi, *distenti*, h. e. tumidi, ita ut paene rumpantur.

96. Constr. Et pestis ignea fervensque sacro morbo in vultum abit, caputque fessum prae gravedine se non sustinet. Plane huc conferendus Seneca trag. in Oedipo, ubi pestis describitur. Sensus: exardescit vultus et fervet erysipelate morbo.

98. *praeceps fatum*, subita mors.

103. *funus erat* sc. sparsorum.

104. *pelagus et Aquilo*, quibus melior et salubrior reddebatur aer.

In pecudum cecidisse cibos, et carpere dumos,
Et foliis spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.
Quae mollire queunt flamma, quae frangere morsu,
Quaeque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis ante hoc incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompeio, cunctasque sibi permittere terras:
Non obscura petit latebrosae tempora noctis,
Et raptum furto, soceri cessantibus armis,
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quaerit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omnes gladios, et qua via caede paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui,
Quam Minuci castella vocant, et confraga densis
Arboribus dumeta tegunt. Huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad moenia venit.
Tot simul e campis Latiae fulsere volucres:
Tot cecinere tubae. Ne quid victoria ferro
Deberet, pavor adtonitos confecerat hostes.
Quod solum valuit virtus, iacuere peremti,
Debuerant quò stare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
Tum piceos volvunt immissae lampades ignes:
Tum quassae nutant turres, lapsumque minantur:

112. *Et foliis* Ar. b. Ae. — V. *Et morsu.*
116. *ante hoc* Ar. Ae. C. a. c. — V. *antehac.*
126. *Minuci* Ar. C. a. d. — V. *Minuti.* Ae. *Numici*, ut c.
135. *lampades* C. ex emendatione. — V. *lampadis.*

113. *dubias* sc. an salubres sint, an letales.

114. *queunt* sc. milites; qui tamen vs. 117. singulari ponuntur.

115. *abrasas*, duritie ciborum quasi laceratas.

126. Nimirum hunc Minutium eundem cum Scaeva nostro fuisse scribit Appianus. Unde quidam putarunt, eum vocatum esse Minutium Scaevam.

129. *Latiae volucres*, aquilae legionnm.

130. *Ne quid* etc. Tanta celeritate accessit Pompeius ad illud castellum, ut non posset pugna committi, quia praeter custodes, nullae aderant copiae Caesarianae. Qui autem aderant numero pauci, facile conficiebantur. Ceterum, etsi subito pavore attoniti erant, tamen eodem omnes ceciderunt loco, quo constiterant, telis Pompeianorum interemti, quorum quasi nimbus eos obruebat.

134. *tot tela*, i. e. tela innumera. — *peribat*, incassum immittebatur, quia iam nulli restabant hostes, qui possent interfici.

Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompeianae celsi super ardua valli
Exierant aquilae: iam mundi iura patebant.
Quem non mille simul turmis, nec Caesare toto
Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuitque capi: seque arma tenente,
Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
Scaeva viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem:
Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis
Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quaerentes socios iam Marte relicto
Tuta fugae cernit, *Quo vos pavor*, inquit, *abegit*
Impius et cunctis ignotus Caesaris armis?
[O famuli turpes, servum pecus, absque cruore]
Terga datis morti? Cumulo vos deesse virorum
Non pudet et bustis interque cadavera quaeri?
Non ira saltem iuvenes, pietate remota,
Stabitis? E cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi. Non parvo sanguine Magni
Ista dies ierit. Peterem felicior umbras
Caesaris in vultu. Testem hunc Fortuna negavit:
Pompeio laudante, cadam. Confringite tela
Pectoris incursu, iugulisque retundite ferrum.

139. *patebant* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *petebant.*
152. Versus legitur in Ar. Ae. c. d., abest ab a. et b.

139. *mundi iura patebant,* iam licuit egredi Pompeianis.

140. *Caesare toto,* toto exercitu Caesaris.

144. *castrorum* etc. gregarius fuerat miles Scaeva ante bellum Gallicum.

145. *sanguine multo*, multis fortiter factis.

146. *vitem*, insigne centurionis. Cf. Juven. Sat. VIII, 247. XIV, 195. — *longo ordine* sc. militum, centuriae.

149. *Marte,* pugna omissa desperantes.

153. *cumulo* etc. Nonne fortiter cadetis cum iis, qui iam hic occubuere, quo vestra etiam cadavera honesto busto conquirantur et comburantur?

154. Ad *et bustis* supplenda negatio, ex praec. *non pudet.*

155. *ira*, h. e. virtute bellica, ardore pugnandi, virili animo, Ehrgefühl. — *pietate* sc. in Caesarem.

158. Felicior essem, si liceret mihi oppetere, Caesare spectante.

160. *Confringite* etc. Obviam ite telis pectore vestro, occurrite ferro iugulis vestris. Similem exhortationem Vulteii vide IV, 475. sqq. Ibi vs. 561. *Percussum est pectore ferrum, Et iugulis pressere manum.*

Jam longinqua petit pulvis, sonitusque ruinae,
Securasque fragor concussit Caesaris aures.
Vincimus, o socii; veniet, qui vindicet arces,
Dum morimur. Movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succendunt classica cantu:
Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequuntur
Scituri iuvenes, numero deprensa locoque
An plus quam mortem virtus daret. Ille ruenti
Aggere consistit, primumque cadavera plenis
Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
Corporibus: totaeque viro dant tela ruinae:
Roboraque et moles hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, et valli summa tenentes
Amputat ense manus: caput obterit ossaque saxo,
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat: alterius flamma crinesque genasque
Succendit; strident oculis ardentibus ignes.
Ut primum, cumulo crescente, cadavera murum
Admovere solo: non segnior extulit illum
Saltus, et in medias iecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus et omni
Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.
Jamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
[Percussum Scaevae frangit, non vulnerat, hostem.]
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
Illum tota petit moles, illum omnia tela:
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix,
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum

187. Habent vs. Ar. Ae. b. c. d. — Abfuerat in a., subscriptus.
189. *petit* Ar Ae. a. — V. *premit.*

162. *pulvis longinqua petit*, pulvis ex castello surgens ex longinquo a Caesare animadvertitur.

169. *plus*, sc. victoriam. An fieri posset, ut vinceret.

173. *seque; minatur*, se ipsum sese deiecturum.

177. *compage*, i. e. galea.

178. *flamma*, teda.

181. *Admovere solo*, h. e. solum admovere muro, aequavere. — *non segnior*, ea celeritate cum armis suis insiluit in hostes, qua pardus per venabula transsilit.

184. *cuneos*, hostium globos.

186. *mucro*, gladius. — *non asper*, obtusus factus.

187. *Scaevae* sc. mucro. — *percussum* sc. hostem.

188. Mucro perdidit usum gladii, non secuit, sed fregit.

191. *Par novum*, ut *Par suum* supra vs. 3. — *bellum*, univer-

Atque virum. Fortis crebris sonat ictibus umbo,
Et galeae fragmenta cavae compressa perurunt
Tempora: nec quidquam nudis vitalibus obstat
Jam, praeter stantes in summis ossibus hastas.
Quid nunc, vesani, iaculis levibusque sagittis
Perditis haesuros numquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
Hunc aries ferro ballistaque limine portae
Summoveat. Stat non fragilis pro Caesare murus,
Pompeiumque tenet. Jam pectora non tegit armis,
Ac veritus credi clypeo, laevaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,
Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.
[Par pelagi monstris. Libycae sic bellua terrae,]
Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, et haerentes mota cute discutit hastas:
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixae stant tela ferae: tot facta sagittis,
Tot iaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictaea procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scaevam, quae vôto certior omni
In caput atque oculi laevum descendit in orbem.

207. Habent Ar. Ae. a. b. c. d.
208. Sic C. Ar. d. c. — V. Ae. *Getulus densis.*

sum adversariorum exercitum cum viro uno.

193. *compressa* sc. tempora. — *perurunt*, conterunt.

194. *vitalibus*, h. e. iis partibus, in quibus est vita summa, praecordiis, femore, iugulo, cerebro.

195. *hastas*; hastae enim ab hostibus ei immissae et ossibus eius infixae, solae paene corpus eius protegebant.

202. *tenet*, retinet ne erumpat.

203. *credi cl.* clypeo se protexisse, quum potius laeva quoque pugnare deberet.

205. *silvam* sc. telorum.

207. *pelagi monstris par*, i. e. similis. Balaenae enim se immittentes navibus, eas deprimunt; atque sic int. Farnabius. Sulpicius contra: „par cetis, in quorum tergis frutices et arbores oriuntur. Eminent enim supra mare in formam scopulorum.“ Quam certe interpretationem sequentia firmare videntur.

209. *squalenti tergo*, duro. Elephas frangit omne missile tergo squalenti, h. e. facit ut incassum immissa sint. Mota enim cute discutit ea.

211. *citra cruorem*, ita ut non ad cruorem usque penetrent. Cf. IV, 728.

213. *unam* etc. unum hominem non possunt conficere.

Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,
Adfixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa,
Quum iaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, et secum fugientem circuit hastam.
Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
Informis facies: laetus fragor aethera pulsat
Victorum: maiora viris e sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Caesare vulnus.
Ille, tegens alta suppressum mente dolorem,
Mitis et a vultu penitus virtute remota,
Parcite, ait, *cives: procul hinc avertite bellum.*
Collatura meae nil sunt iam vulnera morti:
Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
Tollite et in Magni viventem ponite castris:
Hoc vestro praestate duci: sit Scaeva relicti
Caesaris exemplum potius, quam mortis honestae.
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus,
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem:
Membraque captivi pariter laturus, et arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
Incaluit virtus: atque una caede refectus
Solvat, ait, *poenas*, *Scaevam quicumque subactum*
Speravit: pacem gladio si quaerit ab isto
Magnus, *adorato submittat Caesare signa.*
An similem vestri, segnemque ad fata putastis?
Pompeii vobis minor est caussaeque senatus,

226. e Ar. C. a. c. d. — V. *de.*
230. *bellum* C. c. — V. *ferrum.*

217. *moras ferri*, eruit una cum oculo ferrum, ne eo impediatur in pugnando.

223. *Ursa impetit telum*, circueundo conatur telum ore apprehendere. At hasta quoniam una cum ursa circumfertur, apprehendi ab illa nequit.

224. *rabies vultum perdiderat*, i. e. q. virtus fortitudoque Scaevae, in eruendo cum telo oculo conspicua, vultum eius omnem corruperat.

226. *parvo*, quatenus parum est plerumque quod erumpit ex vulnere.

229. *virtute remota;* fingit se mitem, fingit remisisse virtutem iramque bellicam.

234. *relicti;* fingit simulatque se transfugam; quasi dicat: ut alii quoque meum exemplum imitati ad vos transfugiant.

236. *Aulus*, unus e Pompeianis ducibus.

242. *isto* sc. meo, Scaevae.

Quam mihi mortis amor. Simul haec effatur, et altus
Caesareas pulvis testatur adesse cohortes.
Dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
Ne solum totae fugerent te, Scaeva, catervae:
Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso
Vires pugna dabat. Labentem turba suorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet:
Ac veluti inclusum perfosso in pectore numen
Et vivam magnae speciem virtutis adorant:
Telaque confixis certant evellere membris,
Exornantque deos, ac nudum pectore Martem
Armis, Scaeva, tuis: felix hoc nomine famae,
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu laetis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus
Intra claustra piger, dilato Marte, quievit,
Quam mare lassatur, quum se tollentibus Euris
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini Martis rapit: armaque late
Spargit, et effuso laxat tentoria campo:

246. *effatur* C. Ae. a. c. d. — V. *effatus*.

248. *Dedecus* etc. Caesar adventu suo effecit, ne ab solo Scaeva Pompeius repelleretur.

250. *Subducto* etc. Scaeva, ait, corruit, simul ac Pompeii copiae recedebant, a Caesare repulsae. Etenim dum pugnaverat, ipsa pugna vires ei addiderat.

253. Similem huic locum vide VIII, 864.

256. *deos*, quorum erant in castello imagines positae, ut int. Sulpicius. Idem ad *nudum pectore Martem* adnotat: Martis simulacrum, quod nudaverant.

257. *felix* etc. h. e. tu, Scaeva, vere felix fuisses praedicandus, si Iberos aut Teutones devicisses. Tibi vero non licuit triumphare. Pugnavisti enim pro dominatione unius Caesaris.

264. *dilato Marte*, pugna procrastinata belloque.

267. *adest*, h. e. adedit, abradit, contundit, minuit. — *seramque*, h. e. cum unda sibi seram ruinam parat, h. e. sero demum concidit. Sulpicius tamen ruinam montis intelligit. Cf. vs. 348.

268. Pompeius a Minutii castello repulsus, se convertit ad castella mari vicina, eaque expugnat *gemini Martis incursu*, h. e. terra marique oppugnando.

270. *spargit*, h. e. in liberum campum emittit, ibique castra ponit.

Mutandaeque iuvat permissa licentia terrae.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, et totos concutit agros:
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
Undarum non passa ruit, tum flumine toto
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Pado. Vix proelia Caesar
Senserat, elatus specula quae prodidit ignis.
Invenit impulsos presso iam pulvere muros:
Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinae,
Accendit pax ipsa loci, movitque furorem
Pompeiana quies et, victo Caesare, somnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
Torquato ruit inde minax: qui Caesaris arma
Segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circaeae subducit vela procellae:
Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
    Transierat primi Caesar munimina valli,
Quum super e totis emisit collibus agmen,
Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
Non sic Aetnaeis habitans in vallibus horret
Enceladum, spirante Noto, quum tota cavernas

271. *iuvat*, delectat eum.

275. *ruit*, corruit, sc. tellus.

277. Flumine alveum mutante, trans fluvium habitantibus addantur agri, cis habitantibus demuntur.

280. *impulsos*, expugnatos. — *presso*, depresso, sedato iam.

283. *somnus* sc. Pompeii. Quiescebat enim, victo Caesare.

285. Minatur Caesar accurrens *Torquato*; is enim praepositus erat isti castello a Pompeio. Torquatus autem contrahit copias suas, quo melius iis contra Caesarem utatur. — *qui Caesaris* etc. Sulpicius: „qui Caesare viso intra murum interiorem suos metu retraxit.“ Idem ad verba: *Segnius haud vidit* haec adnotat: „non minus diligenter prospexit. Litotes.“ Ego hunc sensum puto esse: Qui [illegible] vidit Caesaris arma, haud segnius Martem suum subduxit, quam nauta subducit vela *Circaeae procellae*, h. e. tempestati ad Circaeum sibi promontorium imminente.

292. *obseptum*, videlicet ab ipso Pompeio et a Torquato.

293. Non aliter metuit Caesar Pompeium, quam solent Catinenses metuere, quum Aetna flammam emittit.

294. *Enceladum*, quem credebant efficere incendia Aetnae. — *spirante Noto*, nam vento intra cavernas furente, incendium moveri credebatur. — *quum tota* etc. Constructio est: cum Aetna tota cavernas egerit, in camposque torrens defluit. *Aetna egerit tota cavernas* i. e. q. Aetna egerit totas cavernas, per hypallagen. — *torrens* adiectivum est

Egerit, et torrens in campos defluit Aetna:
Caesaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, caeci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. Totus mitti civilibus armis
Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furentes
Dux tenuit gladios. Felix ac libera legum,
Roma, fores iurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sulla loco. Dolet heu semperque dolebit,
Quod scelerum, Caesar, prodest tibi summa tuorum,
Cum genero pugnasse pio. Pro tristia fata!
Non Uticae Libye clades, Hispania Mundae
Flesset, et infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
Poenorumque umbras placasset sanguine fuso
Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.
Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:
Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.
Deserit adverso possessam numine sedem
Caesar, et Emathias lacero petit agmine terras.

301. a. *regum*. Al. *rerum*. V. *legum*.

ad v. *Aetna*, quia incendio et eruptione quasi tota Aetna fit torrens igneus.

296. *glomerato pulvere*, supple: viso, qui surgebat sub pedibus advenientium Pompeianorum.

297. *victus ante aciem*, h. e. antequam pugnatum esset.

298. *fugiens* sc. a castello, ne utrinque includeretur. — *hostibus*, Pompeianis ingruentibus.

299. *Totus cruor mitti potuit civilibus armis vel in pacem usque* i. e. q. Hoc in loco debellari totusque reliquus cruor remitti potuisset bello civili, adeo ut pax facta esset, nisi ipse Pompeius furentes suorum gladios continuisset.

301. *libera legum*. Ita Silius: *It liber campi pastor*. Plaut. Amph. prol. 105. *liber harum rerum*.

303. *si tibi Sylla vicisset*, h. e. si pro Pompeio Sylla dux exercitus tui fuisset. Is enim ea victoria usus fuisset ad debellandum.

304. *summa tuorum scelerum*, h. e. summum tuum scelus.

307. Ad copulam *et* supplenda negatio, ut sit pro: nec Aegyptus nobilius tulisset cadaver rege Aegyptiaco, h. e. Ptolemaeo. — *sanguine* sc. Pompeii.

309. Juba enim et Petreius, ne in manus hostium inciderent, invicem sese interemerunt.

311. *Scipio*, Pompeii socer, penes quem in Africa reliquiarum Pharsaliae et imperii summa erat. Is ferro suo traiectus et in mare praecipitatus, inferias retulit Hannibali etc.

313. *Exire*, excipi, eximi e serie fatorum, quae iam in cursu erant.

314. *Deserit* etc. Discedit Caesar a Dyrrhachio, et in Thessaliam cum exercitu abit.

Arma secuturum soceri, quacumque fugasset,
Tentavere suo comites divertere Magnum
Hortatu: patrias sedes atque hoste carentem
Ausoniam peteret. *Numquam me Caesaris*, inquit,
Exemplo reddam patriae, numquamque videbit
Me nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. Dum bella relegem,
Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,
Ardentesque plagas. Victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te proelia, fugi?
Ah potius, bello ne quid patiaris in isto,
Te Caesar putet esse suam. Sic fatus, in ortus
Phoebeos convertit iter, terraeque secutus
Devia, qua vastos aperit Candavia saltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.
Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis
Adtollit Titan, rupes Ossaea coercet.
Quum per summa poli Phoebum trahit altior aestas.
Pelion opponit radiis nascentibus umbras.
At medios ignes coeli, rabidique Leonis
Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.
Excipit adversos Zephyros et Japyga Pindus.
Et maturato praecidit vespere lucem.
Nec metuens imi Borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.

318. *suo hortatu* Ar. Ae. C. c. d. — V. *sui* — *hortati.*
328. *bello ne quid* Ae. C. c. — V. *ne quid bello.*

319. *Numquam* etc. Non ego, uti Caesar fecit, armatus cum exercitu ingrediar Romam.

322. *motu*, bello civili oriente.

324. *Dum bella r.*, dum arceam bella ab urbe.

328. *in isto*, in hoc.

331. *Candavia* mons est Illyricum a Macedonia disterminans.

333. *qua parte* etc. h. e. ab Oriente brumali Ossa situs Thessaliae.

335. *Cum per* etc. h. e. ab Oriente aestivo Peli-

336. Pelion *nascentibus* opponit umbras. Situs ergo est Pelion ab Ossa ad Septentrionem versus.

337. Ad meridiem situs est mons Othrys.

339. Ab Occasu situs Pindus.

340. *praecidit*, citius enim occidit sol, quum pone montem occidit; atque ita fit, ut maturetur vesper.

341. *Nec m.* Et illi, qui ad radicem montis Olympi in Thessalia habitant, non metuunt Borean, nec adspiciunt Ho- ... Cynosuram lucentes tebus.

Hos inter montes, media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri,
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelagi; stagnumque implentibus unum
Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo
Herculea gravis Ossa manu, subitaeque ruinam
Sensit aquae Nereus: melius mansura sub undis,
Emathis aequorei regnum Pharsalos Achillis
Eminet, et, prima Rhoeteia litora pinu
Quae tetigit, Phylace, Pteleosque, et Dorion ira
Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandae
Lampados Herculeis fortis Meliboea pharetris:
Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exsul
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa, quod hoc solum nato rapuisset, Agave.
    Ergo abrupta palus multos discessit in amnes.
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Aeas
Jonio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avectae pater Isidis, et tuus, Oeneu,

346. *pelagi* Ar. Ae. C. a. b. c. — V. *pelago*. — *unum* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *undis*.

343. *premuntur*, depressiores sunt.

346. *stagnumque* etc. et undis, quae stagnum implebant, nonnisi eatenus cursus erat, ut crescerent, h. e. aquae, ubi in stagnum devenerant, non currebant amplius, sed crescebant tantum.

347. *Postquam* etc. Postquam Hercules Ossam Olympo separavit. — *gravis* adiectum Ossae, ad ostendendam difficultatem operis.

348. *ruinam*, h. e. impetum irruentis in mare aquae. Cf. v. 267.

349. *melius*, quae (sc. Pharsalus) si sub undis mansisset, melius fuisset.

350. *aequorei*, quippe nati ex dea maris.

351. *prima*, ex Phylace enim Protesilaus, qui primus appulit ad litus Troianum.

352. *Dorion*, unde Thamyris.

353. *pretioque* etc. Meliboea, urbs litoralis Magnesiae propinqua Thessaliae, patria Philoctetae, quem Hercules donavit sagittis, incensae ab eo in Oeta pyrae pretio.

356. *Thebas* sc. Phthioticas.

357. *ubi qu.* ubi quondam Agave exul, (h. e. profuga ex urbe sua, postquam cognoverat, quae egerit,) colla Penthei filii sui in rogo combussit, questa, haec solum sibi de filio restare, quia cetera membra discerpta erant a Bacchis.

361. *Aeas* limpidus et modico flumine in mare Jonium influit.

362. *nec fortior*, Inachus pater Jus a Jove in vaccam mutatae, et in Aegyptum avectae, ibique sibi redditae. Io enim eandem cum Iside crediderunt veteres Romani. Cf. Ov. Met. et Juven. XII, 28.

363. *et tuus*, Achelous, cui

Paene gener crassis oblimat Echinadas undis:
Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Euenos Calydona secat. Ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas: et flumine puro
Irrigat Amphrysos famulantis pascua Phoebi;
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aera, nec tenues ventos suspirat, Anauros;
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas: it gurgite rapto
Apidanos: nunquamque celer, nisi mixtus, Enipeus.
Accipit Asopos cursus, Phoenixque, Melasque.
Solus in alterius nomen quum venerit undae,
Defendit Titaresos aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et, capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superumque sibi servare timorem.
Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Boebicio discessit vomere sulcus:
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.
Aeolidae Dolopesque solum fregere coloni,
Et Magnetes equis, Minyae gens cognita remis.
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Foeta Pelethroniis nubes effudit in antris:

desponsata fuerat Deianira, filia Oenei, Herculi postea nupta. Achelous autem turbidus, limo suo auget insulas Echinadas in ora Aetolica sitas.

365. Et Evenos fl. (iuxta quem Nessus Centaurus ab Hercule caesus fuit) per Calydoniam Meleagro olim regnatam labitur.

366. *ferit*, Sperchius in Maliacum sinum influit.

370. *non suspirat*, Anauros enim nullas nebulas exhalare credebatur, nec auras spirare, ut faciunt fluvii. Atque hinc ei et nomen ex ἄνευ et αὔρα.

371. *per se non cognitus*, quippe non ipse sub nomine suo influens, sed per Peneum.

372. *it gurgite r.* Apidanus celeri flumine profluit
eo iunctus Enipeus

coniunctionem minime celeri cursu fluit.

375. *Solus*, Titaresus in Peneum influit, non tamen commiscet suas cum Peneo undas, sed superne labens, undis Penei quasi alveo utitur. Fama autem erat, Titaresum ex Styge oriri, et idcirco nolle se miscere Peneo, tamquam viliori flumini.

379. *capitis* h. e. ortus sui.

380. *timorem superum*, h. e. velle eum, se tum quoque a superis timeri, postquam ex Acheronte prodierit.

382. *Boebicio*, a Boebe, oppido Thessaliae. Cf. VII, 176. Ov. Met. VII, 231.

383. *Leleges*, Thessaliae populus.

[illegible] *amnis* sc. cogniti s. clari.
[illegible]thronium mons Thes-

Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa,
Teque sub Oetaeo torquentem vertice vulsas,
Rhoete ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos:
Hospes et Alcidae magni, Phole: teque per amnem
Improbe Lernaeas vector passure sagittas:
Teque senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Aemonio maiorem Scorpion arcu.
Hac tellure feri micuerunt semina Martis.
Primus ab aequorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiluit; primus chalybem fraenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis.
Prima fretum scindens Pagasaeo litore pinus
Terrenum ignotas hominem proiecit in undas.
Primus Thessalicae rector telluris Itonos
In formam calidae percussit pondera massae,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit et immensis coxit fornacibus aera.
Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est. Hinc maxima serpens
Descendit Python, Cyrrhaeaque fluxit in arva:
Unde et Thessalicae veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem superis immisit Aloeus,
Inseruit celsis prope se quum Pelion astris,

390. *Rhoete* Ar. Ae. C. b. d. — V. *Rhoece.*
408. *arva* C. a. c. — V. *antra.*

saliae, ubi orti Centauri, Ixionis ex nube filii.

388. *te* sc. effudit nubes. Nam Monychus nomen Centauri. — *frangentem* sc. ungula, h. e. percurrentem saxa Pholoes montis.

389. *teque*, Rhoete, (is item Centaurus) qui sub Oetae montis vertice torques ornos evulsas, quas vix Boreas everteret. Evellit autem, ut iaculetur. Cf. Juven. I, 11. *quantas iaculetur Monychus ornos.*

392. *Improbe* sc. Nesse. — *vector*, sc. Deianirae.

394. *maiorem*, Scorpius enim duorum olim signorum spatium occupabat.

396. Ex hac terra prima omnium bellorum elementa ortum duxerunt. Ibi enim equus natus.

398. Ibi frena inventa. Cf. Virg. Georg. III, 116.

400. Ibi prima navis exstructa; cf. III, 193. — *Pagasaeo*, Pagasae oppidum ad oram maritimam in Thessalia situm.

402. *Itonus*, Thessaliae rex, Deucalionis filius.

406. *Illic* orta est pecunia.

409. Nam cum celebrabantur Pythia, templum Delphicum non Delphica, sed Thessalica lauru ornabatur.

410. Aloei filii, Otus et Ephialtes, gigantibus opem ferentes, Pelio Ossam imposuere.

Sideribusque vias incurrens abstulit Ossa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Castra duces, cunctos belli praesaga futuri
Mens agitat, summique gravem discriminis horam
Adventare palam est. Propius iam fata moveri,
Degeneres trepidant animi, peioraque versant.
Ad dubios pauci, praesumto robore, casus
Spemque metumque ferunt. Turbae sed mixtus ine
Sextus erat, Magno proles indigna parente,
Qui mox, Scyllaeis exsul grassatus in undis,
Polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati praenoscere cursus,
Impatiensque morae, venturisque omnibus aeger,
Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
Nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix
Aere Jovis Dodona sonet, quis noscere fibrâ
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura coeli
Servet, et Assyria scrutetur sidera cura,
Aut si quid tacitum, sed fas, erat. Ille supernis
Detestanda deis saevorum arcana magorum
Noverat, et tristes sacris feralibus aras,
Umbrarum Ditisque fidem: miseroque liquebat,

412. *incurrens* Ar. Ae. a. d. — V. *incumbens*.
427. *aere* C. a. b. — V. *ore*.
432. *Noverat* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *Moverat*.

412. *abstulit vias*, altitudine sua impedivit sidera, quominus currerent.

414. *cunctos* sc. Pompeianos Caesarianosque spesque metusque agitat.

417. *degeneres* h. e. qui pavidiores sunt. — *peiora*, pessima quaeque exspectant.

418. *praesumto robore*, fortitudinem animi potius quam metum sibi sumentes.

419. *ferunt*, adferunt. — *spemque metumque;* degeneres enim illi nil nisi metum afferebant.

422. *triumphos* sc. patris sui. Sextus enim, cum fuga evasisset ex clade Mundana, diu latuit; Augusti dein temporibus Siciliam et Sardiniam occupavit, et cum Augusto proelio maritimo certavit, vict Asiam fugit.

424. *morae*, non potui ctare futura, donec e — *aeger*, anxius, sollici

426. *primis frugibus al dona*, silva enim Dodona dibus nobilis erat, quibu bantur primi homines ventas fruges.

427. *quis* sc. aruspex. e fibra.

430. *tacitum*, si qua cita divinatio, sed hon geomantia, astrologia et cina, quae per signa e voce significant.

432. *Noverat*, scienti paraverat. Male Grotius rat.

433. *liquebat*, credeb Sextus, Superos parum

Scire parum superos. Vanum saevumque furorem
Adiuvat ipse locus, vicinaque moenia castris
Haemonidum, ficti quas nulla licentia monstri
Transierit, quarum, quidquid non creditur, ars est.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
Arcanum ferale Magos. Ibi plurima surgunt
Vim factura deis: et terris hospita Colchis
Legit in Haemoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
Coelicolum dirae convertunt carmina gentis.
Una per aethereos exit vox illa recessus,
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli coelique volubilis umquam
Avocat. Infandum tetigit quum sidera murmur,
Tunc, Babylon Persea licet secretaque Memphis
Omne vetustorum solvat penetrale Magorum,
Abducit superos alienis Thessalis aris.
  Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque severi
Illicitis arsere senes. Nec noxia tantum

437. *Transierit* C. et pro var. l. a. — V. *Transierat.*

435. *vicinaque m.* Pharsalicis campis vicinae urbes Thessalicarum mulierum veneficiis et incantamentis famosarum.

437. *transierit*, Sulpicius: „quae sciebant facere, quidquid fingi potest, et omnia incredibilia.“ Farnabius: „Quarum artes nihil tam licenter fingitur quod superet. Quarum artes incredibilia efficiunt.“ Bene addit Sulp. ad verba: *quarum ars est:* „quam profitentur.“

439. *sensuraque*, Thessala tellus saxa habet, quae sentiunt magos canentes *arcanum ferale* h. e. secretum et infernale carmen.

440. *surgunt*, proveniunt.

441. *hospita Colchis*, Medea Colchica.

443. *tot* i. e. q. multis.

447. *quod non* etc. numen quod numquam avocat cura poli coelique, sc. quin adsit sagis Thessalicis. Omittit curam poli coelique, et adest vocatum Thessalis.

449. Tunc, licet Babylonici magi et Aegyptii sacerdotes omnes artes suas adhibeant, quibus ad se vocent superos, Thessalis tamen omnes deos ab omnibus aris ad se devocat.

453. *Non fatis adductus*, contra naturam et aetatem

454. *Nec noxia.* Neque solum hoc medicamentis efficitur, aut eo, quod carunculam ex fronte equi recens nati abreptam adhibuerint, sed sana mens vel solis excantationibus perit. — Illam carunculam nisi mater equi statim voraverit, foetum non alere credebatur. Eam ob rem dicit: *amaturae*, quia eo efficitur ut amet foeta pullum suum; ideoque et *pignus* vocatur illa caruncula, seu hippomanes illud. Cf. Virg. Aen. IV, 515. — *subducunt*, subtrahunt foetae, subripiunt.

Pocula proficiunt: aut quum turgentia succo
Frontis amaturae subducunt pignora fetae.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. Quos non concordia mixti
Adligat ulla tori, blandaeque potentia formae,
Traxerunt torti magica vertigine fili.
Cessavere vices rerum: dilataque longa
Haesit nocte dies. Legi non paruit aether:
Torpuit et praeceps audito carmine mundus:
Axibus et rapidis impulsos Juppiter urgens
Miratur non ire polos. Nunc omnia complent
Imbribus, et calido producunt nubila Phoebo:
Et tonat ignaro coelum Jove. Vocibus isdem
Humentes late nebulas nimbosque solutis
Excussere comis. Ventis cessantibus, aequor
Intumuit: rursus vetitum sentire procellas
Conticuit, turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus. De rupe pependit
Abscisa fixus torrens: amnisque cucurrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit aestas:
Maeander direxit aquas: Rhodanumque morantem
Praecipitavit Arar: submisso vertice montes

455. *proficiunt* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *perficiunt.*
466. Nostri omnes: *producunt.* C. *praeducunt.*
473. *Abscisa* C. b. d. c. — V. *Abscissa.*

457. *Mens* sc. amatoris corrumpitur etiam nullis poculis, sed solis carminibus.

460. *fili*, rhombus, vertigo magica, girgillo, cui filum involvebatur. Cf. Prop. II, 28. 35. Virg. Ecl. VIII, 73. et 78.

462. *legi* sc. naturae.

463. *torpuit*, stetit immotum coelum, non movit coelum sidera.

464. *impulsos*, h. e. miratur Jupiter non ire polos, antea axibus rapidis impulsos, h. e. celeriter motos. Cf. vs. 479. — *urgens*, promovens, impellens.

468. *solutis excussere comis*, passo capillo vagantes producunt.

471. *turbante* h. e. quamquam impellente Noto. — *puppimque* etc. contra ventum adversum plenis velis ferantur naves.

472. *de rupe* etc. Sistitur fluvius de monte decurrens.

473. *abscisa*, praerupta.

474. *non qua pronus erat*, ergo in contrariam partem, sursum fluebat. — *Nilum* etc. Nilus, solitus in aestivo solstitio Aegyptum inundare, cessavit hoc facere, inhibitus carminibus magarum.

475. *direxit*, erectus fluxit, non per ambages solitas. — Rhodanus citus, Arar lentus alias, mutati sunt carminibus, ut ille tardaret cursum, hic praecipitaret.

476. Montes submittebant verticem suum, et iugum suum explicabant, h. e. prosternebant iuga sua, ut planities existeret.

Explicuere iugum. Nubes suspexit Olympus:
Solibus et nullis Scythicae, quum bruma rigeret,
Dimaduere nives. Impulsam sidere Tethyn
Repulit Haemonidum, defenso litore, carmen.
Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens nisu titubavit in orbem.
Tantae molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitumque nocere,
Et pavet Haemonias, et mortibus instruit artes.
Has avidae tigres et nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt, abrupto corpore, nodi:
Humanoque cadit serpens adflata veneno.
  Quis labor hic superis, cantus herbasque sequendi,
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obstrictos habuere deos? Parere necesse est,
An iuvat? Ignota tantum pietate merentur,
An tacitis valuere minis? Hoc iuris in omnes
Est illis superos, an habent haec carmina certum
Imperiosa deum, qui mundum cogere, quidquid
Cogitur ipse, potest? Illic et sidera primum
Praecipiti deducta polo: Phoebeque serena
Non aliter, diris verborum obsessa venenis,
Palluit, et nigris terrenisque ignibus arsit,

482. *titubavit nisus* Ar. C. b. c. d. — V. *nisu titubavit.*
499. *Illic* C. a. b. c. — V. *Illis.*

Explicare enim est: prosternere. Cf. IV, 629.

477. *suspexit*, demissior fuit nubibus.

479. *impulsam sidere*, mare, luna et sideribus tempestuosis saevire solitum, inhibetur carminibus et a litore arcetur.

481. Terrae motus excitatus est.

482. *Terra titubavit nisu in medium orbem vergens*, i. e. in centro concussa est.

483. Terra aperta est in medio centro, ut aspici per eam coelum inferius posset.

486. et timet magas, et earum artes adiuvat veneno suo.

490. Viperae disscissae carmine earum rursus conglutinantur.

491. *humano*, videlicet sagarum illarum.

492. Quaerit poeta, quae caussa sit, quare superi hunc laborem subeant, ut cantus herbasque sequantur, timeantque tales incantationes spernere. An pacto hoc fiat, an necessitate, an quia hoc delectet deos?

495. An magae illae ignota aliqua pietate nescio qua merentur, ut dii sibi pareant?

498. *quidquid cogitur ipse* sc. incantationibus istis.

499. *illis*, carminibus, vs. 497.

Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis coelestibus umbras:
Et patitur tantos cantu deprensa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, haec dirae carmina gentis
Effera damnarat nimiae pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
Illi namque nefas urbis submittere tecto
Aut laribus ferale caput: desertaque busta
Incolit, et tumulos expulsis obtinet umbris,
Grata deis erebi. Coetus audire silentum,
Nosse domos Stygias arcanaque Ditis operti,
Non superi, non vita vetat. Tenet ora profanae
Foeda situ macies, coeloque ignota sereno
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. Si nimbus et atrae
Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat.
Semina foecundae segetis calcata perussit,
Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec superos orat, nec cantu supplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litantes
Novit: funereas aris imponere flammas
Gaudet, et accenso rapuit quae tura sepulcro.
Omne nefas superi prima iam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum.
Viventes animas, et adhuc sua membra regentes,

505. *deprensa* Ar. Ae. C. — V. *depressa.*

503. *fraterna*, Phoebi illustratione.

505. *deprensa*, adstricta, coacta. Alii leg. *depressa*, atque hinc seq. *propior*, h. e. propinquior.

506. *despumet*, spumam immittat in herbas, qua corrumpantur, et veneficiis aptae reddantur. Hoc enim volunt efficere veneficae illae.

508. *Erichtho* nomen desumtum ex Ovidio, Heroid. Sapphus: *ut quam furialis Erichtho Impulit.* Significatus nominis terrae notionem involvit, ut et Erichthonii. Erichtho igitur reliquarum Thessalarum ritus nimis adhuc pios esse censuit.

509. *pollutam artem*, necromantiam.

515. *non vita vetat*, non impedit, quod vivit adhuc Erichtho, quin arcana illa norit. — *profanae* sc. Erichthus.

519. *nudis*, vacuis, quibus umbras expulerat, ut expl. Farnabius. Et Sulp. „sine cadaveribus.

524. *litantes*, quibus superi placantur.

529. *Viventes animas* i. e. q. homines adhuc viventes, ut Canidia facit puero apud Horatium.

Infodit busto: fatis debentibus annos
Mors invita subit: perversa funera pompa
Retulit a tumulis: fugere cadavera letum.
Fumantes iuvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres et olentes membra favillas.
Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullae
Corpora; tunc omnes avide desaevit in artus,
Immersitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodisse orbes, et siccae pallida rodit
Excrementa manus: laqueum nodosque nocentes
Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis
Vulsit, et incoctas admisso sole medullas.
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.
Et quodcumque iacet nuda tellure cadaver,
Ante feras volucresque sedet: nec carpere membra
Vult ferro manibusque suis, morsusque luporum

550. Sic Ar. Ae. C. a. b. d. — V. *quacunque* — *nudum*.

530. *fatis* etc. Mors invita subit, quamquam fata longiores annos debeant.

531. *perversa* etc. carmine illa mortuum in vitam revocavit, effecitque, ut pompa funebris domum reverteretur.

536. *Feralis tori*, i. e. feretri, vestium et membrorum reliquias semiustas.

538. Quod si quando incidat in corpora non cremata sed Orientalium more condita. — *servantur* sc. corpora. — *intimus humor* etc. i. e. cruor educitur ex corpore.

539. *et tracta*, et quibus medullae durescunt, *tracta tabe*, h. e. extracta sanie, ut supra *ducitur* pro *educitur*.

542. *orbes*, oculorum.

543. *excrementa*, unguium sordes et praesegmina, quae in mortuo crescunt, ut et capilli. — *laqueum* sc. strangulati alicuius. — *nocentes*. Alii leg. *nocentis*, h. e. suspensi alicuius. Sed potest et accusativus per hypallagen eodem sensu accipi.

545. *nimbis*, carnem quae diu fuerat exposita ventis et pluviis.

546. *incoctas*, duratas sole, cui expositae fuerant.

547. *Insertum manibus chalybem*, clavum ferreum, quo fixi fuerant, qui in cruce pendebant. Plane similia Apuleius de Thessalis libro II. refert.

549. *nervo retinente morsus pependit*, et cum non posset auferre, quod momorderat, impedientibus nervis, suspendit se dentibus, ut avelleret.

552. *morsusque*, sed exspectat morsus luporum, quibus ex faucibus eripiat.

Exspectat, siccis raptura a faucibus artus.
[Nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat iugulo qui primus aperto.]
Nec refugit caedes, vivum si sacra cruorem,
Extaque funereae poscunt trepidantia mensae.
Vulnere sic ventris, non, qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quoties saevis opus est ac fortibus umbris,
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
Illa genae florem primaevo corpore vulsit,
Illa comam laeva morienti abscidit ephebo.
Saepe etiam caris cognato in funere dira
Thessalis incubuit membris: atque oscula figens,
Truncavitque caput, compressaque dentibus ora
Laxavit: siccoque haerentem gutture linguam
Praemordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
Hanc ut fama loci Pompeio prodidit: alta
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostra tellure diem, deserta per arva
Carpit iter. Fidi scelerum suetique ministri,
Effractos circum tumulos ac busta vagati,
Conspexere procul praerupta in caute sedentem,
Qua iuga devexus Pharsalica porrigit Aemus.
Illa magis magicisque deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
Namque, timens, ne Mars alium vagus iret in orbe
Emathis et tellus tam multa caede careret,
Pollutos cantu dirisque venefica succis
Conspersos vetuit transmittere bella Philippos,

553. *a fauc.* Ar. — V. *e faucibus*. — 554. Hos vss. esse vetustae adnotatum habent membranae.
565. *figens* Ar. Ae. C. a. — V. *fingens*.

555. *erumpat*, qui sanguis primus erumpat. Is enim efficacissimus credebatur.

561. *facit manes*, interficit aliquem. — *mors omnis*, ad alia facinora alia utitur morte; modo ephebi, comas posituri, modo adolescentis.

564. *cognato*, i. e. mortui alicuius, qui sibi, Thessalae ipsi, cognatus esset.

567. *laxavit*, aperuit.

570. *Pompeio* sc. filio, — *alta*, i. e. media noct

576. *porrigit*, qua pa mus iuga sua usque ad lum extendit.

577. *Illa*, Erichtho.

582. *vetuit transmitter Philippos*, praecepit Pl ut ad se retinerent bel mirum Philippos in T sitos arbitratur poeta, ut et ut alii.

ıortes habitura suas, usuraque mundi
ine: caesorum truncare cadavera regum
t, et Hesperiae cineres avertere gentis,
ue nobilium, tantosque adquirere manes.
rdor, solusque labor, quid corpore Magni
sto rapiat, quos Caesaris involet artus.
prior adfatur Pompeii ignava propago:
us Haemonidum, populis quae pandere fata,
que suo ventura potes divertere cursu,
ecor, ut certum liceat mihi noscere finem,
belli Fortuna paret. Non ultima turbae
ego Romanae: Magni clarissima proles,
ominus rerum, vel tanti funeris heres.
dubiis percussa pavet, rursusque parata est
s ferre metus. Hoc casibus eripe iuris,
ubiti caecique ruant: vel numina torque,
u parce deis, et Manibus exprime verum
ıs resera sedes, ipsamque vocatam,
petat e nobis, Mortem tibi coge fateri.
humilis labor est: dignum, quod quaerere cures,
ibi, quo tanti praeponderet alea fati.
vulgatae laetatur nomine famae
ıalis, et contra: *Si fata mi*n*ora moveres,*
ım erat, o iuvenis, quos velles, inquit, *in actus*
ıs praebere deos. Conceditur arti,
ı quum radiis presserunt sidera mortem,
uisse moras: et, quamvis fecerit omnis
ı senem, medios herbis abrumpimus annos.
mul a prima descendit origine mundi
ıarum series, atque omnia fatu laborant,

4. *vulgatae laetatur* Ar. C. — V. *laetatur vulgatae.*

regum, qui Pompeio au-
ı tulissent.

vel, si vicerit pater, post dominus rerum futurus, si victus fuerit, eiusdem i haeres.

rursusque, et utique pa-
st ferre metus, sed ita ut sint, et ante explorati.

torque, coge verum mihi nari.

Quos petat, qui de nobis ari sint.

603. *vel tibi* sc. dignum, h. e. vel tua interesse debet, quaerere, utram in partem inclinaturae sint res, Caesaris an Pompeii.

608. *Unam* etc. ubi unius hominis mors a sideribus est destinata, efficere ut vivat adhuc.

609. *et quamvis*, contra autem efficere ut ante tempus aliquis moriatur, licet omnibus ei sideribus longam vitam promittentibus.

611. At, inquit, in tantis re-

Si quidquam mutare velis, unoque sub ictu
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fatemur,
Plus fortuna potest. Sed si praenoscere casus
Contentus, facilesque aditus multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, aetherque, chaosque,
Aequoraque, et campi, Rhodopaeaque saxa loquentur.
Sed pronum, quum tanta novae sit copia mortis,
Emathiis unum campis adtollere corpus,
Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent: nec, membris sole perustis,
Auribus incertum feralis strideat umbra.
Dixerat: et noctis geminatis arte tenebris,
Moestum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora caesorum, tumulis proiecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastae volucres, dum Thessala vatem
Eligit, et gelidas leto scrutata medullas
Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras
Invenit, et vocem defuncto in corpore quaerit.
Fata peremptorum pendent iam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. Si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello,
Cessissent leges Erebi monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno.
Electum tandem traiecto gutture corpus
Ducit, et inserto laqueis feralibus unco,
Per scopolus miserum trahitur per saxa cadaver

616. *facilesque* Ae. C. b. d., et Ar. *facilisque.* — V. *faciles.*
622. *nec* Ar. Ae. C. — V. *ne.*

bus, quantae nunc aguntur, fatum plus potest arte nostra.

616. *contentus* sc. es.

617. *chaosque*, i. e. Tartarus. Cf. Virg. Aen. VI, 265. *umbraeque silentes, et Chaos, et Phlegethon.* Cf. et infra vs. 696.

619. *Sed pronum,* sed commodissimum erit, nunc, quum tot mortui iaceant in his campis, aliquem eorum suscitare.

622. *nec membris* etc. Modo defunctum vult suscitare, ne, si eligat aliquem, qui diutius iam putruerit, umbra eius indistinctum sonum emittat.

624. *arte*, carmine suo.

628. *vatem*, mortuum, qui vaticinetur.

634. *Tentasset* etc. Tanta tamen erat magae vis, ut, si vel omnes caesos voluisset in vitam revocare, concessum hoc fuisset ab Erebo, ita ut integer populus, a potenti monstro, h. e. a saga, ex Acheronte extractus, in aciem prodire potuisset atque pugnare.

637. Tandem eligit unum cadaver, eiusque guttur unco traiicit, uncoque laqueos inserit.

Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur.
Haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
In praeceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urget silva comis, et nullo vertice coelum
Suspiciens, Phoebo non pervia taxus opacat.
Marcentes intus tenebrae, pallensque sub antris
Longa nocte situs; numquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. Non Taenareis sic faucibus aër
Sedit iners, moestum mundi confine latentis,
Ac nostri: quo non metuant emittere manes
Tartarei reges. Nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc
Adspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor et vario furialis cultus amictu
Induitur, vultusque aperitur, crine remoto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos iuvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:
Ponite, ait, *trepida conceptos mente timores:*
Jam nova, *iam vera redditur vita figura*,
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si vero Stygiosque lacus, *ripamque sonantem*
Ignibus ostendam, *si me praesente videri*

650. *metuant* C. a. b. c. d. — V. *metuunt*.
655. *remoto* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *operitur*, *crine soluto*. — Ar. *aperitur*. Ae. C. *operitur*.

640. *victurum*, vitae destinatum, ut vaticinetur.

643. usq. ad 654. describitur situs illius cavernae. *Haud procul* ab Orco ibi depressa erat humus, h. e. tantum non usque ad Orcum.

643. *pronis*, inclinatis ramis et fronde.

649. *moestum* etc. ubi, sc. in Taenaro, terminus est inter Inferos et nos.

650. *quo*, (h. e. in Taenarum) Dii Inferorum manes emittere non metuunt, quia nimirum tenebrosus locus ille pariter atque Tartarus ipse.

651. *Nam quamvis* etc. Nam sicubi umbram ea excitaverit maga, quamvis id incantatione factum, tamen incertum est, utra Stygias tenebras adspiciat, an illa umbra, quam illuc traxerit maga, an alia quaepiam, quae in verum Tartarum descenderit; ita tenebrosus erat locus ille. (Errat hoc loco Sulpicius, neque minus Doeringius in Eclogis.)

657. *iuvenis*, Pompeii.

660. Jam ego hunc resuscitabo in verum vitam.

662. Sensus: Me praesente vel Stygem et Eumenidas et Cerberum Gigantesque cernere possetis: quidni timidos mortuorum manes? — *ripam sonantem* i., Pyriphlegethonta, qui ignibus quasi spumans fluit.

Eumenides possent, villosaque colla colubris
Cerberus excutiens, et vincti terga Gigantes;
Quis timor, ignavi, metuentes cernere manes?
Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet,
Vulneribus laxata novis: taboque medullas
Abluit: et virus large lunare ministrat.
Huc quidquid fetu genuit natura sinistro
Miscetur. Non spuma canum, quibus unda timeri est,
Viscera non lyncis, non dirae nodus hyaenae
Defuit, et cervi pasti serpente medulla:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quaeque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Aequoribus custos pretiosae vipera conchae:
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastae,
Aut cinis Eoa positi Phoenicis in ara.
Quo postquam viles, nec habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et, quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit, et quidquid mundo dedit ipsa veneni:
Tunc vox, Lethaeos cunctis pollentior herbis
Excantare deos, confudit murmura primum
Dissona, et humanae multum discordia linguae.
Latratus habet illa canum, gemitumque luporum:
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,

681. *nec hab.* C. — V. *et h.* — a. *et h. numina p.* — 686. Sic Ar. — V. *confundit.* — 688. *gemitumque* C. a. — V. *gemitusque.*

667. *supplet*, implet

668. *laxata*, aperta.

669. *virus lunare*, salivam lunà destillantem, cuius magna in arte magica efficacia.

672. *Lyncis viscera* int. lapidem, in quem lyncis urina converti credebatur. Ov. Met. XV, 415. *lyncurium.* — *nodus*, spina, cui ita credebatur collum esse iunctum, ut moveri non posset. Cf. Plin. VIII, 30.

673. *cervi*, et medulla cervi, qui serpentem voraverat.

674. *retinens puppim*, echeneis piscis, qui credebatur navem retinere posse. De quo cf. Plinium H. N. IX, 15. XXXII, 1.

676. Int aëtites lapis in aquilae nido repertus, qui concussus sonat, postquam tepefactus est sub aquila feta insidente nido. V. Plin. IX, 3. XXXVI, 21.

678. Vipera credebatur in mari Erythraeo custodire conchas, in quibus sunt uniones.

681. *nec habentes nomina*, et quae nullis nominibus praeditae sunt. Simile v. Ov. Met. 7, 275

682. *infando*, addidit his frondes excantatas, et herbas, quibus ipsa Erichtho inspuerat ore suo diro, quum nascebantur.

687. *discordia*, diversa ab humana lingua.

Quod stridunt ululantque ferae, quod sibilat anguis,
Exprimit, et planctus illisae cautibus undae;
Silvarumque sonum, fractaeque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. Mox cetera cantu
Explicat Haemonio, penetratque in Tartara lingua:
Eumenides, Stygiumque nefas, poenaeque nocentum:
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos:
Et rector terrae, quem longa in saecula torquet
Mors dilata deûm: Styx, et, quos nulla meretur
Thessalis Elysios: coelum matremque perosa
Persephone, nostraeque Hecates pars ultima, per quam
Manibus et mihi sunt tacitáe commercia linguae:
Janitor et sedis laxae, qui viscera saevo
Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
Tracturae: tuque o flagrantis portitor undae,
Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris:
Exaudite preces, si vos satis ore nefando
Pollutoque voco, si numquam haec carmina fibris
Humanis ieiuna cano, si pectora plena
Saepe dedi, et lavi calido prosecta cerebro:

690. *stridunt* C. — V. *strident.*
704. *Tracturae* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *Fracturae.*

695. *nocentum* sc. animarum.

696. *Chaos*, sc. quod in Tartaro est. Cf. vs. 618.

697. *rector terrae*, Pluto, quem taedet deos esse immortales nec ad se descendere in Tartarum; aut, qui aegre patitur se deum esse et mortem suam in longa tempora esse dilatam.

698. *meretur*, et vos, o Elysii, ad quos nulla Thessalis penetrat.

699. *perosa*, noluit enim in coelum, noluit ad matrem redire. V. Virg. Georg. I, 39.

700. *nostraeque* etc. et quae (sc. Proserpina) nostrae Hecatae tertia quasi forma es. Est enim in coelo luna, in terris Diana, apud Inferos Proserpina, secundum aliquos. Quamquam locus obscurus. Cf. infra 736 — 742. ubi pariter Hecate et Proserpina componuntur.

702. *qui viscera nostra spargis saevo cani;* ad haec Sulpicius: „qui absorbes carnem tibi ipsi." Quem sensum quo iure dixerit subesse nescio. Est potius: qui viscera mortuorum, quae ego comedere cupio, in caninum tuum ventrem spargis, h. e. demittis. — *canis saevus* pro ventre canino.

703. et vos, o sorores Parcae, quae trahetis *fila repetita*, h. e. quas iam de novo daturae estis vitam huic mortuo.

704. *portitor*, Charon.

708. *si pectora plena saepe dedi*, si vobis saepe obtuli corpus gravidae mulieris. Alii tamen int. pectora palpitantia adhuc vitali spiritu. Sic contrarium *pectus inane* Ov. Her. 3, 69.

709. *et lavi*, si, quae vobis obtuli, lavi calido cerebro infantis alicuius. — *prosecta* enim sunt, quae imponuntur aris.

710. De his vide notam criticam. Sensus: si quem vobis obtuli infantem, qui in eo erat ut na-

Si quis, quum vestris caput extaque lancibus, infans
Imposui, victurus erat: parente precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Adsuetamque diu tenebris, modo luce fugata
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
Haeret adhuc Orci. Licet has exaudiat herbas
Ad manes ventura semel. Ducis omina nato
Pompeiana canat nostri modo militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
Haec ubi fata caput spumantiaque ora levavit,
Adspicit adstantem proiecti corporis umbram,
Exanimes artus invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. Pavet ire in pectus apertum
Visceraque, et ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus inique
Eripitur, non posse mori. Miratur Erichtho
Has fatis licuisse moras, irataque morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terrae, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rupit:
Tisiphone, vocisque meae secura Megaera,

710. Sic Ar. Ae. — V. *Si quis, qui* etc. Cdd. *Si quisquam*, aut *Si quisquis*. Pro *vestris* al. *nostris*.
711. *Imposui* de coniectura dedi. V. *Imposuit*. Constructio est: Si quis infans victurus erat, quum eius caput extaque vestris lancibus imposui; h. e. si vestris lancibus extracti alvo infantis caput extaque imposui. Quodsi quis negaverit, huiusmodi transpositiones in Lucano locum habere posse, eo ipso sese verum Lucanum ignorare prodiderit. Cf. III, 679. et V, 387. 680. 800. Cortius cum vulgata facit. At *infantem ipsum imposuisse caput extaque sua*, nimis dura certe catachresis est.
717. *nostri* Ar. Ae. C. a. b. d. — V. *noti*.
724. *inique* C. d. Ae. — V. *iniquae*.
729. *rupit* C. — V. *rumpit*.

secretur, exsectum ex utero matris. Cf. supra vs. 558.

715. *haeret*, moratur. — *Licet*, sinite ut exaudiat semel tantum has herbas, redeatque huc, deinde certo ad vos ventura.

716. *Ducis nato*, Pompeii filio. — Construe: una ex Pompeianis umbris, quae modo fuit anima militis alicuius nostri, canat omina Pompeii filio.

718. Nam bello civili multae umbrae Tartaro demittuntur.

719. Postquam haec fata est maga, seque erigit, videt umbram prope ad cadaver adstantem, nolentemque introire in corpus mortuum.

725. *non posse mori*; abundat negatio, quae iam involvitur verbo *eripitur*.

730. *secura*, h. e. quae non audis.

Non agitis saevis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? Jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera custos:
Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
Teque deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar, immenso terrae sub pondere quae te
Contineant, Ennaea, dapes, quo foedere moestum
Regem noctis ames, quae te contagia passam
Noluerit revocare parens. Tibi, pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. Paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn,
Indespecta tenet vobis qui Tartara; cuius
Vos estis, superi; Stygias qui peierat undas?
Protinus adstrictus caluit cruor, atraque fovit
Vulnera, et in venas extremaque membra cucurrit.
Percussae gelido trepidant sub pectore fibrae:

742. *parens* C. — V. *Ceres.*

733. *Stygias canes*, sic vocat et Furias et ipsam Hecaten eiusque comites. Jam ego vos, ait, Stygias canes, in luce superna adstare faciam. Cf. VII, 298. — *vere nomine*, non Eumenidas, sed canes appellans.

736. Teque, Hecate, exhibebo Diis spectantibus visendam nativo vultu, quo palles apud inferos.

738. *mutare*, dissimulare. — Eloquar, te ob grana mali Punici gustata apud Inferos detineri, quod foedus te coniugem reddiderit Plutoni, et cur Ceres te revocare nolit, nimirum quia attigeris vel Plutonem stupro, vel grana illa mali Punici.

742. *tibi* etc. Aperiam terram, ut Sol lucem immittat Orco.

743. *arbiter*, Pluto.

744. *ille*, innuit mysticum illud numen, deum summum terrae, rerum omnium creatorem, cuius nomen ineffabile et inter cetera deorum nomina citari nefas, quo citato fit terrae motus, Daemogorgon aut Demiurgum. Sic Statius Theb. I, 512. *Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est. Illum sed taceo.* V. Heyne Opusc. III, 299.

746. *qui G.* cui non nocet Gorgonem videre apertam, h. e. non tectam velamine.

748. *Indespecta*, qui altissima Tartara habitat, in quae vobis despicere non licet, ita ut respectu ad illum vos quasi superi sitis. — qui nihili facit apud Stygem peierare, quia non adstrictus est illi legi.

750. Protinus cadaver incaluit. — *fovit.* Sulpicius: cruor apparuit in vulneribus, ut molliretur.

Et nova desuetis subrepens vita medullis
Miscetur morti. Tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver
Paulatim per membra levat, terraque repulsum est,
Erectumque simul. Distento lumina rictu
Nudantur. Nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. Remanent pallorque rigorque;
Et stupet illatus mundo. Sed murmure nullo
Ora adstricta sonant. Vox illi linguaque tantum
Responsura datur. *Dic*, inquit Thessala, *magna*,
Quod iubeo, *mercede mihi: nam vera locutum*
Immunem toto mundi praestabimus aevo
Artibus Haemoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti, *vixisse iterum: nec verba*, *nec herbae*
Audebunt longae somnum tibi solvere Lethes,
A me morte data. Tripodas vatesque deorum
Sors obscura decet; certus discedat, *ab umbris*
Quisquis vera petit duraeque oracula mortis
Fortis adit. Ne parce, *precor. Da nomina rebus*,
Da loca, *da vocem*, *qua mecum fata loquantur.*
Addidit et carmen, quo, quidquid consulit, umbram
Scire dedit. Moestum, fletu manante, cadaver,
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, *tacitae revocatus ab aggere ripae:*
Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris,
Effera Romanos agitat discordia manes,
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.

771. *decet* C. d. — V. *tenet*. — *discedat* Ar. C. a. b. c. d. — V. *discedit*.

754. *miscetur*, introducitur in mortuum corpus.

755. *nec se*, nec paullatim se attollit cadaver, ut solent vivi iacentes se attollere expergefacti, sed simul erectum est et quasi a terra repulsum uno impetu.

758. *nudantur*, aperiuntur. — *Nondum;* construe: facies in illo erat nondum viventis, et iam morientis, h. e. similis erat nondum plane revocato in vitam, et similis iam morienti.

760. *Sed m.*, h. e. tacitus adstat, donec interrogetur.

766. *silvis*, lignis in rogo.

767. *cantata*, excantata.

768. *Sit tanti*, magno beneficio et felicitati tibi adscribe, quod per me redieris in vitam.

770. *tripodas*, i. e. cetera oracula obscura sunt.

776. *fletu manante*, h. e. inter lacrymas, lacrymando.

780. Umbrae Romanorum mortuorum in Orco discordes inter se sunt.

Elysias alii sedes, ac Tartara moesta
Diversi liquere duces: quid fata pararent,
Hi fecere palam. Tristis felicibus umbris
Vultus erat. Vidi Decios, natumque patremque,
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios; Sullam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem. Maior, Carthaginis hostis,
Non servituri moeret Cato fata nepotis.
Solum te Consul depulsis prime tyrannis
Brute pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax fractisque catenis
Exsultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
Vidi ego laetantes, popularia nomina, Drusos;
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.
Aeternis chalybum nodis, et carcere Ditis
Constrictae plausere manus, camposque piorum
Poscit turba nocens. Regni possessor inertis
Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa
Asperat, et durum vinclis adamanta, paratque
Poenam victori. Refer haec solatia tecum,
O iuvenis, placido Manes patremque domumque
Exspectare sinu, regnique in parte serena
Pompeio servare locum. Nec gloria parvae
Sollicitet vitae: veniet, quae misceat omnes
Hora duces. Properate mori, magnoque superbi
Quamvis e parvis animo descendite bustis,

783. *diversi*, ex separatis regionibus accedentes. Cf. Sall. Cat. 52. *diverso itinere malos a bonis loca tetra habere.*

786. *lustrales*, expiatorias, quae se devoverunt.

787. *querentem* sc. quod partes patriciae a Caesare opprimantur.

788. *Scipio* Africanus deplorat L. Scipionem Pompeii socerum periturum in Africa, quam ipse debellaverat.

789. *maior*, Cato maior moeret mortem Uticensis, qui, ne serviat, seipsum interimet.

791. Brutus gaudet, quod videt Brutum, progeniem suam, Caesarem esse interfecturum.

794. *nudi*, cf. II, 543. ubi est: *exserti Cethegi*, vide not. Cethegus autem ex Catilinariis.

795. *Drusos*, L. enim Drusus tribunus pl. legem agrariam tulerat.

797. Rebelles in Tartaro poenas dantes laetabantur, et irruere volebant in Elysios campos.

800. *saxa asperat*, in cruciatum animarum. Ex adamante autem clavos et catenas fieri iubebat.

802. *victori*, Caesari.

804. *regni* sc. inferni. — *parte serena*, Elysiis campis.

806. *veniet*, omnes enim morientur aeque.

Et Romanorum manes calcate deorum.
Quem tumulum Nili, quem Tybridis adluat unda,
Quaeritur, et ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quaere tuum cognoscere: Parcae,
Me reticente, dabunt: tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in arvis:
Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,
Quas iubeat vitare plagas, quae sidera mundi.
Europam miseri, Libyamque Asiamque timete:
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
Tutius Emathia. Sic postquam fata peregit,
Stat vultu moestus tacito, mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est, herbisque, cadaver
Ut cadat, et nequeunt animam sibi reddere fata,
Consumto iam iure semel. Tum robore multo

810. *adluat* C. b. — V. *abluat.*

809. *Romanorum deorum*, ducum victorum, qui post vos regnabunt, at mortui ubi erunt, sub pedibus vestris erunt collocati, cum vos in Elysio eritis, illi inter nocentes.

810. Omnis est disceptatio, uter prope Nilum, uter in Campo Martio sit comburendus; quorum illud Pompeio, hoc Caesari evenit.

813. *Tibi certior omnia vates* etc. Dubio procul haec respiciunt aliquam in secuturis partem Lucanei operis, non absoluti, quam sibi proposuerat poeta faciendam, morte praeventus non absolvit; in qua imitaturus erat Anchisen in Aeneide filio fata canentem.

817. Nulla orbis pars vobis tuta. Ex illis autem omnibus terris vos olim triumphos reportavistis, quippe ex quibus omnibus Pompeius pater victor rediit. Sic de Pompeiis Martialis I, 7. *Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit. Quid mirum, toto si spargitur orbe? Iacere uno non poterat tanta ruina loco.*

818. Pater cadet in Libya, Cneius filius in Hispania ad Mundam, tu Sextus in Asia, interceptus ab Antonianis militibus.

819. Totus vobis orbis aeque fatalis erit, atque Thessalia. Quamquam potest etiam vere tutior dici Thessalia (hanc enim eandem facit poeta cum Emathia, solenni quum suo tum aliorum errore) Pompeiis, ideo quod illi e Thessalica clade, quamquam victi, at tamen incolumes ipsi omnes sunt elapsi. Atque hoc modo si acceperis locum, sensus erit: maiora adeo vobis pericula imminent, quocunque fugietis, in omnibus terris, praequam quae in Thessalia estis experti. Inde enim vivi tamen evasistis; at in illis mortem oppetetis.

823. *et nequeunt.* Plures sunt loci, in quibus *et* videatur positum pro *etenim*; atque sic hoc loco possit accipi copula. Referendus huc fortasse locus I, 515. *et nihil* etc. — *sibi reddere*, h. e. ad se in Orcum animam revocare. — *fata*, i. e. mors.

Exstruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:
Accensa iuvenem positum strue liquit Erichtho,
Tandem passa mori: Sextoque ad castra parentis
It comes: et coelo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
Jussa tenere diem densas nox praestitit umbras.

826. *liquit* C. b. — V. *linquit.*

825. *venit*, ivit pedibus suis.

828. *coelo* etc. i. e. quum iam coelum induerat colorem lucis venturae, dieique venientis.

830. *tenere*, retinere, uti innumeris locis Noster cum omnino simplicia ponit pro compositis, tum imprimis *tenere* habet pro *continere* aut *retinere*, cf. I, 194. III, 390. 392. 607. IV, 273. 279. V, 360. etc. Vide Indic. v. Simplicia.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

Nocte ante pugnam Pompeius inani somnii specie luditur. — 44. *Orto sole, cupidis pugnae militibus,* — 61. *ipsoque Cicerone hortante,* — 85. *Magnus, quamquam invitus, signum pugnae dat.* — 125. *Milites se parant.* — 150. *Prodigia narrantur.* — 184. *Populi metuunt.* — 191. *Vates quidam in Italia superiore praedicat pugnam ea ipsa die inter Pompeium et Caesarem pugnari.* — 213. *Describitur Pompeii acies.* — 234. *Laetus eam conspicit Caesar,* — 249. *militesque suos alloquitur.* — 330. *Arripiunt arma.* — 336. *Pompeius alloquitur suos.* — 382. *Conqueritur poeta de funesto Romae bello, deque amissa per pugnam Pharsalicam libertate Romana.* — 459. *Primus pugnam inchoat Crastinus Caesarianus.* — 473. *Describitur furor pugnantium.* — 505. *Caesar Pompeianos ab latere adoritur. Pelluntur Pompeii equites, e barbaris populis collecti.* — 544. *Centrum tamen resistit, ubi Romani.* — 550. *Abhorret poeta ab descriptione pugnae.* — 556. *Caesar suos hortatur.* — 585. *Brutus in exercitu Pompeii.* — 596. *Cadunt patricii; cadit Domitius.* — 616. *Horret queriturque pugnam poeta.* — 646. *Fugit Pompeius equo.* — 680. *Apostrophe ad eum.* — 711. *Pompeius Larissam venit; dein pergit in fuga.* — 727. *Caesar castra Pompeii occupat.* — 786. *Inhumata iacent cadavera.* — 824. *Ferae ad dapes veniunt.* — 846. *Apostrophe.*

Segnior Oceano, quam lex aeterna vocabat,
Luctificus Titan numquam magis aethera contra
Egit equos, currumque, polo rapiente, retorsit:

1. *Segnior*, tardior. — *vocabat*, iubebat.

2. *Luctificus*, moestus, luctusque nuncius. Huic autem iungendum *numquam magis* constructione. — *aethera contra*, versus coelum. Totius igitur constructio haec est: Numquam Sol magis luctificus versus coelum egit equos, segnior ex Oceano oriens, quam aeterna lex vocabat. Ad v. *aethera contra* possis conferre Ovidii Met. II. *Rapido contrarius evehor orbi.*

3. *currumque*. Non supplenda ad haec negatio, potius copula in vertendo omittenda. — *polo rapiente*, h. e. quum coelum quasi proriperet currum, et ut prorsum ageretur requireret, ex consueta lege.

Defectusque pati voluit, raptaeque labores
Lucis: et adtraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
At nox, felicis Magno pars ultima vitae,
Sollicitos vana decepit imagine somnos.
Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanae cernere plebis,
Adtollique suum laetis ad sidera nomen
Vocibus, et plausu cuneos certare sonantes.
Qualis erat populi facies clamorque faventis,
Olim quum iuvenis primique aetate triumphi
Post domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,
Et quaecumque fugax Sertorius impulit arma,
Vespere pacato, pura venerabilis aeque
Quam currus ornante toga, plaudente senatu,
Sedit adhuc Romanus eques. Seu fine bonorum
Anxia venturis ad tempora laeta refugit,
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctus.
Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles; nullas tuba verberet aures.

4. Defectus voluit pati et labores lucis raptae h. e. imminutae in eclipsi. Coepit deficere, obscurari, laborare, tamquam eclipsin passurus.

5. *non pabula flammis*, undis enim ac nubibus credebatur ali Sol. Sic I, 415. *ut alentes hauriat undas.*

9. *Pompeiani theatri*, quod item commemoratum I, 133, quodque Pompeius Romae exstruxerat ad formam illius, quod Mitylenae viderat; cf. Plin. VII, 3. et XXXVI, 15.

14. *Olim cum* sc. *sedit* vs. 19. — *iuvenis*, annos natus quatuor et viginti. — *triumphi*, quem ex Hispania reportaverat.

16. Constr. et post domita arma, quaecumque Sertorius impulit.

17. *Vespere*, Occidente. — *pura* etc. tam venerabilis, quum toga pura h. e. non ornata indutus esset, quam si indutus fuisset toga ornata pictaque, qua solebant indui triumphantes.

19. *Seu fine b.* etc. Inquirit poeta in somnii huius caussam. Subiectum ad *anxia* est *quies*. Quies Pompeii erat anxia venturis. quum finis felicitatis eius adesset. itaque mens rediit ad cogitationem praeteritorum temporum laetiorum.

21. Sive. quod non raro fit, ut somnia repraesentent contrarium, ita hic Pompeio oblatus est plausus in omen futuri planctus

23. Sive denique, quoniam non amplius adspecturus erat Romam, Fortuna ei urbem per somnia cernendam dedit.

25. *nullas*, per hypallagen pro: nulla tuba verberet aures, seu resonet.

Crastina dira quies, et imagine moesta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.
Unde pares somnos populi, noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret.
Donassent utinam superi patriaeque tibique
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:
Illa, rati semper de te sibi conscia voti,
Hoc scelus haud umquam fatis haerere putavit,
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te mixto flesset luctu iuvenisque senexque,
Iniussusque puer: lacerasset, crine soluto,
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
Nunc quoque, tela licet paveant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Caesar tua funera, flebunt:
Sed dum tura ferunt, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro!
Vicerat astra iubar, quum mixto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnae. Miseri pars maxima vulgi,
Non totum visura diem, tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
Mortis vicinae properantes admovet horas.
Dira subit rabies: sua quisque ac publica fata
Praecipitare cupit: segnis pavidusque vocatur,

42. *ferunt* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *ferent.*

26. *Crastina quies*, crastina nox post pugnam futura. — *imagine diurna*, imagine proelii ad Pharsalum per diem facti.

27. *feret*, Pompeio ostendet in somnis.

28. Quomodo tu, Pompei, tibi tum parabis somnum, quali fruuntur populi, et noctem beatam? Fluctuant in hoc versu omnes interpretes.

31. *uterque fati certus*, gnari futurorum malorum.

33. Tu nunc per somnium in urbe Roma versaris, quasi in ea sis moriturus.

34. *Illa*, Urbs, conscia sibi perpetuo voti sui de te, *rati*, h. e. firmi.

35. Hoc numquam credidit fatis destinatum esse, ut tu procul ab se morereris.

39. *Bruti*, quem per integrum annum luxere.

42. Sed ita flebunt, ut simul coacti sint tura ferre Jovi propter Caesaris victoriam.

43. *gemitus edere dolorem*, non nisi gemere iis licuit, et lacrymas doloremque supprimere.

44. *pariter* sc. atque olim tibi plausere.

48. *non totum*, quippe occisura ea die.

Ac nimium patiens soceri Pompeius, et orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Iuris habere sui vellet, pacemque timeret.
Nec non et reges populique queruntur Eoi
Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
Hoc placet, o superi, quum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen?
Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma:
In Pompeianis votum est Pharsalia castris.
Cunctorum voces Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cuius sub iure togaque
Pacificas saevus tremuit Catilina secures,
Pertulit, iratus bellis, quum rostra forumque
Optaret, passus tam longa silentia miles.
Addidit invalidae robur facundia caussae:
Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se Fortuna velis: proceresque tuorum
Castrorum, regesque tui cum supplice mundo
Adfusi, vinci socerum patiare, rogamus.
Humano generi tam longo tempore bellum
Caesar erit? Merito, Pompeium vincere lente,
Gentibus indignum est a transcurrente subactis.
Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati?
De superis, ingrate, times? caussamque senatus
Credere dis dubitas? Ipsae tua signa revellent,

72. Sic Ar. — V. *Humani generis.*
77. *tua* Ar. C. b. c. — V. *sua.* Ae. *ipsi sua.*

53. *et orbis Indulgens regno,* cupiens quam diutissime summo hoc in reges et exercitum imperio frui. Nam Agamemnoni comparabatur.

55. *pacem timeret*, quippe qua facta, abscedendum ei esset imperio.

59. *nostris erroribus addere crimen*, h. e. ut nos etiam perversissima cupiamus, et eo ipso crimen admittamus; ita ut non solum erroribus nostris, sed et crimine, in mala incidamus.

61. *votum est Ph.*, pugna Pharsalica deposcitur.

62. Cunctorum voces pertulit ad Pompeium Cicero.

65. iratus, quod, quum rostra forumque orator optaret, coactus esset, miles tam longa silentia pati.

67. Is oratione sua adiuvit vota militum, quae per se parum ponderis habere debebant.

68. Hoc solum a te Fortuna precatur, ut se uti velis, itemque nos proceres tuorum castrorum, regesque, et totus mundus precamur, ut patiaris, vinci a te socerum.

72. An perpetuo Caesar bellorum caussa erit?

73. Merito dolent hanc tuam tarditatem gentes, quas ipse tu olim tamquam in transcursu subegisti. — *De superis*, de Fortuna, — *ingrate*, quae tanta iam tibi est largita.

Prosilientque acies. Pudeat vicisse coactum.
Si duce te iusso, si nobis bella geruntur,
Sit iuris, quocumque velint concurrere campo.
Quid mundi gladios a sanguine Caesaris arces?
Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
Exspectat: propera, ne te tua classica linquant.
Scire senatus avet, miles te, Magne, sequatur,
An comes. Ingemuit rector, sensitque deorum
Esse dolos, et fata suae contraria menti.
Si placet hoc, inquit, *cunctis, si milite Magno,*
Non duce, tempus eget, nil ultra fata morabor.
Involvat populos una Fortuna ruina,
Sitque hominum magnae lux ista novissima parti.
Testor, Roma, tamen: Magnum, quo cuncta perirent,
Accepisse diem. Potuit tibi vulnere nullo
Stare labor belli: potuit sine caede subactum,
Captivumque ducem violatae tradere paci.
Quis furor, o caeci, scelerum? Civilia bella
Gesturi metuunt, ne non cum sanguine vincant?
Abstulimus terras, exclusimus aequore toto,
Ad praematuras segetum ieiuna rapinas
Agmina compulimus, votumque effecimus hosti,
Ut mallet sterni gladiis, mortesque suorum
Permiscere meis. Belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret:
Si modo virtutis stimulis iraeque calore
Signa petunt. Multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Fortissimus ille est,

79. Siquidem tu exercitus dux creatus es factusque iussu reipublicae, liceat militibus, pugnam facere, quocumque velint campo.

84. *an miles an comes te sequatur* sc. ipse Senatus, h. e. an tu sibi tamquam militi imperes, (cf. vs. 66.) an te eius tantum ducem existimes, cuius Senatus sit comes.

85. *rector*, Pompeius.

92. *accepisse*, h. e. non advocasse me eum diem, sed iussum accepisse. — *tibi*, Roma.

93. *stare*, constare. — *potuit* sc. labor belli.

97. *Abstulimus* sc. Caesari. *terras* sc. Orientales, sine quibus imperium Romanum esse non poterat. — *exclusimus aequore*, nam classes nostrae late tenent maria.

99. *compulimus*, in Epiro.

101. *Belli p.* Sane, ait Pompeius, gratulari nobis possumus, quod tirones adeo pugnam expetunt.

103. *irae*, pugnandi cupidinis. Cf. I, 207. 292. II, 93. 529. III, 614. IV, 267. 553. Sensus: At vere potest hoc fieri non irae calore, sed timore ipse venturi mali, et desperatione.

Qui, promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest. Placet haec tam prospera rerum
Tradere Fortunae? gladio permittere mundi
Discrimen? Pugnare ducem, quam vincere, malunt.
Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
Accipe maiores, et caeco in Marte tuere.
Pompeii nec crimen erit nec gloria bellum.
Vincis apud superos votis me, Caesar, iniquis:
Pugnatur. Quantum scelerum, quantumque malorum
In populos lux ista feret! quot regna iacebunt!
Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum partisque ruina
Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
Laetior. Aut populis invisum, hac clade peracta,
Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, et arma
Permittit populis, frenosque furentibus ira
Laxat: et ut victus violento navita Coro
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. Trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
Mortis venturae est, faciesque simillima fato.
Advenisse diem, qui fatum rebus in aevum
Conderet humanis, et quaeri, Roma quid esset,
Illo Marte, palam est. Sua quisque pericula nescit,

106. Qui ad utrumque paratus est, vel ad patiendum metuenda, si adsint, vel ad differendum, et sibi temperandum.

108. *tradere*, committere.

110. Quoniam Fortuna mihi mandavit res Romanas, ego eas augeri a me cupio, et a bello tutas esse.

120. *Laetior* sc. erit, quam mors. — *Aut populis* etc. Aut enim, si vicero, meum nomen invisum erit, aut, si victus fuero, miserabile.

122. Omne malum inde prodiens, victus patietur; culpa tamen et crimen victoris erit. — *sors ultima rerum* dictio solemnis de Forte. Cf. ad V, 692.

124. *furentibus irâ*, qui pugnandi cupidine furebant.

126. *ignavumque*, et ut puppis, ab arte gubernatoria relicta, tamquam onus iners, trahitur.

129. *ictibus incertis*. Sulpicius: „animi saevi vexant se affectibus variis.“ Farnabius: „vario affectuum et consiliorum impulsu.“

130. *mortis*, ex mortis metu. — *fato*, h. e. morti.

132. *Roma quid esset*, scilicet, an civitas libera sit futura, an sub unius imperio.

Attonitus maiore metu. Quis litora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus aequor,
Aetheraque in terras, deiecto sole, cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? Non vacat ullos
Pro se ferre metus: urbi Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cautibus asper
Exarsit mucro. Tunc omnis lancea saxo
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frenorumque aptat habenas.
Si liceat superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantas,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis:
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Paean Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in aegida crines,
Pallenaea Jovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. Nam Thessala rura
Quum peterent, totus venientibus obstitit aether:
[Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:]
Adversasque faces, immensoque igne columnas,
Et trabibus mixtis avidos Pythonas aquarum
Detulit, atque oculos, ingesto fulgure, clausit.
Excussit cristas galeis, capulosque solutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit,
Aethereoque nocens fumavit sulfure ferrum.

139. *cautibus* Ar. Aa. C. a. b. c. d. — V. *cotibus*.
154. *non* legebatur in vet. mpto Cortii.
156. *Pythonas* Ar. — *typhonas* Ac. a. b. c. d. — C. *siphonas*.

134. *quis litora etc.* Quis est qui sibi ipsi timeat, cum videat litora mari obruta, et montes undis tectos, et coelum corruere, et Solem de coelo cadere, totque rerum finem adesse?

140. *mucro* sc. gladii. — *saxo erigitur*, acuitur et dirigitur, ubi curvata fuerit cuspis. Cf. I, 242.

146. Sicula enim fornace recoxit Cyclops Martis frameam, Neptuni tridentem, Apollinis sagittas, etc.

150. *Pallenaea*, scilicet quibus mox usurus esset apud Pallenen opp. Macedoniae contra Gigantes. — *mutavit*, restauravit.

153. *obstitit*, terruit, ne procederent.

154. Nubes fulmina sua contra eos immiserunt, ita ut refringerentur fulmina in oculis eorum, h. e. in oculos paene eorum inciderent. De v. *frangere* v. I, 103. et V, 606.

157. *detulit* sc. aether vs. 153.

160. *ferrum nocens*, ferrum per se iam nocens.

Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revulsa solo, maiori pondere pressum
Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana et publica, signa.
Admotus superis discussa fugit ab ara
Taurus, et Emathios praeceps se iecit in agros;
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu, quos scelerum superos, quas rite vocasti
Eumenidas, Caesar? Stygii quae numina regni,
Infernumque nefas, et mersos nocte furores?
Impia tam saeve gesturus bella litasti.
Jam (dubium, monstrisne deûm, nimione pavori
Crediderint) multis concurrere visus Olympo
Pindus, et abruptis mergi convallibus Aemus,
Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
Ire per Ossaeam rapidus Boebeida sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur opertos,
Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres et cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos. Sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quod voti turba nefandi
Conscia, quae patrum iugulos, quae pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat,

177. *opertos* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *apertos.*

161. *examine*, avium insidentium.

162. *vix revulsa*, signa quasi infixa videbantur, ita ut vix possent evelli solo. Dein, ubi magno nisu evulsa fuere, ita gravia videbantur, ut ingravarentur signiferorum capita, in terramque demitterentur.

164. Signa, ait per anaphoram, fletu rorantia, quod nonnisi usque ad Pharsalicam pugnam essent signa Romana et publica, posthac uni servitura.

167. *Nullaque*, sc. quae litaret, aut victoriam significaret.

168. Sensus sequentium: At quum Pompeius litare non potuerit, quomodo tu, Caesar, litare potuisti? Quos tu superos, sceleris amantes, invocasti?

170. *furores*, monstra infernalia.

173. *Crediderint* sc. multi illi, ut tantum paverent.

176. Boebeis, lacus ad radicem Ossae, visus est sanguine fluere.

177. Cernunt se invicem tenebris involutos, die plena.

179. *sanguinis*, consanguineorum suorum.

181. *turba*, h. e. milites.

184. Ipsa illa spectra, quae quasi per furorem cernebant, augurium ad scelera perficienda esse credebant.

185. *populos*, h. e. Romanos in remotissimis terris degentes ea die moestos fuisse, caussam

Lymphato trepidasse metu, praesaga malorum
Si data mens homini est? Tyriis qui Gadibus hospes
Adiacet, Armeniumque bibit Romanus Araxen:
Sub quocumque die, quocumque est sidere mundi,
Moeret, et ignorat caussas, animumque dolentem
Corripit; Emathiis quid perdat nescit in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
Impia concurrunt Pompeii et Caesaris arma;
Seu tonitrus ac tela Jovis praesaga notavit,
Aethera seu totum discordi obsistere coelo
Prospexitque polos: seu lumen in aethere moestum
Solis in obscuro pugnam pallore notavit.
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum natura diem: si cuncta perito
Augure mens hominum coeli nova signa notasset,
Spectari e toto potuit Pharsalia mundo.
O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis coelum omne vacavit!
Haec et apud seras gentes populosque nepotum,
Sive sua tantum venient in saecula fama,

198. *Aethera* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *Aera*.

quamquam moestitiae ignorantes. — *lux extrema*, qui omnia erant perdituri ea die, qua interiit libertas Romana.

187. *Si* dictum puto pro *siquidem*, et cum antecedentibus comma iungendum. — *Tyriis qui* etc. Quicunque Romani ad Gades habitabant, aut ad Araxem, moerebant omnes.

191. *corripit*, incusat, reprehendit ipse.

192. *Euganeo*, prope Patavium. Ibi Cornelius quidam, divinandi scientia nobilis, vel augurio vel animo sensit, ea die pugnari et vinci a Caesare, ut Plut. in Caesare refert.

193. *Aponus*, fluvius ad Patavium, cuius fontis aqua calida. Cf. Sil. It. XII, 217. Mart. I, 62. — *exit terris*, oritur.

194. Et ubi Timavus, ad cuius fontem Antenor Patavium condidisse credebatur, fluit. — *dispergitur* alii de fontibus, alii de ostiis accipiunt.

198. Seu prospexit h. e. animadvertit totum aethera et polos obsistere discordi coelo. — *aethera*, omnia sidera. — *obsistere*, non obtemperare et solitos cursus perficere.

199. *seu lumen*, seu Sol pallens ei pugnam indicavit.

201. *explicat*, unquam agit.

202. Si ubique terrarum attendissent homines ad signa coelestia aliaque, clare totus mundus intellexisset, pugnari ea die ad Pharsaliam.

205. *summos*, int. Caesarem et Pompeium. — *quorum* etc. quorum fortuna effecit, ut per omnem orbem signa darentur.

Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest, quum bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
Adtonitique omnes veluti venientia fata,
Non transmissa, legent, et adhuc tibi, Magne, favebunt.
Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu
Descendens totos perfudit lumine colles,
Non temere immissus campis: stetit ordine certo
Infelix acies. Cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tum fuit optima bello,
Et quarta legione datur: tibi, numine pugnax
Adverso Domiti, dextri frons tradita Martis.
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quae Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At iuxta fluvios et stagna undantis Enipei
Cappadocum montana cohors, et largus habenae
Ponticus ibat eques. Sicci sed plurima campi
Tetrarchae regesque tenent magnique tyranni,
Atque omnis Latio quae servit purpura ferro.
Illuc et Libye Numidas, et Creta Cydonas
Misit: Ituraeis cursus fuit inde sagittis:
Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem:
Illic pugnaces commovit Iberia cetras.
Eripe victori gentes, et sanguine mundi
Fuso, Magne, semel, totos consume triumphos.
Illo forte die Caesar, statione relicta,

209. *nostri laboris*, se ipsum intelligit poeta, et Pharsaliam suam.

210. *Nominibus*, sc. ducum illorum.

213. *non transmissa*, non peracta iam.

214. *adverso*, opposito sibi.

215. *lumine*, splendore.

216. *Non temere*, prudenter et optimo Pompeii consilio instructus.

219. *numine pugnax adverso*, tibi, infeliciter pugnature.

223. *miles*, sub imperio Pompeii. — *in hoc* sc. orbe. Nam orbis saepius pro parte terrae aut pro certa aliqua terra ponitur Nostro. — *Libyco*, at in Africa idem imperator post victum interfectumque Pompeium.

225. *largus habenae*, laxis usus loris. Al. *habenis*

228. *quae purpura*, qui reges.

230. *Ituraeis*, populo Coele-Syriae.

231. *Galli*, Allobroges, qui ad Pompeii partes accesserant, quique in Gallia plerumque contra Caesarem steterant.

233. *Eripe* etc. Collatas huc omnes undique gentes obiice Caesari, o Pompei, internecione delendas; ita non erunt, quibus imperet, de quibus triumphet

234. *semel*, eodem loco eodemque die.

Ad segetum raptus moturus signa, repente
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Aeger quippe morae, flagransque cupidine regni,
Coeperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. / Discrimina postquam
Adventare ducum, supremaque proelia vidit,
Casuram et fati sensit nutare ruinam,
Illa quoque in ferrum rabies promptissima paullum
Languit, et casus audax spondere secundos
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt. Formidine mersa,
Prosilit hortando melior fiducia vulgo:
O domitor mundi, rerum fortuna mearum,
Miles, adest toties optatae copia pugnae.
Nil opus est votis: iam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Caesar, habetis.
Haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cuius spe movimus arma,
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
[Haec eadem est, hodie quae pignora, quaeque penates
Reddat, et emerito faciat vos Marte colonos.]
Haec, fato quae teste probet, quis iustius arma
Sumserit: haec acies victum factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
Nunc pugnate truces, gladiosque exsolvite culpa.

257. Hi versus in vetustis haud paucis desiderantur.

241. *exiguo tractu*, propter parvum spatium, quo pugna adhuc differebatur.

242. *damnare*, vituperare, tamquam nefas nimis lentum.

245. *rabies* sc. solita Caesaris.

246. *casus audax spondere secundos*, h. e. cum alibi semper assuetus esset secundos casus exspectare.

247. *quam nec*, quoniam partim propter solitam suam felicitatem non desperabat, nec vero etiam sperare victoriam poterat ob felicitatem in praeteritis Pompeii.

248. *Formidine mersa*, abiecta formidine, restabat ei fiducia, melius apta hortandis suis.

255. *promissam*, per Laelium tribunum. Cf. I, 359. sqq.

256. *triumphos remeare vetitos*, h. e. triumphos nostros, quibus debuissemus Romam remeare ex Gallia, quique vetiti sunt agi ob inimicorum invidiam.

259. *fato teste*, i. e. eventu. Probatur enim victoris caussa, damnatur victi.

261. Si vos parati fuistis, pro mea caussa vel patriam et parentes hostiliter invadere.

262. *exsolvite culpa*, victores enim nemo culpabit.

Nulla manus, belli mutato iudice, pura est
Non mihi res agitur, sed vos ut libera sitis
Turba, precor, gentes ut ius habeatis in omnes.
Ipse ego, privatae cupidus me reddere vitae,
Plebeiaque toga modicum componere civem,
Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.
Invidia regnate mea. Nec sanguine multo
Spem mundi petitis: Graiis delecta iuventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palaestrae,
Et vix arma ferens, et mixtae dissona turbae
Barbaries; non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. Civilia paucae
Bella manus facient: pugnae pars magna levabit
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palam, quas tot duxit Pompeius in urbem
Curribus, unius gentes non esse triumphi.
Armeniosne movet, Romana potentia cuius
Sit ducis? aut emptum minimo vult sanguine quisquam
Barbarus, Hesperiis Magnum praeponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
Quos novere, magis. Sed me Fortuna meorum
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis. Cuius non militis ensem
Agnoscam? coelumque tremens quum lancea transit,
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto.

289. Ar. Ac. V. a. b. c. d. *vibrata*. — C. *librata*.

263. *mutato iudice*, h. e. si vicerit adversarius. Tum enim iudices nostri, erunt adversarii asseclae.

267. *componere*, modicum compositumque civem agere.

268. idem tamen nolo nihil esse, h. e. eousque volo imperare, donec vobis ius paravero in totum mundum.

269. *Invidia* etc. Paretur vobis imperium, ita ut omnis culpa in me coniiciatur. — *Nec s.* Argumentatur a facilitate.

274. *suum*, a se ipsis excitatum. — *paucae manus*, pauci viri Romani sunt, qui vere pugnando bellum civile facient in exercitu Pompeii. Maximus pugnae labor versabitur in depugnandis gentibus exteris.

277. *Ite per*, oppugnate.

279. *quas tot* etc. Fiat palam, omnes illos populos, de quibus toties Pompeius triumphavit, non dignos esse, de quibus semel triumphetur.

281. An credidis, Armeniorum magnopere interesse, quis imperator sit summus Romanorum?

285. magis eos oderunt, a quibus primum sunt devicti, et quos noverunt.

288. *coelum*, aërem.

Quodsi signa ducem numquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces:
Vicistis. Videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul reges, sparsumque senatus
Corpus, et immensa populos in caede natantes.
Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes
Vocibus his teneo. Veniam date bella trahenti:
Spe trepido: haud umquam vidi tam magna daturos,
Tam prope me superos: camporum limite parvo
Absumus a votis. Ego sum, cui Marte peracto,
Quae populi regesque tenent, donare licebit.
Quone poli motu, quo coeli sidere verso,
Thessalicae tantum, superi, permittitis orae?
Aut merces hodie bellorum, aut poena paratur.
Caesareas spectate cruces, spectate catenas,
Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Septorumque nefas, et clausi proelia Campi.
Cum duce Sullano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. Nam me secura manebit
Sors quaesita manu: fodientem viscera cernet
Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
Di, quorum curas abduxit ab aethere tellus
Romanusque labor, vincat, quicumque necesse
Non putat in victos saevum destringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas. Pompeius in arcto

290. *signa* sc. audaciae in vobis ipsis conspicua. — *ducem*, me.

296. *trahenti*, h. e. pugnam moranti mihi.

297. *trepido*, exulto.

300. *donare* sc. vobis, agros, praedam, pecuniam.

301. Quasi admirabundus quaerit: Qua coeli facie et influxu permissum est Thessaliae, ut sit tanti certaminis area? Contrarium vide infra vs. 847.

304. Ponite vobis ante oculos me, si victus fuero, cruci fixum, catenisque vinctum, et caput meum rostris impositum.

306. *septorum nefas*. Confer locum lib. II, vs. 196, ubi narratur sub Sylla magna pars populi caesa esse intra septa s. ovilia Campi Martii, quibus in ovilibus claudebantur cives ad suffragia in comitiis ferenda. Eiusmodi spectacula, ait, redibunt, cum victi fuerimus. Nam —

307. cum Pompeio gerimus bellum, qui Syllae quasi discipulus.

308. *Nam me* etc. Nam ego me ipsum interimam.

311. Dii, qui haec proelia curatis, vincat is, qui post victoriam mitis futurus est.

315. Pompeius quum ad Dyrrhachium vos clausos teneret, (cf. VI, 292.) quum virtus vestra non movere se posset, neutiquam vobis pepercit. Quamquam Lucanus l. c. plane contrarium refert.

Agmina vestra loco, vetita virtute moveri,
Quum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro, iuvenes, ne caedere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.
Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
Ignoti iugulum tamquam scelus impetat hostis.
Sternite iam vallum, fossasque implete ruina,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. Vix cuncta locuto
Caesare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumpta viris. Celeres capiunt praesagia belli,
Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nulla; permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suae funesto in Marte locasses,
Non tam praecipiti ruerent in proelia cursu.
Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompeius, nullasque moras permittere bello,
Sed superis placuisse diem: stat corde gelato
Adtonitus: tantoque duci sic arma timere
Omen erat. Premit inde metus, totumque per agmen
Sublimi provectus equo: *Quem flagitat*, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
Quem quaesistis, adest. Totas effundite vires;

325. *impetat* Ar. Ae. — V. *imputet*. Sensus: nullo discrimine habeat quem impetat, sive consanguineus sit sive ignotus.
331. V. Ar. c. — C. Ae. a. b. d. *Sumta Ceresque viris.*

325. *Ignoti* etc. pari fortitudine impetat iugulum ignoti hostis, atque parentis. Ea atrocitate invadat ignotum, qua invaderet cognatum.

326. Imo, ne nobis castra supersint, quo fugere possimus, prosternite ipsi vallum.

327. *non sparsa*, nemine in castris relicto. — *tendetis* sc. tentoria in hostium castris, ex quibus accedit acies Pompeii iam interitura.

331. *Celeres* etc. Festini demoliuntur vallum castrorum, tamquam victoriae omen capientes suprema Caesaris verba: *Vallo tendemus in illo* etc.

332. *castris*, suis. — *ruunt*, proruunt in aciem.

334. Si totidem omnes Caesares fuissent, non tam cupidi pugnae fuissent.

337. *in rectum*, adversum se tendentes.

Extremum ferri superest opus, unaque gentes
Hora trahit. Quisquis patriam carosque penates,
Qui sobolem ac thalamos desertaque pignora quaerit,
Ense petat: medio posuit deus omnia campo.
Caussa iubet melior superos sperare secundos:
Ipsi tela regent per viscera Caesaris, ipsi
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo mundumque pararent,
Praecipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis urbique deorum est,
Pompeium servare ducem. Quae vincere possent,
Omnia contulimus. Subiere pericula clari
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent reducesque Camillos
Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
Hinc starent. Primo gentes Oriente coactae,
Innumeraeque urbes, quantas in proelia numquam
Excivere manus. Toto simul utimur orbe.
Quidquid signiferi comprensum limite coeli
Sub Noton et Borean hominum sumus, arma movemus.
Nonne superfusis collectum cornibus hostem
In medium dabimus? | Paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore catervae
Bella gerent. Caesar nostris non sufficit armis.
Credite pendentes e summis moenibus urbis
Crinibus effusis hortari in proelia matres.
Credite, grandaevum, vetitumque aetate senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.

349. *caussa melior* sc. nostra.

350. *Ipsi*, dii.

351. *hoc*, Caesaris.

356. *subiere*, sunt nobiscum clarissimi viri, et fortissimorum virorum nepotes.

357. *antiquus*, cuius gloria gentis iam antiqua.

360. *primo*, h. e. ultimo, ubi sol primus oritur.

363. Quidquid hominum sumus (h. e. est) sub coelo, militamus omnes pro republica.

365. Nonne hostem, cornibus aciei nostrae cinctum, tamquam praedam in medio positam, conficiemus?

368. *non sufficit*, sc. ad trucidandum. Habuit Caesar circa 22000 cum mille equitibus, Pompeius plus 40000 cum 7000 equitibus, praeter exteros populos.

369. *Credite*, ponite vobis ob oculos. — *pendentes*, stantes, tamquam in obsessa urbe.

372. *pedibus prosternere canos*, sc. crines, i. e. capita prosternere coram vobis, h. e. supplices vos rogare, ut fortiter pugnetis.

Credite, qui nunc est populus, populumque futurum
Permixtas adferre preces. Haec libera nasci,
Haec vult turba mori. Si quis post pignora tanta
Pompeio locus est, cum prole et coniuge supplex,
Imperii salva si maiestate liceret,
Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exsul,
Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata
Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex. Tam moesta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur; placuitque mori, si vera timeret.
Ergo utrimque pari concurrunt agmina motu
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hae facient dextrae, quidquid non expleat aetas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. Gentes Mars iste futuras
Obruet, et populos aevi venientis in orbem
Erepto natale feret. Tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae,
Albanosque lares Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet, nisi nocte coacta,
Invitus, questusque Numam iussisse, senator.
Non aetas haec carpsit edax, monimentaque rerum
Putria destituit: crimen civile videmus,

374. *populus* An. Ae. C. a. b. d. — V. *populum*.

375. *haec* sc. futura.

376. *Haec* sc. quae nunc vivit. — *mori* sc. libera.

379. *Magnus*, i. e. ego, qui, nisi viceritis, exul ero, deprecor mortem.

381. *cardinis*, vitae spatii.

384. *si vera timeret*, sc. Pompeius. Decrevere apud se vel mori pro republica, si vere ea timenda essent, quae timenda esse oratione ostendit Pompeius.

386. *irarum*, h. e. cupidine pugnandi. Cf. I, 292. II, 93. 324. [illegible]. etc.

387. Hae dextrae tantum occident hominum, quantum nulla aetas poterit reparare.

389. *Ut*, quamquam, quantumvis.

390. *et populos feret* h. e. auferet venturae aetatis prolem, sublatis iis, qui sobolem propagassent.

391. *Tunc* etc. Nemo tum credet, Romanos tantum potuisse perficere bello.

393. vix monstrare poterunt ruinae pulvere tectae.

395. *Rus* sc. vix monstrabit. — *nisi senator* sc. in feriis Latinis. — *nocte coacta*, quippe quo festo lex cogebat Albae longae sacrificium offerre consules. Ita enim iusserat Numa.

398. *destituit putria*, h. e. putria adstare fecit. Cf. VI, 734. *Stygiasque canes in luce superna Destituam.*

Tot vacuas urbes Generis quo turba redacta est
Humani? Toto populi qui nascimur orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto fossore coluntur
Hesperiae segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi faece repletam,
Cladis eo dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri. Pharsalia tanti
Caussa mali. Cedant feralia nomina Cannae,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
Tempora signavit leviorum Roma malorum:
Hunc voluit nescire diem. Pro tristia fata!
Aera pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes,
Moeniaque in praeceps laturos plena tremores
Hi possent explere viri, quos undique traxit
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens aevi, populosque ducesque
Constituit campis: per quos tibi, Roma, ruenti
Ostendat, quam magna cadas. Quo latius orbem
Possedit, citius per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terrae spatium restabat Eoae,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret aether,
Omniaque errantes stellae Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit, par omnibus annis,

399. *tot vacuas urbes*. Cf. de hac re I, 24. sqq.
402. *vincto fossore*, h. e. coacto, a servis, quum domini sint extincti bello civili.
404. *in nullos* sc. habitatores. Deserta enim.
409. *Allia*, ad quam victi olim Romani a Gallis.
•410. Fasti loquuntur leviora tantum mala; de Pharsalica pugna tacent.
414. Suffecissent hi qui in proelio Pharsalico ceciderunt, reparandis damnis humani generis e peste et morbis contagiosis, e fame, incendiis, terrae motibus.
415. *quos* etc. quos populos undique in Pharsalicos campos Fortuna contraxit.
416. *dum* etc. dum uno obtuitu ostendit populum ab longo aevo genitum, quem eripiat urbi.
419. *Quo l.* Quanto maior fuit fortuna Romana, tanto brevior.
421. Tu, Roma, omnibus ex bellis incrementa cepisti.
422. *in geminum axem*, in Septentrionem et meridiem.
424. *curreret aether*, omne coelum circa tua volveretur. — *tota dies*, Oriens et Occidens.
426. *par omnibus annis*, h. e. dies Emathiae una, quae valuit

Emathiae funesta dies. Hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Dahas in moenia ducat,
Sarmaticumque premat succinctus consul aratrum.
Quod semper saevas debet tibi Parthia poenas,
Quod, fugiens civile nefas redituraque numquam,
Libertas ultra Tigrim Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis iugulo quaesita, vagatur,
Germanum Scythicumque bonum, nec respicit ultra
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris,
Vulturis ut primum laevo fundata volatu
Romulus infami complevit moenia luco,
Usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas.
De Brutis, Fortuna, queror. Quid tempora legum
Egimus, aut annos a consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis.
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profecto
Numina: quum caeco rapiantur secula casu,
Mentimur regnare Jovem. Spectabit ab alto
Aethere Thessalicas, teneat quum fulmina, caedes?
Scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Oeten,
Immeritaeque nemus Rhodopes, pinusque Mimantis:
Cassius hoc potius feriet caput? Astra Thyestae

434. *vagatur* Ar. C. a. b. c. — V. Ae. *negatur*.
450. Sic C. — V. *minantes*.

evertere simul omnium annorum incrementa.

429. et ne Roma armis subigat Dahas nomades, eosque vetet erraticam vitam agere et oppida habitare cogat.

430. Neque Sarmatis urbis loca designet consul succinctus; quod fiebat aratro, subiunctis vacca et tauro, sulcum ducente, ubi moenia ponerentur.

431. *debet*, h. e. non solvit.

432. Quod libertas in extremas terras recessit.

434. *iugulo*, vitae discrimine.

436. *vellem* etc. hanc libertatem utinam Romani non novissent unquam, sed potius ab urbe condita ad haec usque Thessalicae cladis tempora sub regibus vixissent.

437. *ut*, ex quo.

438. *complevit* sc. incolis. — *luco*, h. e. ad lucum, in quo ille asylum constituerat servis, obnoxiis, sceleratis.

440. Fingit se exprobrare Bruto, quod reges eiecerit. — *legum*, reipublicae.

444. Nos omnium populorum postremi in id iugum ex libertate incidimus, quod non nisi gravate et cum pudore perpetimur.

449. *Scilicet;* non enim credibile est, Jovem montes ferire fulminibus potius, quam Pharsaliam, aut Caesarem.

451. *hoc* sc. Caesaris.

Impulit, et subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios patrumque gerenti
Thessaliae dabit ille diem? Mortalia nulli
Sunt curata deo. Cladis tamen huius habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radiisque ornabit, et astris,
Inque deûm templis iurabit Roma per umbras.
Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumsere locum: parva tellure diremti,
Inde manus spectant, vultusque agnoscere quaerunt,
Quo sua pila cadant, aut quae sibi fata minentur,
Facturi quae monstra forent. Videre parentes
Frontibus adversis, fraternaque cominus arma,
Nec libuit mutare locum. Tamen omnia torpor
Pectora constrinxit: gelidusque in viscera sanguis
Perculsa pietate coit: totaeque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.
Di tibi non mortem, quae cunctis poena paratur,
Sed sensum post fata tuae dent, Crastine, morti,
Cuius torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.

452. *Impulit* Ar. a. d. — V. *Abstulit.* — Al. et C. *Intulit.*
462. 463. Sic Ar. Ae. et *manus* a. b. c. d., qui tamen in sq. *quam* pro *quae.* — V. *manum* — *aut qua.* — C. inversis vss: *Quo sua pila cadant, aut quam sibi fata m., Inde manum sp.: tempus, quo noscere possent, Facturi qu. m. f.*

453. *Tot similes*, h. e. cognatos sibi. Jupiter patietur in Thessalia diem dari pugnae inter tot fratrum patrumque gladios cognatos?

455. *cladis* etc. Sed ipsi superi huius cladis poenas dabunt. Fiet enim, ut imperatores divi vocentur, Diisque ipsis aequentur.

458. Roma ornabit manes Caesaris fulminibus et radiis et astris, et in deorum templis per umbras iurabit, h. e. Roma Caesarem inter divos numerabit, ideo quod fulmina et sidera et astra eius in coelum introitum significaverint, etc. Cf. Suet. Caes. 88. Virg. Ecl. IX, 47. Hor. Epist. II, 1, 16.

461. *locum*, inter utramque aciem.

462. Postquam brevi tantum spatio diremti sunt, utriusque aciei milites adspiciunt adversarios suos, et oculis agnoscunt singulos, in quorum aut vultus ipsi sua pila emittant, aut quorum manus sibi mortem minentur, dum facturi sunt scelera.

466. *mutare locum*, recedere, aut alium in locum se transferre, ne cum consanguineis pugnarent.

471. Crastinus evocatus in exercitu Caesaris primus pilum emisit in pugna Pharsalica.

O praeceps rabies, quum Caesar tela teneret,
Inventa est prior ulla manus! Tunc stridulus aer
Elisus lituis, conceptaque classica cornu:
Tunc ausae dare signa tubae: tunc aethera tendit,
Extremique fragor convexa irrupit Olympi,
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.
Excepit resonis clamorem vallibus Aemus,
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit fremitus, Pangaeaque saxa resultant,
Oetaeaeque gemunt rupes: vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
Spargitur innumerum diversis missile votis.
Vulnera pars optat, pars terrae figere tela,
Ac puras servare manus. Rapit omnia casus,
Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes.
Sed quota pars cladis iaculis ferroque volanti
Exacta est? Odiis solus civilibus ensis
Sufficit, et dextras Romana in viscera ducit.
Pompeii densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma:
Vixque habitura locum dextras ac tela movendi,
Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.
Praecipiti cursu vesanum Caesaris agmen
In densos agitur cuneos: perque arma, per hostem
Quaerit iter. Qua torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus,
Hac quoque perventum est ad viscera: totque per arma
Extremum est, quod quisque ferit. Civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde

478. *irrupit* Ar. C. Ae. c. d. — V. *irrumpit*.
482. *fremitus* C. Ae. a. b. c. d. — V. *gemitus*.

474. *teneret*, contineret adhuc.

475. *prior*, promtior ipsius Caesaris manu ad proelium. — *Tunc*, statim.

478. Hyperbole. Clangor tubarum ad coelum usque penetravit, quo nullae nubes nullaque tonitrua penetrant.

483. *vocesque* etc. et milites pugnantes expavere resonos repercussosque a montibus suos clamores.

486. *Vulnera* sc. inferre.

488. *incerta*, et incerta Fortuna, quos vult, nocentes facit, h. e. casus tela in cives suos dirigit.

489. Sed minimum tamen caedis a sagittis perpetratum, plurimum a gladiis.

495. *tenebat*, continebat.

498. *catenas*, h. e. circa collum et pectus, ubi lorica hamis et liciis est conserta, pectusque tegit.

501. *extremum*, h. e. intima pars, viscera.

502. *una*, Pompeii, gerit Caesaris. — *inde*, a parte Pompeii frigidiores fuere gladii.

Stat gladius; calet omne nocens a Caesare ferrum.
Nec Fortuna diu, rerum tot pondera vertens,
Abstulit ingentes, fato torrente, ruinas.
Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques, bellique per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, saevasque manus immittit in hostem.
Illic, quaeque suo miscet gens proelia telo,
Romanus cunctis petitur cruor. Inde sagittae,
Inde faces et saxa volant, spatioque solutae
Aeris et calido liquefactae pondere glandes.
Tunc et Ituraei, Medique Arabesque, soluto
Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas,
Sed petitur solus, qui campis imminet, aer:
Inde cadunt mortes. Sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum
Circa pila nefas. Ferro subtexitur aether,
Noxque super campos telis conserta pependit.
Tum Caesar, metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,

504. *vertens* Ar. Ae. a. b. d. — V. *vergens.*

504. Et Fortuna, tot rerum pondera vergens, non diu abstulit ingentes ruinas, fato torrente. — *abstulit*, morata est. — *torrente*, ruente. — *vergens*, librans. — *non diu abstulit ruinas*, brevi ostendit, quo se inclinarent res.

507. *belli*, i. e. proelii, aciei. — *per ultima*, h. e. per extremam aciei partem. — *fudit*, h. e. effudit sc. cornua.

508. *sparsa*, emissa.

509. *insequitur* sc. post equites.

510. *quaeque*, i. e. quaecunque.

511. *Inde*, i. e. alii emittebant sagittas, alii tedas flagrantes, alii saxa, alii *glandes*, h. e. globulos plumbeos, tanta vi, ut plumbum propter gravitatem et spatium solveretur et liquefieret.

515. *nusquam*, in aërem misere, ut caderent letiferae.

517. Sed scelere vacabant hae sagittae ab externis gentibus in Romanos missae; nullos enim cives suos vulneravere.

518. *externum*, al. l. *extremum*, ex ultimis terris.

519. *subtexitur*, obducitur tamquam nube. — *aether*, aër.

522. *obliquas*. Narratur haec res ab auct. Belli civilis III, 93. 94. ita tamen ut pariter atque hic rem non satis clare perspicias, quomodo acta fuerit. Apud Caesarem quarta acies processit contra Pompeianum equitem, eumque fudit. — *tenet*, i. e. quietas tenet aut retinet. — *obliquas*, an ita positas, ut quasi transversi collocati essent singuli manipuli, quo paratiores essent ad procurrendum in latus aciei?

523. *belli*, aciei.

Immittit subitum non motis cornibus agmen.
Immemores pugnae, nulloque pudore timendi
Praecipites fecere palam, civilia bella
Non bene barbaricis umquam commissa catervis.
Ut primum sonipes transfixus pectora ferro
In caput effusi calcavit membra regentis:
Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes
In sua conversis praeceps ruit agmina frenis.
Perdidit inde modum caedes, ac nulla secuta est
Pugna, sed hinc iugulis, hinc ferro bella geruntur:
Nec valet haec acies tantum prosternere, quantum
Inde perire potest. Utinam, Pharsalia, campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora; non alio mutentur sanguine fontes;
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,
Istis parce precor: vivant Galataeque Syrique,
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omnes
It timor, et fatis datus est pro Caesare cursus.
   Ventum erat ad robur Magni, mediasque catervas.
Quod totos errore vago perfuderat agros,

524. *subitum agmen*, ipsas illas cohortes.

525. *Immemores* sc. Pompeiani equites. — *nulloque pudore timendi*, h. e. non formidabiles ullo pudore. Qui enim pudorem habet, is timendus fit fortitudine.

528. *Ut primum* etc. Ubi equi Pompeianorum, quartae illius aciei telis saucii, excusserunt pronos sessores, fugam capessunt equites.

530. *pubes*, equites.

533. *hinc iugulis*, h. e. Pompeiani nonnisi eo pugnabant, ut iugulum suum praeberent. — *hinc ferro*, a parte Caesarianorum.

534. *haec acies*, Caesaris.

535. *inde*, a partibus Pompeianorum.

536. *iste* sc. externorum populorum. Utinam nonnisi externi cecidissent.

537. *mutentur*, nec aquarum fontes in Thessalia alio quam externo sanguine inficiantur, h. e. nullo Romanorum civili.

538. *Hic*, exterorum qui in ea acie ceciderunt. — *vestiat*, contegat ossibus agros.

540. *Istis*, exteris, ne et hi et Romani simul intercidant.

541. *extremi orbis*, qui in extremo orbe habitant.

543. *Hic*, hi sc. exteri efficient populum Romanum. — *Semel*, postquam semel ortus est timor, ad omnes ille propagatur.

545. *medias*, h. e. ad centrum, ubi Romani constiterant.

546. In fine versus praecedentis ponendum punctum. Hic autem versus cum sequenti iungendus, ut sit constructio: Bellum, h. e. proelium, quod in aliis partibus totum campum vagantibus maniplis perfuderat,

Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.
Illic non regum auxiliis collecta iuventus
Bella gerit, ferrumque manus movere rogatae:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.
Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Caesar.
Hanc fuge, mens, belli partem, tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat me vate malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, aetas.
Hae potius pereant lacrymae, pereantque querelae.
Quidquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo.
Hic Caesar, rabies populis, stimulusque furorum,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus, atque animis ignes flagrantibus addit:
Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent,
Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,
Quae presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis praestet bella iubenti,
Quem pugnare iuvet, quis vultum cive peremto
Mutet: obit latis proiecta cadavera campis:
Vulnera multorum, totum fusura cruorem,
Opposita premit ipse manu. Quacumque vagatur,

548. *Illic non* Ar. — V. *Non illic.*
549. *rogatae* Ar. C. Ae. a. b. d. — V. *togatae.*
552. *belli partem* C. — V. *partem belli.*
555. *Hae* Ar. Ae. — b. *hah.* — d. *ac.* — a. *Hac.* — V. *Ah.*
557. Sic C. — V. *populi* — *furoris.* Ar. Ae. *furorum.*
559. *animis ignes* C. — V. *ignes animis.*

hic stetit, ita ut fortunam Caesaris aliquantisper moraretur. Editiones omnes perperam distinguunt.

548. Non illic externi stabant.

549. *ferrumque,* h. e. nec ferrum movere manus — *rogatae,* h. e. sociorum; sed ibi fratres stabant.

553. Nullaque aetas, me vate tantorum malorum, discat, quam crudelia fiant facinora in bello civili.

557. *rabies,* h. e. qui stimulabat ad rabiem.

558. *Ne qua p.* h. e. ne bellum civile aliqua parte mitius geratur. — *agmina circum It,* h. e. circumit agmina.

560. Explorat suorum audaciam, et discernit, qui totum gladium imbuerint sanguine, qui tantum mucronem eius,

562. qui tremant, ubi gladio aliquem consanguineorum ceciderint.

563. *quis praestet* etc. Quis iussu potius quam voluntate pugnet.

566. *vulnera,* videlicet suorum.

567. *premit,* comprimit. — *Quacumque* etc. Quocumque Caesar venit, ibi (571) nox scelerum et caedes oriuntur, tamquam si Bellona vagetur, flagellum quatiens, aut sicuti Mars, Thracum dux, saevo verbere currus stimulet, aegide Palladis turbatos. — *currus* i. q. equos. — *turbantur equi Martis,*

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere saevo
Palladia stimulet turbatos aegide currus,
Nox ingens scelerum, et caedes oriuntur, et instar
Immensae vocis gemitus, et pondere lapsi
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Adversosque iubet ferro confundere vultus.
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversae cessantes excitat hastae.
In plebem vetat ire manus, monstratque senatum.
Scit, cruor imperii qui sit, quae viscera rerum:
Unde petat Romam, libertas ultima mundi
Quo steterit ferienda loco. Permixta secundo
Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro
Urgentur: caedunt Lepidos, caeduntque Metellos,
Corvinosque simul, Torquataque nomina, regum
Saepe duces, summosque hominum, te, Magne, remoto.
Illic, plebeia contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum, Brute, tenebas!
O decus imperii, spes o suprema senatus,
Extremum tanti generis per saecula nomen,
Ne rue per medios nimium temerarius hostes,
Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua. Nil proficis istic
Caesaris intentus iugulo: nondum attigit arcem
Juris, et, humanum culmen, quo cuncta premuntur,

579. *rerum* C. a. b. — V. *legum*. Ar. Ae. *regum*.
584. *regum* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *legum*.
594. *premuntur* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *reguntur*.

aegide Palladis, est: retorquent se territi adspectu aegidis Minervae, quae est in adversariorum exercitu, uti ad Troiam fuit.

571. *et instar*, et gemitus oriuntur instar immensae vocis.

574. *subiicit*, ministrat.

577. Qui cessant pugnare, eos excitat, percutiens eos hasta conversa.

580. *ultima*, intima, quasi ilia libertatis.

581. *secundo ordine*, i. e. ordine equitum.

585. *remoto*, excepto.

587. *quod ferrum*, i. e. quem in usum! nimirum ut Caesarem occideres.

589. Extremus e stirpe Brutorum, quae per tot saecula floruit.

590. Noli temerarie in hostes irruere.

591. nec mortem tuam accelera. Nam ad eosdem Philippos morieris, et in eadem Thessalia, verum non hoc proelio. Cf. ad I, 680.

592. *istic*, in pugna, quippe interfecturus eum in senatu.

594. *Juris*, potestatis summae.

Egressus, meruit fatis tam nobile letum.
Vivat, et, ut Bruti procumbat victima, regnet.
Hic patriae perit omne decus: iacet aggere magno
Patricium campis non mixta plebe cadaver.
Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
Pugnacis Domiti, quem clades fata per omnes
Ducebant. Nusquam Magni Fortuna sine illo
Succubuit: victus toties a Caesare, salva
Libertate perit. Tunc mille in vulnera laetus
Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
Viderat in crasso volventem sanguine membra
Caesar, et increpitans; *Jam Magni deseris arma,*
Successor Domiti; sine te iam bella geruntur.
Dixerat: ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit:
Non te funesta scelerum mercede petitum,
Sed dubium fati, Caesar, generoque minorem
Adspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo: te saevo Marte subactum,
Pompeioque graves poenas nobisque daturum,
Quum morior, sperare licet. Non plura locutum
Vita fugit, densaeque oculos pressere tenebrae.
Impendisse pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
Quaerere, letiferum per cuius viscera vulnus
Exierit; quis fusa solo vitalia calcet;
Ore quis adverso demisso faucibus ense

598. *non mixta* Ar. Ae. C. d. b. a. — V. *commixta.*
605. Sic Bersm. atque Ar. *solventem.* — V. *versantem.*
615. *morior* Ar. Ae. C. a. b. — V. *Cum moriar.*

— *et humanum*, et nondum egressus humanum culmen, h. e. summum honorem pop. Rom., quo cuncta reguntur.

600. *Domitii*, de quo v. II, 479. ubi item vocatur *pugnax*. — *quem clades* etc. Cf. supra vs. 220. Sensus: qui ubique succubuit.

602. *salva libertate*, ante occidit, quam libertas Romana.

604. *secunda*, semel enim condonarat ei Caesar ad Corfinium. Cf. II, 512. 522.

607. *Successor*, qui fueras designatus, ut mihi in Gallia succederes.

610. Sensus: Felix morior, eo quod morior, antequam victor sis Pompeiumque dignitate superaveris, et quod liber morior. Sic enim mihi adhuc licet sperare, te victum iri a Pompeio.

617. Sensus: Taedet me, singula facinora pugnae perscribere.

619. *letiferum* etc. qui per viscera sua letifero telo vulneratus fuerit. — *vulnus* pro *telo*.

620. quis ipse viscera sua solo fusa pedibus calcaverit.

Expulerit moriens animam; quis corruat ictu,
Quis steterit, dum membra cadunt: quis pectore tela
Transmittat, vel quos campis adfixerit hasta:
Quis cruor emissis perruperit aera venis,
Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
Caedat, et, ut notum possit spoliare cadaver,
Abscisum longe mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira,
Quem iugulat, non esse patrem. Mors nulla querela
Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus.
Non istas habuit pugnae Pharsalia partes,
Quas aliae clades: illic per fata virorum,
Per populos hic Roma perit: quae militis illic,
Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achaeus,
Ponticus, Assyrius: cunctos haerere cruores
Romanus campisque vetat consistere torrens.
Maius ab hac acie, quam quod sua saecula ferrent,
Vulnus habent populi: plus est quam vita salusque,
Quod perit: in totum mundi prosternimur aevum:
Vincitur his gladiis omnis, quae serviet, aetas.
Proxima quid suboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci? Pavidi num gessimus arma?
Teximus aut iugulos? Alieni poena timoris

623. *quis pectore tela Transmittat*, *vel qu*. Ar. a. e. — V. *qui. pectora telis transmittant, aut qu*.
625. *emissis* C. a. c. — V. *emissus*.
634. *quae* C. — V. *quod*.
643. *pavidi* Ar. Ae. C. a. b. c. — V. *pavide*.

623. *dum membra cadunt*, truncatus membra, v. c. brachio abscisso. — *quis pect*. per quorum pectus telum transierit.

626. *mittat*, abiiciat, ne fratris truncus agnoscatur.

629. *probet*, ostendat, se non patrem, cuius ora iam laceraverat, sed quempiam aliam iugulare.

630. *mors nulla;* ita detestabiles fuere mortes omnium, ut nulla digna esset, de qua lamentareris.

632. Non comparanda fuit clades Pharsalica cum aliis cladibus. In aliis enim numerabantur fata singulorum virorum, hic populorum.

635. *Sanguis* etc. Illic unius populi sanguis fluxit, hic Romanus cruor vetuit haerere aut consistere campis cunctorum populorum externorum cruorem. Externorum enim cruor per se in campis constitisset haesissetque; at Romanorum tantus fuit, ut secum et externorum auferret. Rursus hic ad *cunctos* suppl. *externorum*, ut saepius apud Lucanum. Cf. ad I, 31.

643. *regnum*, h. e. dominationem unius.

644. *teximus*, noluimus mori. — *Alieni p.* nos poenas luimus timiditatis Pompeianorum.

In nostra cervice sedet. Post proelia natis
Si dominum, Fortuna, dabas, et bella dedisses.
Jam Magnus transisse deos Romanaque fata
Senserat infelix; tota vix clade coactus
Fortunam damnare suam. Stetit aggere campi
Eminus, unde omnes sparsas per Thessala rura
Adspiceret clades, quae bello obstante latebant.
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
Mersa iuvat, gentesque suae miscere ruinae:
Ut Latiae post se vivat pars maxima turbae,
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
Coelicolas, volvitque sui solatia casus:
Parcite, ait, *superi*, *cunctas prosternere gentes:*
Stante potest mundo, *Romaque superstite*, *Magnus*
Esse miser. Si plura iuvant mea vulnera, *coniux*
Est mihi, *sunt nati; dedimus tot pignora fatis.*
Civiline parum est bello si meque meosque
Obruis? exiguae clades sumus, *orbe remoto?*
Omnia quid laceras, *quid perdere cuncta laboras?*
Jam nihil est, *Fortuna*, *meum.* Sic fatur: et arma
Signaque et adflictas omni iam parte catervas

664. *Obruis?* Ar. Ae. egregie; nam alloquitur Fortunam. — V. *Obruat.* C. *Obruet.*

645. *Post proelia;* si vellet Fortuna posteris libertatem adimere, par erat, ut et bellum iis daret, quo ipsi pro se decertarent.

647. *transisse* sc. ad Caesarem. Sic Virg. Aen. II, 326. *Ferus, omnia Jupiter Argos Transtulit.* — *Romanaque fata* sc. transisse. Cf. 686. 719.

648. *tota vix;* ad haec Sulpicius: „etiam accepta tanta calamitate vix suae fortunae maledicere potuit.“ Farnabius cum Schrevelio: „nondum coactus tota clade accepta incusare fortunam suam.“

651. *bello obstante*, dum pugna fervebat.

657. *credere sus tinuit deos dignos suis votis*, h. e. dignos quos precaretur, h. e. etiamnum precatus est deos.

658. *volvit solatia*, animo concepit vota, quasi in solatium casus sui. Pro *volvit* et Argent. et Sulpicius *vovit*, Sulpiciusque: „optavit salutem reliquorum, quae erat ei solatio maximo in tanta ruina.“ Idem habet et Oudendorpius. Sed non credibile, scripsisse Lucanum, propterea quod brevi antecedit *votis*, v. 657. Al. l. *voluit*, inepte.

662. *dedimus tot p. f.* Intelligit ipsam coniugem et liberos, quos quasi fatis dederat, h. e. voverat, quum bellum inciperet.

664. *orbe remoto*, i. e. si orbis excipiatur, h. e. nisi omnis simul orbis pereat? Cf. 585.

Circuit, et revocat matura in fata ruentes,
Seque negat tanti. Nec deerat robur in enses
Ire duci, iuguloque pati vel pectore letum:
Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis:
Caesaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequidquam. Infelix, socero spectare volenti
Praestandum est ubicumque caput. Sed tu quoque, coniux,
Caussa fugae, vultusque tui: fatisque probatum est
Te praesente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingentesque animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat, salvaque verendus
Maiestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis praestare malis. Non impare vultu
Adspicis Emathiam: nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt:
Quamque fuit laeto per tres infida triumphos,
Tam misero Fortuna minor. Jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora laeta
Respexisse vacat: spes numquam implenda recessit:
Quid fueris, nunc scire licet. Fuge proelia dira,
Ac testare deos, nullum, qui perstet in armis,
Jam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic et Thessalicae post te pars maxima pugnae.
Non iam Pompeii nomen populare per orbem,

676. Sic Arg. — V. omittit *est*. — C. *fatisque negatum te absente mori.*

668. *matura*, signum receptui dat proclivibus ad subitam mortem.

669. *tanti*, propter quem occidant.

672. *ne non fugeret*, ne cum desperatione ad internecionem pugnarent.

676. *vultusque tui*, h. e. et imago eius, quae Pompeii obversabatur animo. Cf. 774.

682. *Non impare*, h. e. eodem, quo ante cladem.

685. Et quam Fortuna fuit minor laeto (sc. Pompeio) per tres triumphos, tam minor (h. e. nihil in eum valuit) fuit misero.

686. *pondere*, levatus onere rerum et imperii.

687. *Nunc* etc. Nunc tibi otium est frui memoria anteactae felicitatis.

691. *tibi*, tuum in usum. — *ceu fl.* Tu non caussa fuisti eius cladis, quae post abitum tuum ad Pharsaliam adhuc secuta est, quemadmodum nec earum cladum, quae post mortem tuam secutae sunt in Africa, aut ad Mundam, aut in Aegypto.

694. Non iam Pompeii caussa aut studio belli pugnabitur, sed

Nec studium belli: sed par, quod semper habemus,
Libertas et Caesar erunt: teque inde fugato
Ostendit moriens, sibi se pugnasse, senatus.
Nonne iuvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectasse nefas, spumantes caede catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes,
Et soceri miserere tui. Quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quidquid in ignotis solus regionibus exsul,
Quidquid sub Phario positus patiere tyranno;
Crede deis, longo fatorum crede favori,
Vincere peius erat. Prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos: lacrymas luctusque remitte.
Tam mala Pompeii, quam prospera, mundus adoret.
Adspice securus vultu non supplice reges:
Adspice possessas urbes, donataque regna,
Aegyptum Libyamque: et terras elige morti.
  Vidit prima tuae testis Larissa ruinae
Nobile, nec victum fatis caput. Omnibus illa
Civibus effudit totas per moenia vires:
Obvia, ceu laeto, praemittunt munera flentes:
Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
Scilicet immenso superest ex nomine multum:
Teque minor solo, cunctas impellere gentes
Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
Sed, *quid opus victo populis aut urbibus?* inquit:
Victori praestate fidem. Tu, Caesar, in alto
Caedis adhuc cumulo patriae per viscera vadis:
At tibi iam populos donat gener. Avehit inde
Pompeium sonipes: gemitus lacrimaeque sequuntur;
Plurimaque in saevos populi convicia divos.
Nunc tibi vera fides quaesiti, Magne, favoris

697. *Ostendit* Ar. C. Ae. a. b. c. — V. *Ostendet.* — 699. *Prospectasse* C. c. d. — V. *Prospectare.* Ar. Ae. *Perspectasse.*

Libertas et Caesar, tamquam par gladiatorium, inter se confligent.

705. *Crede*, persuasum tibi habe propter longum deorum Fortunaeque favorem, quem expertus es, melius fuisse vinci, quam vincere, in hoc bello.

709. *reges* sc. earum terrarum, per quas fugies.

710. *possessae* sc. olim a te imperatore. — *donataque* sc. a te olim.

718. *Teque minor solo*, h. e. sique minor te fuisses, potuisses bellum renovare. Cf. 666.

725. *populi*, Larissaei.

726. *Nunc*, sc. cum infelix eras, expertus es favorem mortalium. Nam qui felix est, nescit se amari.

Contigit, ac fructus. Felix se nescit amari.
Caesar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro manibusque suorum
Jam ratus, ut viles animas perituraque frustra
Agmina permisit vitae. Sed castra fugatos
Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem,
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum Fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus, grave ne fessis ac Marte subactis
Hoc foret imperium. Non magno hortamine miles
In praedam ducendus erat: *Victoria nobis*
Plena, *viri*, dixit: *superest pro sanguine merces*,
Quam monstrare meum est: neque enim donare vocabo,
Quod sibi quisque dabit. Cunctis en plena metallis
Castra patent: raptum Hesperiis e gentibus aurum
Hic tacet, *Eoasque premunt tentoria gazas.*
Tot regum fortuna simul Magnique coacta
Exspectat dominos: propera praecedere, *miles*,
Quos sequeris: quascumque tuas Pharsalia fecit,
A victis rapiantur opes. Nec plura locutus,
Impulit amentes aurique cupidine caecos,
Ire super gladios supraque cadavera patrum,
Et caesos calcare duces. Quae fossa, quis agger
Sustineat pretium belli scelerumque petentes?
Scire volant, quanta fuerint mercede nocentes.
Invenere quidem spoliato plurima mundo
Bellorum in sumtus congestae pondera massae:
Sed non implevit cupientes omnia mentes.

746. *Nec plura locutus* Ar. Ae. V. c. d. — C. a. b. *Sic milite iusso.* — 751. *Scire volant.* Sic Aug. Illycinus. — C. *Scire ruunt.* — V. Ar. Ae. a. b. c. d. *Scire volunt.*
754. *implevit* C. a. b. c. d. — V. Ar. Ae. *implerunt.*

728. *Hesperio*, Italico, Romano.
730. *ut viles*, plebeios et gregarios milites, nec sibi futuros impedimento.
731. *Sed castra*, sed tamen Pompeii castra adhuc expugnanda censet. Ad *pellat* suppl. *ne.*
735. *subactis* sc. suis militibus. — *Marte*, i. e. proelio fessis.
736. Non magno hortamine ad id opus erat.
738. Sensus: Superest nobis adhuc ad plenam victoriam, ut mercedem capiamus pro caedibus factis.
744. *dominos*, h. e. vos.
745. *Quos sequeris*, h. e. praeoccupare castra, et antevertere hostes ad castra fugientes. — *Sequeris* pro *persequeris.* — *Quascunque*, rapite vobis iam a victis opes, quas victoria vobis dedit proprias.
751. *volant*, properant. Vide var. lect.
753. *massae*, auri et argenti.

Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus extulit auri,
Quod legit dives summis Arimaspus arenis
Ut rapiant, parvo scelus hoc venisse putabunt.
Quum sibi Tarpeias victor desponderit arces,
Quum spe Romanae promiserit omnia praedae:
Decipitur, quod castra rapit. Capit impia plebes
Cespite patricio somnos: vacuumque cubile
Regibus infandus miles premit: inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
Quos agitat vesana quies, somnique furentes:
Thessalicam miseri versant in pectore pugnam.
Invigilat cunctis saevum scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.
Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
Inspirasse animas, infectumque aera totum
Manibus, et superam Stygia formidine noctem.
Exigit a miseris tristes victoria poenas;
Sibilaque et flammas infert sopor: umbra peremti
Civis adest: sua quemque premit terroris imago.
Ille senum vultus, iuvenum videt ille figuras:
Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis:
Pectore in hoc pater est: omnes in Caesare manes.
Haud alios, nondum Scythica purgatus in ara,
Eumenidum vidit vultus Pelopeius Orestes:
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
Quum fureret, Pentheus, aut quum desisset, Agave.
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.

755. *extulit* Ar. — V. *expulit*. C. *expuit*.
756. *Quod legit* Ar. a. b. — V. *Quodque l.*
771. *miseris* C. — V. *meritis*.

755. Construe: Quamvis rapiant Caesariani, quidquid fodit Iber, etc. *Arimaspus*, cf. III, 281.

757. *parvo* etc. existimabunt tamen se non satis magno pretio civile bellum gessisse, h. e. non erunt illis contenti. Nam existimabunt semper, se quasi deceptos esse eo quod castra tantum diripuerint, quum ipsi sibi promiserint Romam spoliandam victores.

764. *Quos*, i. e. Sed eos etc.

765. Ante *Thessalicam* supple: *Nam*.

769. *Inspirasse*, inspirando emisisse. — *infectum* sc. fuisse.

770. *et superam*, h. e. et noctem terrestrem infectam fuisse monstris infernalibus.

780. *aut cum desisset* sc. furere.

782. *ultrix dies* sc. fatalis Caesari, cum interfectus est in senatu.

Heu quantum poenae misero mens conscia donat,
Quod Styga, quod manes, ingestaque Tartara somnis
Pompeio vivente videt! Tamen omnia passo
Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Haerentes oculos. Cernit propulsa cruore
Flumina, et excelsos cumulis aequantia colles
Corpora, depressos in tabem spectat acervos,
Et Magni numerat populos: epulisque paratur
Ille locus, vultus ex quo faciesque iacentum
Agnoscat. Juvat Emathiam non cernere terram,
Et lustrare oculis campos sub clade latentes:
Fortunam superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne laeta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, coeloque nocenti
Ingerit Emathiam. Non illum Poenus humator
Consulis, et Libyca succensae lampade Cannae
Compellunt, hominum ritus ut servet in hostes:
Sed meminit, nondum satiata caedibus ira,
Cives esse suos. Petimus non singula busta,
Discretosque rogos: unum da gentibus ignem:
Non interpositis urantur corpora flammis.
Aut, generi si poena iuvat, nemus exstrue Pindi:
Erige congestas Oetaeo robore silvas,
Thessalicam videat Pompeius ab aequore flammam.
Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat,
An rogus, haud refert: placido natura receptat

784. *Heu* Ar. Ae. — V. *Et.*
785. *ingestaque* C. a. b. c. d. — V. *infestaque.*
790. *depressos* Ar. Ae. — V. *sidentes.*

784. *donat*, remittit, eo quod hae imagines Orcinae ei obvertuntur, vivente adhuc Pompeio. Nam eo mortuo graviores etiam poenas dabit.

788. *Nulla* etc. non potest satiari adspectu.

789. *propulsa*, aucta et promota.

791. *depressos*, mersos quasi et manantes sanie.

792. *populos* sc. caesos. Caesi autem erant ex Pompeianis quindecim millia.

794. *non cernere*, quippe quae tecta fuerit cadaveribus.

798. Non sinit eos cremari. — *coeloque* etc. h. e. cadavera in campo iacere sinit, ut eorum tabe et odoribus coelum inficiatur, nocens eo quod tantum bellum oriri passum fuerit.

799. Non illum movet Hannibalis exemplum, qui Aemilium ad Cannas caesum sepeliit.

805. *Non interpositis*, suppl. *sed continuis.*

806. *Aut* etc. Aut si vis Pompeium punire et dolore magno afficere.

Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus. Quocumque tuam Fortuna vocabit,
Hae quoque eunt animae. Non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte iacebis.
Libera Fortunae mors est: capit omnia tellus
Quae genuit: coelo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe, Caesar, aquas: hoc, si potes, utere coelo.
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
Non solum Haemonii, funesta ad pabula belli
Bistonii venere lupi, tabemque cruentae
Caedis odorati Pholoen liquere leones.
Tunc ursi latebras, obscoeni tecta domosque
Deseruere canes, et quidquid nare sagaci
Aera non sanum motumque cadavere sensit.
Jamque diu volucres civilia castra secutae
Conveniunt. Vos, quae Nilo mutare soletis
Threicias hiemes, ad mollem serius austrum
Istis, aves. Numquam tanto se vulture coelum
Induit, aut plures presserunt aera pennae.
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Saepe super vultus victoris et impia signa

830. *sensit* Ar. Ae. — V. *sentit.*
834. Sic C. Ae. a. d. — V. *se tanto.*

813. *Uret* sc. ignis, in incendio mundi, olim futuro.
815. *tuam*, i. e. Caesaris, sc. animam.
818. *Libera* etc. In mortuos Fortuna nullam habet vim.
821. *Quid fugis, Caesar, hunc locum?* Nam abiit Caesar, Pompeium persecuturus. Id poeta fingit factum, quod Manes eum quasi abegerint.
822. *trahe aquas* h. e. bibe, cruore infectas. — *coelo*, has auras spira.
824. *eripiunt*, te abigunt cadavera.
827. *Pholoen*, montem Arcadiae. Plin. H. N. IV, 6. et Nostr. supra III, 198.
831. *diu* sc. secutae, exspectantes dapem.
832. *vos*, sc. grues. Cf. V, 711.
833. *serius istis*, remansistis enim in Thessalia.
834. *Numquam* etc. h. e. plenus fuit vulturibus aer.
836. *cruenta* sc. ex esu carnium.

Aut cruor aut alto defluxit ab aethere tabes,
Membraque deiecit iam lassis unguibus ales.
Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant
Viscera, nec totas avidae sorbere medullas:
Degustant artus. Latiae pars maxima turbae
Fastidita iacet; quam sol nimbique diesque
Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
  Thessalia, infelix, quo tanto crimine, tellus,
Laesisti superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? Quod sufficit aevum,
Immemor ut donet belli tibi damna vetustas?
Quae seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Ante novae venient acies, scelerique secundo
Praestabis nondum siccos hoc sanguine campos.
Omnia maiorum vertamus busta licebit,
Et stantes tumulos, et qui radice vetusta
Effudere suas, victis compagibus, urnas:
Plus cinerum Haemoniae sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Nullus ab Emathio religasset litore funem
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi: fugerentque coloni
Umbrarum campos: gregibus dumeta carerent:

843. *avidae* Ar. cum Veneta a. 1477. — V. *avide*.
847. *Thessalia* Ar. Ae. C. a. b. — V. *Thessalica*.

839. *defluxit*, volantibus quippe avibus.

841. Sic quoque cadavera non sunt ad ossa usque nudata, nec omnia a feris devorata.

844. Degustant tantum artus, non integros comedunt.

845. *diesque longior* h. e. tempus. Cf. II, 344.

849. *Quod sufficit* etc. Quando fiet, ut non amplius cladum istarum meminerit aetas?

851. Quando fiet, ut non amplius surgat ex tellure tua seges infecta sanguinis colore? aut ut non amplius manes in te sepulti violentur vomeribus, cum arabitur tellus?

853. Antequam id fiat, etiam altera in campis tuis pugna pugnabitur inter Augustum et Brutum Cassiumque. Errore videlicet quum Lucani, tum aliorum poetarum Romanorum. Cf. I, 1. et 694. ubi v. n.

855. Licet omnes praeteriti temporis clades numeremus, quarum monumenta aut stant adhuc, aut vetustate iam collapsa sunt, plus cinerum, quam illae omnes tulerunt, habet Thessalia.

859. *dentibus*, aratro.

860. Si tu, o Thessalia, sola belli nefas tulisses, merito te fugerent omnes nautae et pastores, tuque nuda et ignota iaceres, tamquam si sita esses sub zona torrida aut glaciali.

Nullusque auderet pecori permittere pastor
Vellere surgentem de nostris ossibus herbam;
Ac, velut impatiens hominum vel solis iniqui
Limite vel glacie, nuda atque ignota iaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola, tulisses.
O superi, liceat terras odisse nocentes.
Quid totum premitis, quid totum solvitis orbem?
Hesperiae clades, et flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, et Leucas puros fecere Philippos.

870. *solvitis* Ar. Ae. — V. *absolvitis.*

868. Si nimirum non tam prima, quam sola tulisses.

869. *Liceat odisse*, votum est. Nam non licet, quia omnis orbis nocens est.

870. *premitis*, h. e. nocentem facitis. — *solvitis*, h. e. absolvitis, culpa liberatis. Nam alter locus alterum liberat culpa.

871. *Hesperiae*, ad Mundam Hisp. urbem. Cf. I, 40. — *Pachyni*, promontorii in Sicilia, ubi Sextus Pompeius ab Agrippa victus.

872. *Mutina*, ubi Hirtius Pansaque caesi. — *Leucas*, ubi pugna Actiaca facta.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER OCTAVUS.

SUMMARIUM.

Pompeius in fuga ad litus maris devenit. — 34. *Conscendit cymbam, eamque Lesbum dirigi iubet, ubi Cornelia uxor; cuius animi status describitur.* — 49. *Appellit ad Lesbum Pompeius.* — 71. *Solatur uxorem.* — 85. *Respondet Cornelia.* — 105. *Mitylenaei Pompeium ad se invitant.* — 127. *Ille eos laudat.* — 146. *Abit tamen Lesbo cum Cornelia, lugentibus incolis.* — 158. *Pompeius nocte in navi sedens loquitur cum gubernatore, quem iubet vitare Thessaliam Italiamque, ceterum navis cursum Fortunae committere.* — 201. *Sole orto eum assequuntur et Sextus filius, et alii proceres amicique.* — 209. *Ex his legat Deiotarum ad Orientis populos, auxilia conquisitum.* — 238. *Ille igitur, servili habitu indutus escendit e navi in litus Asiae.* — 243. *Pompeius praeternavigat Ephesum, Samum, Rhodum, Pamphyliam, Taurum.* — 255. *In Cilicia alloquitur comites suos, solatur, suadetque, ut secum ad Parthos Eoasque gentes proficiscantur. Nam Aegyptiorum fidem aut Maurorum esse suspectam.* — 327. *Illi renuunt, respondetque Lentulus, hortans ut Aegyptum eat.* — 455. *Ergo Cyprum tendit. Inde traiecto mari, Pharon praenavigat, et ad Pelusium appellit.* — 466. *Ibi audit, regem in propinquo adesse; ergo flectit iter. Rex autem de Pompeii adventu comperit; ergo concilium convocat.* — 475. *In eo concilio Pothinus suadet regi, ut interimat Pompeium.* — 535. *Ergo Ptolemaeus Achillam ablegat.* — 538. *Apostrophe poetae.* — 560. *Achillas parva rate ad Pompeii navem accedens, invitat eum nomine regis, suadetque, ut ratem suam conscendat. Solus ergo conscendit.* — 595. *Ibi eum confodiunt Septimius et Achillas.* — 620. *Postrema Pompeius facit verba.* — 636. *Conqueritur, facinore viso, Cornelia, fugiente navi sua.* — 662. *Septimius Pompeii caput abscidit, Achillaeque tradit.* — 675. *Apostrophe.* — 711. *Reliquum cadaver in mare proiectum servat Cordus, qui ex insula Cypro Pompeium secutus erat, in litusque affert, ibique comburit, deinde sepelit ossa, lapidemque imponit cum inscriptione.* — 793. *Apostrophe de Pompeii fato, deque Aegypto, illiusque tumulo.*

Jam super Herculeas fauces nemorosaque Tempe,
Haemoniae deserta petens dispendia silvae,

1. *Herculeas fauces*, quae sunt quas exit Peneus, et ubi ipsa inter Ossam et Olympum, per Tempe. Cf. VI, 345. 348.
2. petens dispendia deserta

Cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugae vestigia turbat,
Implicitasque errore vias. Pavet ille fragorem
Motorum ventis nemorum; comitumque suorum,
Qui post terga ferit, trepidum laterique timentem
Exanimat. Quamvis summo de culmine lapsus,
Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
Seque memor fati tantae mercedis habere
Credit adhuc iugulum, quantum pro Caesaris ipse
Avulsa cervice daret. Deserta sequentem
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. Multi, Pharsalica castra
Quum peterent, nondum fama prodente ruinas,
Occursu stupuere ducis, vertigine rerum
Adtoniti: cladisque suae vix ipse fidelis
Auctor erat. Gravis est Magno, quicumque malorum
Testis adest. Cunctis ignotus gentibus esse
Mallet, et obscuro tutus transire per orbem
Nomine; sed longi poenas Fortuna favoris
Exigit a misero, quae tanto pondere famae
Res premit adversas, fatisque prioribus urget.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,

7. *ferit.* Sic egregie Ar. et Ae. Construe: et fragor comitum suorum, qui post terga ferit, (h. e. resonat,) paventem exanimat. — V. *venit.* — C. b. c. *redit.* Ceterum C. semicolon post *redit* habet, Vulgata autem punctum post *suorum.*

sylvae Haemoniae. — *dispendia deserta* sunt: circuitus viae desertae.

3. *negantem,* reluctantem, nolentem per ea deserta ire.

4. *turbat,* confundere studet, ne possint deprehendi vestigia.

5. *et turbat vias errore implicitas,* h. e. efficit ut ne iter suum deprehendatur, erroribus et ambagibus illud implicans. — *pavet* etc. Pompeius pavet fragorem nemorum, et fragor comitum suorum, qui a tergo ferit sc. auras, h. e. resonat, eum exanimat. Alii punctum ponunt post *comitumque suorum;* falso. Cf. n. crit. ad I, 8.

8. *Quamvis.* Adiicitur caussa, quare timuerit. Scivit enim, suam vitam nondum vilem esse, sed habere adhuc pretium. Ad *Quamvis* igitur suppl. *enim,* et ad seq. *Nondum* suppl. *tamen.*

10. et, memor fati, credit, se iugulum habere tantae mercedis, quantam ipse pro Caesaris iugulo daret. — *memor fati,* culminis quod ascenderit, dignitatis quae adhuc in se esset. Cf. 158. X, 21. 45. 384.

15. *peterent,* auxilium Pompeio laturi.

18. *Auctor,* nuncius.

23. *premit,* graviores etiam reddit.

24. *Nunc* etc. Admodum enim iuvenis ad summos honores et imperia evectus erat. Cf. I, 314. sqq.

Actaque lauriferae damnat Sullana iuventae.
Nunc et Corycias classes, et Pontica signa
Deiectum meminisse piget. Sic longius aevum
Destruit ingentes animos, et vita superstes
Imperio. Nisi summa dies cum fine bonorum
Adfuit, et celeri praevertit tristia leto,
Dedecori est fortuna prior. Quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
  Litora contigerat, per quae Peneius amnis
Emathia iam clade rubens exibat in aequor.
Inde ratis trepidum, ventis et fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis, evexit in altum.
Cuius adhuc remis quatitur Corcyra sinusque
Leucadii, Cilicum dominus terraeque Liburnae,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
Conscia curarum, secreta in litora Lesbi
Flectere vela iubes, qua tunc tellure latebas,
Moestior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiae stares. Tristes praesagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus:
Thessaliam nox omnis habet: tenebrisque remotis

25. *Actaque* etc. ea quae iuvenis egit Syllae temporibus, quum ab eo in Siciliam et Africam missus, de Perpenna, Domitio et Hiarba triumphavit.

26. *Corycias.* Corycus mons Ciliciae, ubi piratae, quos vicit Pompeius. — *Pontica s.* int. triumphum de Mithridate reportatum.

27. *deiectum* sc. Pompeium a culmine tanto piget meminisse. — *longius aevum*, h. e. tempus. Cf. II, 344. III, 139. VII, 846.

31. *Quisquamne* etc. Sulpicius: „audetne aliquis felicitatem amplecti, nisi cum certo in ea moriendi proposito?“ Quem sensum nemo facile verbis subesse asseruerit. Quis enim non se audeat felici fato mandare? aut quis, cum ei se tradat, de morte paranda cogitet? Potius *secunda fata* hic opposita *prioris* fortunae sunt *adversa*, ut sit sensus: Quisquamne, eversa priore fortuna, deterioribus fatis se committere audeat, nisi eo consilio, ut, si omnia collabantur, mortem subire paratus sit? Sic Juba vs. 288. *idit loco Romana secundo*, h. e. adverso.

35. *impar*, nimis parva, et quae vix flumini satis firma esset.

37. *Cuius*, supple: Pompeium, cuius classis adhuc stabat prope Corcyram, cuiusque sub imperio adhuc erant Cilices et Liburni, quatenus eorum naves ad classem accesserant.

40. *Conscia*, tu, o Cornelia, quam novera sollicitam animi de belli eventu pendere, mones Pompeium, ut cursum iubeat dirigi ad Lesbum, ubi tu semota lates a strepitu belli. Cf. V, 725.

43. *tristes pr. cur. ex.* praedivinationes mali futuri commovent eius animum, tristibusque curis exagitant.

Rupis in abruptae scopulos extremaque curris
Litora, prospiciens fluctus: nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinae,
Quaerere nec quidquam de fato coniugis audes.
En ratis, ad vestros quae tendit carbasa portus,
Quid ferat ignoras: et nunc tibi summa pavoris,
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister.
Victus adest coniux. Quid perdis tempora luctus?
Quum possis iam flere, times. Tunc puppe propinqua
Prosiluit, crimenque deûm crudele notavit,
Deformem pallore ducem, vultusque prementem
Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miserae coelum lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
Membra relicta labant: riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta iacet. Jam fune ligato
Litoribus, lustrat vacuas Pompeius arenas.
Quem postquam propius famulae videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
Permisere sibi, frustraque adtollere terra
Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, et adstrictos refovet complexibus artus.
Coeperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeii sentire manus, moestamque mariti
Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis
Magnus, et immodicos castigat voce dolores:
Nobile cur robur Fortunae vulnere primo,
Femina, tantorum titulis insignis avorum,

46. *curris* C. b. c. — V. *currens.*
51. *et nunc* C. a. — V. *sed nunc.*

49. Ante *Quaerere* supple: *Attamen.*

50. Ignoras quid adferat illa ratis, quae ad litus tendit, et nunc quoque tibi summa caussa pavoris rumor tristis qui ad vos allatus est. At iam non est tempus timendi, sed flendi lugendique. Nam coniux adest victus.

53. *quid perdis tempora luctus,* quid timori das tempora, quae luctui sunt danda?

54. *Tunc p.* At quum propinqua iam esset navis, tunc prosiluit Cornelia, et animadvertit deorum culpam, Pompeium pallidum etc.

58. Caligo oculis eius oborta est, eique omnia tenebris abstulit.

61. *Spe mortis d.* Nam frustrata spe desideratae mortis, ad se rediit.

64. *Non ultra* etc. h. e. non sibi permiserunt alta voce fata increpare, sed non nisi tacitos gemitus ediderunt.

73. *avorum;* a Scipionibus enim genus ducebat.

Frangis? Habes aditum mansurae in saecula famae.
Laudis in hoc sexu, non legum iura, nec arma,
Unica materia est coniux miser. Erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, et ipsum,
Quod sum victus, ama. Nunc sum tibi gloria maior,
A me quod fasces, et quod pia turba senatus,
Tantaque discessit regum manus. Incipe Magnum
Sola sequi. Deformis, adhuc vivente marito,
Summus et augeri vetitus dolor. Ultima debet
Esse fides, lugere virum. Tu nulla tulisti
Bello damna meo. Vivit post proelia Magnus,
Sed Fortuna perit: quod defles, illud amasti.
Vocibus his correpta viri, vix aegra levavit
Membra solo, tales gemitu rumpente querelas:
O utinam in thalamos invisi Caesaris issem
Infelix coniux, et nulli laeta marito!
Bis nocui mundo: me pronuba ducit Erinnys
Crassorumque umbrae; devotaque manibus illis
Assyrios in castra tuli civilia casus,
Praecipitesque dedi populos, cunctosque fugavi
A caussa meliore deos. O maxime coniux,
O thalamis indigne meis, hoc iuris habebat
In tantum Fortuna caput! Cur impia nupsi,
Si miserum factura fui? Nunc accipe poenas,
Sed quas sponte luam. Quo sit tibi mollius aequor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
Sparge mari comitem. Mallem felicibus armis

90. *ducit* Ar. Ac. C. a. b. — V. *duxit.*

74. *Habes aditum*, contigit tibi seges et materia summae et aeternae laudis, coniux miser.

81. *Deformis;* non decet, vivente adhuc marito, summum dolorem prodere, qui nonnisi in funere eius exerendus.

85. *illud amasti.* Suppl. ergo fortunam meam, non me, amasti.

88. O utinam Caesari ego nupsissem, quae eo fato nata esse videor, ut semper marito sim infelix, nulli laeta.

90. *bis*, prius Crasso nupta, nunc Pompeio. — *me pronuba.* Pro Junone Erinnys mihi pronuba fuit, et umbrae Crassorum, patris et filii.

91. Et quum quasi illorum manibus dicata essem, ego casus Assyrios in castra civilia tuli, i. e. ego cladem similem Parthicae attuli in bellum civile.

95. *indigne meis*, h. e. melioribus digne.

97. *accipe poenas* sc. a me; patere ut ego me pro tua salute devoveam.

99. *regum*, Asiae, quos in auxilium vocabis.

100. *comitem*, me. — *Sparge*, abiice in mare. *Spargere* enim saepius i. e. quod mittere,

Dependisse caput: nunc clades denique lustra,
Magne, tuas. Ubicumque iaces, civilibus armis
Nostros ulta toros, ades huc atque exige poenas,
Julia crudelis, placataque pellice caesa,
Magno parce tuo. Sic fata, iterumque refusa
Coniugis in gremium, cunctorum lumina solvit
In lacrimas. Duri flectuntur pectora Magni,
Siccaque Thessaliâ confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenaeum pleno iam litore vulgus
Adfatur Magnum: *Si maxima gloria nobis*
Semper erit, tanti pignus servasse mariti,
Tu quoque devotos sacro tibi foedere muros,
Oramus, sociosque lares dignare vel una
Nocte tua: fac, Magne, locum, quem cuncta revisant
Saecula, quem veniens hospes Romanus adoret.
Nulla tibi subeunda magis sunt moenia victo.
Omnia victoris possunt sperare favorem:
Haec iam crimen habent. Quid, quod iacet insula ponto,
Caesar eget ratibus? Procerum pars magna coibit,
Certa loci. Noto reparandum est litore bellum.
Accipe templorum cultus, aurumque deorum:
Accipe, si terris, si puppibus ista iuventus
Aptior est: tota, quantum valet, utere Lesbo.
[*Accipe: ne Caesar rapiat, tu victus habeto.*]

108. *Thessalia* Ar. Ae. et duo cdd. Cortii, nec non Junt. — V. *Thessaliae.* — 120. *bellum* Ar. Ae. c. — V. *fatum.*
124. Versum habent Ar. Ae. V.; non legitur in a. b. c. d.

amandare, ut *classem spargere in mare aliquod.* V. Indicem v. *Spargere.* — *Mallem.* Atque utinam me prius devovissem pro tua victoria.

101. *lustra,* purifica mea morte, et deos placa.

102. *Ubicunque iaces,* O Julia, ubicunque verseris. Cf. II, 162, et 90. Sic et infra 118. De re cf. III, 12. sqq.

108. *Siccaque,* et Lesbos lacrimare facit oculos Pompeii, qui sicci manserant in clade Thessalica.

111. *pignus,* uxorem.

112. *muros* sc. nostros.

114. *fac,* effice praesentia tua, ut nostra insula locus fiat quem etc.

116. *magis* sc. quam nostra.

117. *Omnia* sc. moenia reliquarum urbium, seu omnes aliae civitates veniam a Caesare sperare possunt.

118. *Haec,* nostra moenia. — *Quid, quod* etc. Adde, quod civitas nostra insula est, Caesar autem navibus caret.

119. *Procerum* sc. Romanorum. — *coibit* sc. huc.

120. *certa loci,* certo sibi persuasum habentes, te hic loci commoraturum. — *noto,* iam tibi familiari; suppl. *nostro.*

121. *cultus,* vasa aurea.

124. V. var. lect.

Hoc solum crimen meritae bene detrahe terrae,
Ne nostram videare fidem felixque secutus,
Et damnasse miser. Tali pietate virorum
Laetus in adversis, et mundi nomine gaudens
Esse fidem, *Nullam toto mihi*, dixit, *in orbe*
Gratius esse solum, non parvo pignore vobis
Ostendi. Tenuit nostros hac obside Lesbos
Adfectus: hic sacra domus carique penates,
Hic mihi Roma fuit. Non ulla in litora puppim
Ante dedi fugiens, saevi quum Caesaris iram
Jam scirem meritam, servata coniuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniae committere vobis
Materiem. Sed iam satis est fecisse nocentes:
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
Heu nimium felix aeterno nomine Lesbos,
Sive doces populos regesque admittere Magnum,
Seu praestas mihi sola fidem. Nam quaerere certum est,
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. Accipe, numen,
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
Non intrare suos, infesto Caesare, portus,
Non exire vetent. Dixit, moestamque carinae
Imposuit comitem. Cunctos mutare putares
Tellurem patriumque solum: sic litore toto
Plangitur: infestae tenduntur in aethera dextrae:
Pompeiumque minus, cuius Fortuna dolorem
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli

148. *patriumque* C. — V. *patriaeque.*

125. *meritae bene*, i. bene iam de te meritae.

127. *damnasse*, noluisse sequi. — In sqq. iunge *pietate in adversis.*

128. *mundi nomine*, propter mundum, quippe in quo per hanc ipsam rem probetur adhuc esse fides.

132. *Hic*, videlicet quia in Cornelia mihi nunc est domus et penates et Roma.

135. *servata c.*, h. e. eo quod vos mihi coniugem servastis.

136. *Non veritus*, non parcens vobis, quia tantam vobis facerem materiem veniae ab Caesare petendae.

137. *fecisse nocentes*, h. e. me vos nocentes fecisse, respectu Caesaris.

140. *Sive doces*, seu te imitaturi sint ceteri reges populique.

141. *Nam quaerere* etc. Statui experiri, quae gentes senatui populoque R. fideles sint, quae infidae.

144. O utinam plures sint populi, Lesbo similes, qui, ubi profugus ad eorum portus accessero, libere me et intrare et exire sinant, quamquam Caesare infesto.

149. *infestae*, tamquam deos inclementiae incusantes.

Ut civem videre suam, discedere cernens
Ingemuit populus: quam vix, si castra mariti
Victoris peteret, siccis dimittere matres
Jam poterant oculis: tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
Quod, submissa nimis, nulli gravis hospita turbae,
Stantis adhuc fati vixit, quasi coniuge victo.
Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,
Totus erat: vigiles Pompeii in pectore curae
Nunc socias adeunt Romani foederis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva super nimios soles Austrumque iacentes.
Saepe labor moestus curarum odiumque futuri
Proiecit fessos incerti pectoris aestus,
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris:
Unde notet terras; quae sit mensura secandi
Aequoris in coelo; Syriam quo sidere servet:
Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis.
Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi:
Signifero quaecumque fluunt labentia coelo,
Numquam stante polo, miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto,
Ille regit puppes. Hic quum mihi semper in altum
Surget et instabit summis minor Ursa ceruchis;

157. *nulli turbae*, h. e. nemini.

158. *Cornelia stantis fati* similiter dictum, atque infra vs. 223. *aeterni Martis Alani.* Alii genitivos consequentiae esse putant, pro *stante adhuc fato*.

159. *ad medios ignes*, ad medium orbem.

160. *nec si quibus etc.* sc. antipodibus, qui essentne necne, controversum fuit antiquis.

161. *vigiles* etc. Pompeium insomnem sollicitumque tenebat occupatio, quas gentes socias, quasque mundi partes adiret, an Libyam.

165. Saepe fessus curis, taedioque rerum, abiecit meditationem dubiam et quasi aestuantem de adeundis regibus etc.

169. Syriam qui petebant, sive potius Syri ipsi, Cynosuram sequebantur, Graeci Helicen. Cf. III, 219.

170. *quotus ignis*, quae stella ursae maioris navigantibus in Africam observetur.

172. Nos nautae non observamus stellas in zodiaco, sed eam regionem, quae numquam occidit, ubi utraque ursa.

176. Quodsi Septentrionalem aliquam regionem petamus, ut v. c. Pontum, tum oportet polum altius extolli; quum meridionalem, v. c. Syriam, demitti.

177. *summis ceruchis*, summo

Bosporon et Scythiae curvantem litora pontum
Spectamus. Quidquid descendit ab arbore summa
Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
In Syriae portus tendit ratis. Inde Canopos
Excipit, Australi coelo contenta vagari
Stella, timens Borean: illa quoque perge sinistra,
Trans Pharon, in medio tanget ratis aequore Syrtes.
Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi
Nostra iubes? Dubio contra cui pectore Magnus,
Hoc solum toto, respondit, *in aequore serva,*
Ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
Puppis, et Hesperiam pelago coeloque relinquas:
Cetera da ventis. Comitem pignusque recepi
Depositum: tunc certus eram, quae litora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at ille
Justo vela modo pendentia cornibus aequis
Torsit, et in laevum puppim dedit, utque secaret,
Quas Samiae cautes et quas Chios asperat, undas,
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.
Aequora senserunt motus, aliterque secante
Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
Mutavere sonum. Non sic moderator equorum,
Dexteriore rota laevum quum circuit axem,
Cogit inoffensae currus accedere metae.
Ostendit terras Titan, et sidera texit.

181. *tendit* Ar. C. Ae. a. b. — V. *tendet*.
184. *Syrtes* Ar. a. d. b. — V. *Syrtim*.
195. *Samiae* C. Cf. 246. — V. *Asiae*. — Ar. Ae. a. b. c. d. *Asinae*. Asine oppidum in sinu Messenico.
200. *axem* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *orbem*.

malo, summae antennae, cuius cornua ceruchi vocabantur.

179. *quidquid* etc., h. e. ubi magis magisque se ursae ab antenna removent propiusque ad mare feruntur.

181. *Inde Can.* Canopus stella est australis, nobis non conspicua. Cf. Plin. VI. et Vitruv. IX, 7. Sensus: ad Syriam ubi devenerimus, tum observamus Canopum, stellam australem, quae quasi fugit borealem regionem.

183. *illa* etc. Quodsi, illam stellam sinistra observans, ultra Aegyptum perrexeris, ubi Pharum praeternavigaveris, per medium mare ad Syrtim devenies. Cf. 248.

185. *quo pede*. Pedes velorum sunt funes, quibus illa tenduntur. Cf. V, 428.

191. *tunc* sc. quum hanc, Corneliam, Lesbo petebam.

196. Alios funes ad proram, alios ad puppim alligavit.

199. *Non sic* etc. non maiori arte auriga in Circo currum suum circa metam convertit, sinistra stante rota, dextera autem se maiori circulo circumferente, ita tamen, ut simul meta intacta maneat.

Sparsus ab Emathia fugit quicumque procella,
Adsequitur Magnum: primusque a litore Lesbi
Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque deiecto fatis, acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos et sceptra Eoa tenentes
Exsul habet comites. Jubet ire in devia mundi
Deiotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.
Quando, ait, *Emathiis amissus cladibus orbis*
Qua Romanus erat, *superest*, *fidissime regum*,
Eoam tentare fidem, *populosque bibentes*
Euphraten, *et adhuc securum a Caesare Tigrim.*
Ne pigeat Magno quaerentem fata remotas
Medorum penetrare domos, *Scythicosque recessus*,
Et totum mutare diem, *vocesque superbo*
Arsacidae perferre meas: Si foedera nobis
Prisca manent, *mihi per Latium iurata Tonantem*,
Per vestros obstricta magos, *implete pharetras*,
Armeniosque arcus Geticis intendite nervis:
Si vos, *o Parthi*, *peterem quum Caspia claustra*,
Et sequerer duros aeterni Martis Alanos,
Passus Achaemeniis late discurrere campis,
In tutam trepidos numquam Babylona coegi.
Arva super Cyri, *Chaldaeique ultima regni*,
Qua rapidus Ganges et qua Nysaeus Hydaspes
Accedunt pelago, *Phoebi surgentis ab igne*

215. *Ne* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *Nec*.
220. *obstricta* Ar. Ae. — V. *adstricta*.
224. *discurrere* Ar. C. Ae. a. b. — V. *decurrere*.

203. Quicunque ex pugna Pharsalica profugerant, ad Pompeium tendunt.

205. *natus*, natu minor, Sextus Pomp. Cf. IX, 45.

211. Quoniam amisimus imp. Romanum, vocemus in auxilium reges Eoos.

215. Ne pigeat te, quo fortunam meam repares, Medos adire.

217. *mutare diem*, Farnabius: „subire aliud coeli clima, ubi propter loci distantiam et mundi inclinationem variatur diei ratio.“ Contra Sulpicius: „excitare totum Orientem, unde dies emanat.“ Qui videtur legisse *motare*.

218. *Arsacidae*, regi Parthorum, quorum primus fuit Arsaces.

221. iungite vos Scythis Getisque.

222. *Caspia claustra* sunt fauces montium Caspiorum inter Medos Parthosque. Ea adiit Pompeius bello Mithridatico.

225. Sensus: si numquam contra vos bellum feci.

228. Jam propior eram ab igne, h. e. propior eram igni orientis Phoebi, quam Persis,

Jam propior, quam Persis, eram: tamen omnia vincens
Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis:
Solus et e numero regum telluris Eoae
Ex aequo me Parthus adit. Nec munere Magni
Stant semel Arsacidae. Quis enim post vulnera cladis
Assyriae iustas Latii compescuit iras?
Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat claustris vetitam per saecula ripam,
Zeugmaque Pellaeum. Pompeio vincite, Parthi;
Vinci Roma volet. Regem parere iubenti
Ardua non piguit, positisque insignibus aulae
Egreditur, famuli raptos indutus amictus.
In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis securius aevum
Verus pauper agit! Dimisso in litora rege,
Ipse per Icariae scopulòs, Ephesumque relinquens,
Et placidi Colophona maris, spumantia parvae
Radit saxa Sami: spirat de litore Coo
Aura fluens: Gnidon inde fugit, claramque relinquit
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undae
Compensat medio pelago. Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec se committere muris
Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaseli,
Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,

231. *Solus et* Ar. Ae. — V. *Solusque.*
243. *dimisso in litora* C. — V. *litore.*
249. Sic Ar. C. — V. *pelagi.*
251. *Phaseli* C. — c. *phasele.* V. *phaselis.*

h. e. ultra Persidem progressus eram.

232. *adit*, i. e. adiit. — *ex aequo*, par, liber, non triumphatus. — *Nec semel tantum.* Nam post mortem Crassorum quum senatus bellum vellet contra Parthos decernere, dissuaserat Pompeius, durante bello Gallico.

233. *Quis enim* etc. nemo enim ultus est cladem Crassorum.

236. *claustris*, h. e. terminis constitutis intra Euphratem, quum Phraates generum suum Tigranem a Pompeio exposceret. Cf. Cic. leg. Man. Val. M. V, 1.

237. *Zeugma P.* oppidum erat ab Alexandro magno, Pella oriundo, ad Euphratem conditum. Cf. Plin. H. N. 34, 15. — *Pompeio v.* Jam vincite Romam pro Pompeio; volet enim vinci potius, quam Caesaris esse.

238. Non piguit regem Deiotarum parere Pompeio iubenti difficilia.

240. *raptos*, arreptos.

248. *sinus Telm.* sinu ad Telmessum, Cariae oppidum, relicto, recta per mare navigat. Alii verba *medio pelago* cum seqq. iungunt, coll. vss. 184., alii cum praecedentibus. Sensus certe: per medium mare recta versus Pamphyliam navigat.

Exhaustaeque domus populis; maiorque carinae,
Quam tua, turba fuit. Tendens hinc carbasa rursus
Jam Taurum, Tauroque videt Dipsunta cadentem.
  Crederet hoc Magnus, pacem quum praestitit undis
Et sibi consultum? Cilicum per litora tutus
Parva puppe fugit: sequitur pars magna senatus
Ad profugum collecta ducem: parvisque Celendris,
Qua portu mittitque rates recipitque Selinus,
In Procerum coetu tandem moesta ora resolvit
Vocibus his Magnus: *Comites bellique fugaeque,*
Atque instar patriae, quamvis in litore nudo,
In Cilicum terra, nullis circumdatus armis
Consultem, rebusque novis exordia quaeram,
Ingentes praestate animos: non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
Excutere. An Libyae Marium potuere ruinae
Erigere in fasces, plenis et reddere fastis:
Me pressum leviore manu Fortuna tenebit?
Mille meae Graio volvuntur in aequore puppes,
Mille duces: sparsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit, opes. Sed me vel sola tueri
Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen, quod mundus amat. Vos pendite regna
Viribus atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
Quaenam Romanis deceat succurrere rebus.
Ast ego curarum, proceres, arcana mearum
Expromam, mentisque meae quo pondera vergant.
Aetas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret sollertia Mauri:
Namque memor generis Carthaginis impia proles

255. *Dipsunta* C. — V. *Dipsanta.*
259. *Celendris* Ar. Ae. — V. *Synedris.*
260. *Qua* C. — V. *Quo.* Ar. *Quo partu.*
271. *pressum* Ar. — V. *pulsum.* Ae. *pusum.*

253. *populis* sc. qui ad Pompeii classem confluxerant in Epirum. — *carinae* sc. Pompeii.

255. *Dipsunta*, fluvium Ciliciae.

271. *tenebit*, non sinet erigi, quum me longe leviore manu premat?

276. *pendite*, simplex pro composito: deliberate atque eligite, ad quem regem nosmet convertamus, quis sit fortissimus fidissimusque.

278. quae sc. regna deceat Romanis rebus succurrere.

284. *generis*, quasi descendens a Poenis Juba.

Imminet Hesperiae, multusque in pectore vano est
Hannibal; obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos, iam supplice Varo
Intumuit, viditque loco Romana secundo.
Quare agite, Eoum, comites, properemus in orbem.
Dividit Euphrates ingentem gurgite mundum,
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque diesque
Vertit, et abruptum est nostro mare discolor unda,
Oceanusque suus. Regnandi sola voluntas.
Celsior in campis sonipes, et fortior arcus;
Nec puer aut senior letales tendere nervos
Segnis, et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellaeas arcu fregere sarissas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
Assyrias Babylona domos. Nec pila timentur
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, sagittas.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro;
Stridula sed multo saturantur tela veneno.
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.
O utinam non tanta mihi fiducia saevis

290. *ingentem* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *ingenti.*
294. *voluntas* Ar. Ae. c. et fere a. — V. *voluptas.*
302. *sagittas* Ar. Ae. — V. *pharetras.*

286. *Hannibal*, quem sibi imitandum proposuit. — *obliquo sanguine.* Quasi nothum videtur innuere Jubam.

287. *contingit*, h. e. sese Numidarum regibus consanguineum iactat. — *supplice Varo*, qui auxilium petierat ab Juba. Cf. IV, 668.

288. *loco secundo*, i. e. in adversis, ut leguntur supra vs. 27. *fata secunda.* Intelligitur autem interitus Curionis, qui narratur IV, 661. sqq.

291. *seducunt*, seiungunt a nostris terris.

292. *polus alter*, i. e. alius quam noster polus ibi dies noctesque regit.

293. *abruptum*, separatum a nostro mari est illic mare, quod discolor est undis nostro. Videtur autem int. mare rubrum. — *unda* casu accipe ablativo.

294. *Regnandi*, supple: non opes corradendi. — *voluntas* sc. Parthis est.

295. In his a fortitudine praedicantur Parthi. — *Celsior*, maiores illis sunt equi, campis idonei.

298. *Pellaeas*, Macedonias.

300. *Assyrias domos*, appositio. Sensus: sedem regni Assyriorum.

305. *in sanguine summo*, leve utique vulnus letale est propter veneaum, quo tinguntur sagittae.

306. O utinam non opus haberem Parthorum auxilio. Nam

Esset in Arsacidis! Fatis nimis aemula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente deorum est.
Effundam populos alia tellure revulsos,
Excitosque suis immittam sedibus ortus.
Quodsi nos Eoa fides et barbara fallunt
Foedera, vulgati supra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat. Non regna precabor,
Quae feci; sed magna feram solatia mortis
Orbe iacens alio, nihil haec in membra cruente,
Nil socerum fecisse pie. Sed cuncta revolvens
Vitae fata meae, semper venerabilis illa
Orbis parte fui: quantus Maeotida supra!
Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu!
Quas magis in terras nostrum felicibus actis
Nomen abit, aut unde redit maiore triumpho?
Roma, fave coeptis: quid enim tibi laetius umquam
Praestiterint superi, quam, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
Et nostris miscere malis? Quum Caesaris arma
Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassos. Sic fatus, murmure sentit
Consilium damnasse viros: quos Lentulus omnes
Virtutis stimulis et nobilitate dolendi
Praecessit, dignasque tulit modo consule voces:
Siccine Thessaliae mentem fregere ruinae?
Una dies mundi damnavit fata? secundum
Emathiam lis tanta datur? iacet omne cruenti
Vulneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes? Quid transfuga mundi

327. *Crassos* C. a. b. — V. *Crassum.*

illi aemuli sunt Romanorum, deique iis favent.

309. *Effundam* sc. praeter Parthos alios quoque populos Eoos.

310. *immittam* sc. in Caesarem.

312. *vulgati* etc. tum Fortuna nos naufragos auferat ad populos, qui sunt ultra orbem vulgo cognitum.

314. sed magno mihi erit solatio, nihil Caesarem in me neque cruente neque pie fecisse.

330. *modo Consule*, h. e. dignas viro, qui paullo ante Consul fuerit.

332. Una dies evertit penitus imperium Romanum? — *secundum* etc., an tanta lis una pugna Pharsalica dirimetur?

333. *iacet* etc. nihilne post acceptam hanc cladem superest auxilii?

335. *Parthorum pedes*, sc. ad quos supplex accidas opem imploraturus. — *transfuga mundi*, quippe ad Parthos abiture, qui sunt ultra aequatorem, et quasi in alio mundi orbe; (ex opinione poetae.)

Terrarum totos tractus coelumque perosus,
Adversosque polos alienaque sidera quaeris,
Chaldaeos culture deos, et barbara sacra,
Parthorum famulus? Quid caussa obtenditur armis
Libertatis amor? Miserum quid decipis orbem,
Si servire potes? Te, quem Romana regentem
Horruit auditu, quem captos ducere reges
Vidit ab Hyrcanis, Indoque a litore, silvis,
Deiectum fatis, humilem fractumque videbit,
Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
Se simul, et Romam, Pompeio supplice, mensus?
Nil animis fatisque tuis effabere dignum:
Exiget ignorans Latiae commercia linguae,
Ut lacrymis se, Magne, roges. Patimurne pudoris
Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet ante
Hesperias, quam Roma suas? Civilibus armis
Elegit te nempe ducem. Quid vulnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latentes?
Quid Parthos transire doces? Solatia tanti
Perdit Roma mali, nullos admittere reges,
Sed civi servire suo. Juvat ire per orbem
Ducentem saevas Romana in moenia gentes,
Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
Qui solus regum, fato celante favorem,
Defuit Emathiae, nunc tantas ille lacesset
Auditi victoris opes, aut iungere fata
Tecum, Magne, volet? Non haec fiducia genti est.
Omnis in Arctois populus quicumque pruinis

338. *deos* Ar. As. d. — V. *focos.*
342. *auditu* C. Ar. As. a. b. c. d. — V. *auditum.*

336. *terrarum*, suppl. *nostrarum*, quod hic pariter est omissum, atque alibi omittitur contrarium: *externus* etc. Cf. I, 31. ubi *nulli ferro* positum legitur pro: nulli ferro externo aut externae alicuius gentis.

339. *quid caussa* etc. quid libertatem praeteximus, tamquam omnis belli caussam, quum ipsi Parthis simus servituri?

342. *Horruit* sc. Parthus.

343. *Hyrcanis sylvis.* Similes vocabulorum traiectiones vide III, 679. V, 387. 690. 800.

347. *effabere*, effari poteris apud Parthos, ignaros Latini sermonis.

353. *latentes*, quae celandae sunt.

354. *transire* sc. Euphraten, terminum sibi a te ipso constitutum. Cf. vs. 336.

359. *solus* sc. Parthorum rex, Phraates. — *fato cel. fav.* quum adhuc dubium erat, an victor esset futurus Caesar.

363. Argumentatur in his contra Pompeium vss. 295. sqq.

Nascitur, indomitus bellis, et mortis amator.
Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia coeli.
Illic et laxas vestes, et fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effusaque plano
Tigridis arva solo, nulli superabilis hosti est
Libertate fugae: sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis iuga; nec per opacas
Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti verticis amnem,
Nec tota in pugna perfusus sanguine membra
Exiget aestivum calido sub pulvere solem.
Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcumque potest obstare sagittae.
Pugna levis, bellumque fugax, turmaeque vagantes,
Et melior cessisse loco, quam pellere, miles.
Illita tela dolis, nec Martem cominus umquam
Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos,
Et, quo ferre velint, permittere vulnera ventis.
Ensis habet vires, et gens quaecumque virorum est,
Bella gerit gladiis; nam Medos proelia prima
Exarmant, vacuaeque iubent remeare pharetrae.
Nulla manus illis fiducia, tota veneni est.
Credis, Magne, viros, quos in discrimina belli
Cum ferro venisse parum est? Tentare pudendum
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant ac vilia busta,
Invidiosa tamen, Crasso quaerente sepulchrum?
Sed tua sors levior, quoniam mors ultima poena est,
Nec metuenda viris. At non Cornelia letum
Infando sub rege timet. Num barbara nobis
Est ignota Venus, quae ritu caeca ferarum
Polluit innumeris leges et foedera tedae
Coniugibus? thalamique patent secreta nefandi.

364. *mortis* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *Martis.*

365. *Quidquid labitur;* intellige coelum et astra.

376. *Exiget*, non perseverabit per totum diem in pugna.

390. An tu eos viros esse credis, qui non tutos se ferro existimant, nisi et veneno adhibito?

396. *non letum timet*, supple: sed dedecus omni leto magis pudendum.

400. *patent secreta*, h. e. non

Inter mille nurus epulis vesana meroque
Regia non ullos exceptos legibus horret
Concubitus: tot femineis complexibus unum
Non lassat nox una marem. Iacuere sorores
In fratrum thalamis, sacrataque pignora matrum.
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas:
Parthorum dominus quoties sic sanguine mixto
Nascitur Arsacides! Cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas? Proles tam clara Metelli
Stabit barbarico coniux millesima lecto:
Quamquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Saevitia stimulante Venus, titulisque virorum.
Nam quo plura iuvent Parthum portenta, fuisse
Hanc sciet et Crassi: ceu pridem debita fatis
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustae.
Haereat Eoae vulnus miserabile sortis;

404. *una* Ar. Ae. — V. *tota.*
405. *fratrum* Ar. Ae. — V. *regum.* — V. *matres.* Nostr. Ar. Ae.
413. Sic Ar. — Ae. *Saevitia stimulata*, ut V.

ignotum est, quae ibi thalami secreta exerceantur. In propatulo enim quasi fiunt, neque absconduntur. De constructione autem tenendum, hic quoque obvium esse exemplum usus *que* copulae ex poetae consuetudine, de qua vid. not. crit. ad I, 8. Quum enim praecedat interrogatio, cuius compages usque ad v. *Coniugibus* pertinet, iam sequitur non amplius interrogatio, sed assertio.

401. *nurus*, i. q. nuptas.

402. *regia*, i. e. reges. — *regia non ullos* etc. h. e. reges non horrent concubitus ullos, qui legibus sint excepti aut interdicti. Non sunt ibi interdicti tales concubitus, neque reges eos horrent.

404. *nox una;* sic constanter Argentinensis ed. cum Aeolico, pro que vulg. et Cort. *tota*, quae nimia est hyperbole. Sensus: Quum tot feminis utantur, non contentus est unus mas una nocte cum una concubuisse, sed alia alia utitur.

406. *apud gentes* sc. exteras, quod plerumque omittitur ab Lucano. *Damnat fabula Thebas*, i. e. q. male audiunt Thebae propter scelus Oedipi non sponte peractum.

410. *Metelli.* Cornelia enim L. Scipionis Metelli filia erat.

412. Quamquam fortasse nulla crebrius sit usurus, quo saevitiam superbiamque exerceat in Crassum Pompeiumque Romanorum principes.

414. Nam quo pluribus facinoribus suis delectetur Parthus, meminerit, Corneliam etiam Crassi fuisse uxorem; atque sic illa quasi captiva trahetur ex vetusta clade ad Carrhas accepta, tamquam pridem Assyriis debita. — *Fatis* i. victoriae.

417. Supplenda coniunctio *Si*, ut sit sensus: Quodsi, Pompei, tibi in animo haereat memoria vulneris illius ad Carrhas accepti, pudebit te, non solum auxilium a rege petiisse, sed etiam bellum civile prius gessisse, quam Crassum vindicavisses.

Non solum auxilium funesto a rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
Nam quod apud populos crimen socerique tuumque
Maius erit, quam quod, vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? Incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, et ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis Rhenique catervis
Imperii nudare latus, dum perfida Susa
In tumulos prolapsa virûm, Babylonque iacerent.
Assyriae paci finem, Fortuna, precamur:
Et, si Thessaliae bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit, eat. Gens unica mundi est,
De qua Caesareis possim gaudere triumphis.
Non tibi, quum primum gelidum transibis Araxen,
Umbra senis moesti Scythicis confixa sagittis
Ingeret has voces? Tu, quem post funera nostra
Ultorem cinerum nudae speravimus umbrae,
Ad foedus pacemque venis? Tunc plurima cladis
Occurrent monimenta tibi: quae moenia trunci
Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, et nostra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit. Ire per ista
Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
Thessalia placare potes. Quin respicis orbem
Romanum? Si regna times proiecta sub Austro,
Infidumque Iubam, petimus Pharon arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Aegyptus: at inde
Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis:

426. *virum* C. — V. *ducum*.
428. *Thessaliae* Ar. C. — V. *Thessalia*.
431. Sic Ar. a. b. c. d. Ae. — V. *quamprimum*. — C. *cum gelidum primum*.

422. *perit*, i. e. periit.
423. *duces* sc. Romani.
424. Construe: et, ne ulla pars pop. Romani expers esset huius belli, Arctoum adeo imperii latus nudare catervis Dacum et Rheni.
426. *virûm*. Vulg. *ducum*, h. e. Crassorum, qui ibi perierunt.
427. Precamur, o Fortuna, ut brevi liceat contra Assyrios bellum gerere.
431. *cum primum*, i. simul atque.
432. *senis*, int. Crassi ipsius umbram.
434. *nudae*, insepultae.
435. *Tunc* i. e. q. *porro*, ut saepe apud Nostrum.
441. *placare*. Si haec poteris pati, poteris etiam supplicare Caesari ipsi. — *Quin* etc. Perlustra potius orbem Romanum, et meliorem locum fugae tibi elige. Si non placet ire ad Iubam, in Aegyptum eamus.

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Jovis: in solo tanta est fiducia Nilo.
Sceptra puer Ptolemaeus habet, tibi debita, Magne,
Tutelae commissa tuae. Quis nominis umbram
Horreat? Innocua est aetas: nec iura fidemque
Respectumque deûm veteris speraveris aulae.
Nil pudet adsuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos. Quantum spes ultima rerum
Libertatis habet! Victa est sententia Magni.
Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates, nullas cui praetulit aras
Undae diva memor Paphiae, si numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est coepisse deorum.
Haec ubi deseruit Pompeius litora, totos
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
Inde maris vasti transverso vertitur aestu:
Nec tenuit gratum nocturno lumine montem,
Infimaque Aegypti pugnaci litora velo
Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas,
Non uno plus aequa die, noctique rependit

450. *nec* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *ne.*
462. Sic Ar., et Ae. *transversus vertitur aestu.* At *transverso* b. c. d. — V. *Transfuso.*
463. Sic b. c. d. et a. pro varia lectione. — V. *Casium noct. l. montem.* Ar. *casum* — *montem.* Cum V. et Ae. — At Cortius: *Nec tenuit gratam nocturno lumine Pharon*, producta prima.

447. *Jovis*, i. e. pluviae.
449. *nominis umbram.* Quis Ptolemaeum timeat, qui nonnisi nomine rex est. Aetas eius minor est, quam quae nocere possit.
450. *nec iura* etc. Accedit, ait, quod novissimus quisque rex mitissimus; contra, assuetos sceptris nihil pudet.
454. *Quantum sp.*, h. e. Quam libere loquuntur homines in rebus desperatis! Alii scripti habent: *sors ultima rerum*, quae solemnis de Sorte in universum locutio sane alibi apud nostrum legitur. Vide Indicem.
456. Tunc, relicta Cilicia, versus Cyprum navigaverunt, quam insulam unice amat Venus, memor sese ex unda Paphia ortam, si nimirum credendum sit, deos nasci posse.
462. Inde convertit se Pompeius recta per mare transversum, Aegyptum versus, neque tamen appulit ad montem Casium, qui gratus est navigantibus nocturno suo lumine, vixque in infima Aegypti parte ad littus accessit.
464. *pugnaci velo*, contra ventum intento.
468. *Non uno plus aequa die*, i. e. ita tamen ut nonnisi uno die vere aequa sit. — *examinat*,

Lux minor hibernae verni solatia damni.
Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flectit iter: nec Phoebus adhuc, nec carbasa languent.
   Jam rapido speculator eques per litora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat: tamen omnia monstra
Pellaeae coiere domus: quos inter Achoreus,
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit, custos Nili crescentis in arva,
Memphis vana sacris; illo cultore deorum
Lustra suae Phoebes non unus vixerat Apis)
Consilii vox prima fuit; meritumque, fidemque,
Sacraque defuncti iactavit pignora patris.
Sed, melior suadere malis, et nosse tyrannos,
Ausus Pompeium leto damnasse Pethinus:
   Jus et fas multos faciunt, Ptolemaee, nocentes.
Dat poenas laudata fides, quum sustinet, inquit,
Quos Fortuna premit. Fatis accede deisque,
Et cole felices; miseros fuge. Sidera terra
Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit: evertitque arces respectus honesti.
Libertas scelerum est, quae regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia saeve

483. *damnasse* Ar. — V. *damnare.*

quasi trutinat. — *noctique rependit* etc. Describitur aequinoctium auctumnale. Inde autem ab eo tempore dies hibernae minores quasi rependunt veris damna, ut solatio hoc esse possit nocti.

470. Pompeius ubi audivit, regem Ptolemaeum circa Casium montem versari.

474. *monstra*, ministri regis, Pethinus, Theodorus, Achillas. — *Achoreus;* quem vide X, 175.

475. *Pellaeae*, Alexandrinae, fundatae ab Alexandro Pellaeo.

477. Is natus erat in urbe Memphi, ubi puteus erat, in quo notabantur incrementa Nili in arva increscentis.

478. *vana sacris*, quoniam venerabatur bovem, canem, felem. — *illo cult.*, h. e. sub quo pontifice plures iam Apies perierant.

479. *suae Phoebes* sc. cuius imaginem in fronte gerebat. Apim non erat fas certos vitae annos excedere; quibus praeterlapsis, mergebatur in sacerdotum fonte.

481. Commemoravit officia Pompeii in patrem Ptolemaei.

482. *malis* sc. regibus.

484. *nocentes* sc. ita ut poenas postea dent iis, quorum adversarios sublevaverant.

491. Regna, populis invisa, nonnisi scelerum licentia sustinentur et crudelitate, gladiis sine modo adhibendis.

492. *Facere* etc. h. e. licet impune omnia facere, quum facere audes. Pro *quum facis* Gre-

impune licet, nisi quum facis. Exeat aula,
ult esse pius. Virtus et summa potestas
coeunt: semper metuet, quem saeva pudebunt.
impune tuos Magnus contemserit annos;
e nec victos arcere a litore nostro
putat. Neu te sceptris privaverit hospes,
ra sunt propiora tibi: Nilonque Pharonque,
mare piget, damnatae redde sorori.
itum certe Latiis tueamur ab armis.
uid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
ictoris erit. Toto iam pulsus ab orbe,
uam nulla manet rerum fiducia, quaerit,
qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.
oceri tantum arma fugit: fugit ora senatus,
Thessalicas saturat pars magna volucres:
etuit gentes, quas uno in sanguine mixtas
uit: regesque timet, quorum omnia mersit:
aliaeque reus, nulla tellure receptus,
itat nostrum, quem nondum prodidit, orbem.
r in Magnum nobis, Ptolemaee, querelae
a data est. Quid sepositam semperque quietam
ne bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
ri suspecta facis? cur sola cadenti
placuit tellus, in quam Pharsalica fata
rres, poenasque tuas? Jam crimen habemus,

3. *cum* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *dum.*
4. *vult* Ar. Ae. b. c. d. — V. *volet.*
1. *prodidit* C. — V. *perdidit.*

dum facis, intelligitque itinuandis sceleribus.

Pignora, int. sororem iguineam. Sensus: Si te regnum tuum tueri, sororius trade, quam Pompeio.

Aegyptus, quoniam null Pompeium misit copias, bellum adhuc gerebatur, tu libero manendi iustam spem. Non erit sub Caenedum sub Pompeio, qui ictus ad nos accessit.

rapitur etc. exagitatur uasi Manibus eorum, qui sunt bello civili.

uno in sanguine, una in

510. *Thessaliaeque reus*, h. e. merito accusandus propter rem in Thessalia male gestam.

513. *Quid sepositam* etc. Apostrophe ad Pompeium, licet paullo ante Ptolemaeum allocutus sit. Cf. 525. *sepositam*, i. e. remotam a belli sede et ab urbe Roma Aegyptum.

516. *in quam* etc. quam participem faceres rerum adversarum tuarum, et poenarum quas daturus es Caesari.

517. *Jam crimen h.* etc. Jam invisi sumus Caesari, quod Pompeio suadente Senatus R. nobis regnum firmavit, et quod ideo

Purgandum gladio, quod nobis sceptra senatus
Te suadente dedit. Votis tua fovimus arma.
Hoc ferrum, quod fata iubent proferre, paravi
Non tibi, sed victo. Feriam tua viscera, Magne:
Malueram soceri: rapimur, quo cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Quum liceat? Quae te nostri fiducia regni
Huc agit, infelix? Populum non cernis inermem,
Arvaque vix refluo fodientem mollia Nilo?
Metiri sua regna decet viresque fateri.
Tu, Ptolemaee, potes Magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma iacet? bustum cineresque movere
Thessalicos audes, bellumque in regna vocare?
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:
Pompeii nunc castra placent, quae deserit orbis?
Nunc victoris opes et cognita fata lacessis?
Adversis non deesse decet, sed laeta secutos.
Nulla fides umquam miseros elegit amicos.
Adsensere omnes sceleri. Laetatur honore
Rex puer insueto, quod iam sibi tanta licere
Permittant famuli. Sceleri delectus Achillas.
Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,
Et vada testantur iunctas Aegyptia Syrtes,
Exiguam sociis monstri gladiisque carinam

526. *refluo* Ar. — V. *refugo.*
537. *licere* Ar. et fere a. b. c. — V. *iubere.*

Pompeio favere videri possumus.

520. *Hoc ferrum* etc. Postquam nos pro tuis armis vota fecimus, nunc, quoniam victus es, hoc te ferro caedemus, non odio tui, sed quia, tamquam victus, nobis quoque es persequendus, minimeque tuendus.

522. *rapimur* sc. in partes Caesaris.

525. *inermem*, a bellis abhorrentem, et qui vix arva sua colit, quae mollia sunt, ubi decreverit Nilus. Ceterum adi. *mollia* per hypallagen et ad ipsos Aegyptios trahi potest, qui ubique molles declarantur. In his autem non iam amplius Pompeium, sed ipsum regem alloquitur. Cf. 513.

534. Deceret nos non deesse Pompeio in adversis, si eum secuti essemus in laetis. Quia autem plane non ab eius partibus stetimus antehac, stultum foret, si nunc maximopere eum nobis elegerimus amicum, si vel maxima fides in nobis esset.

539. *Casiis arenis*, h. e. litore ad montem Casium, qui mons situs erat trans Pelusiacum Nili ostium, et habebat Jovis Casii templum, de quo v. infra vs. 858.

540. et ubi iam vada et brevia testantur, vicinas esse Syrtes.

541. Ibi Achillas instruit parvam navem armis et sociis facinoris.

Instruit. O superi, Nilusne et barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos? Sic fata premunt civilia mundum?
Sic Romana iacent? Ullusne in cladibus istis
Est locus Aegypto, Phariusque admittitur ensis?
Hanc certe servate fidem, civilia bella:
Cognatas praestate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Caesaris esse nefas. Tanti, Ptolemaee, ruinam
Nominis haud metuis? coeloque tonante, profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque senatus,
Victorisque gener; Phario satis esse tyranno
Quod poterat, Romanus erat. Quid viscera nostra
Scrutaris gladio? Nescis, puer improbe, nescis,
Quo tua sit fortuna loco: iam iure sine ullo
Nili sceptra tenes: cecidit civilibus armis,
Qui tibi regna dedit.
Jam vento vela negarat
Magnus, et auxilio remorum infanda petebat
Litora: quem contra non longa vecta biremi
Adpulerat scelerata manus: Magnoque patere
Fingens regna Phari, celsae de puppe carinae
In parvam iubet ire ratem, litusque malignum
Incusat, bimaremque vadis frangentibus aestum,
Qui vetet externas terris advertere classes.
Quodnisi fatorum leges intentaque iussu

544. *Hos animos* sc. sibi sumit? Ceterum paullo incongruens est epithetou *Pelusiaci* ad *Canopi*, quum Pelusium sit ad orientem versus, Canopus vero ad occasum, magno sane spatio inter se distantes. Canopus autem oppidum erat libidinibus omnibus quam maxime deditum.

550. *Caesaris esse nefas*, h. e. in gratiam Caesaris occidi.

551. *coeloque* etc. et dum summus Olympus concutitur, h. e. dum proceres Romani inter se pugnant, tu te huic pugnae immiscere audes?

553. Tibi, Ptolemaee, satis esse poterat, quod Romanus esset, quem occideres: non opus erat, esse principem totius populi.

560. *vela negarat*, appropinquans litori vela demiserat.

563. *adpulerat*, plusquamperfecto pro perfecto posito, ut saepius. — *scelerata manus*, satellites Aegyptii, sceleri parati.

565. Jubet Pompeium in parvam ire ratem, quia per aestum maris, duplicem in illo promontorio, maiores naves non possint adpellere.

568. Quodnisi fatum et vicinia mortis, iussu ordinis aeterni (h. e. fati) intenta (h. e. de-

Ordinis aeterni miserae vicinia mortis
Damnatum leto traherent ad litora Magnum,
Non ulli comitum sceleris praesagia deerant:
Quippe, fides si pura foret, si regia Magno
Sceptrorum auctori vera pietate pateret,
Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
Sed cedit fatis, classemque relinquere iussus
Obsequitur, letumque iuvat praeferre timori.
Ibat in hostilem praeceps Cornelia puppim,
Hoc magis impatiens egresso deesse marito,
Quod metuit clades. *Remane*, *temeraria coniunx*,
Et tu, *nate*, *precor*, *longeque e litore casus*
Exspectate meos: et in hac cervice tyranni
Explorate fidem, dixit. Sed dura vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
Quo sine me, *crudelis*, *abis? Iterumne relinquor*,
Thessalicis submota malis? Numquam omine laeto
Distrahimur miseri. Poteras non flectere puppim,
Quum fugeres, *alio*, *latebrisque relinquere Lesbi*,
Omnibus a terris si nos arcere parabas.
An tantum in fluctus placeo comes? Haec ubi frustra
Effudit, prima pendet tamen anxia puppe:
Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. Stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma nefasque,
Sed ne submissis precibus Pompeius adoret
Sceptra sua donata manu. Transire parantem

582. *dura* C. b. c. d. — V. *surda*.

stinata), Pompeium ad litus quasi traherent.

571. Facile cuivis Pompeianorum potuisset suspicio nasci perfidiae.

574. *venturum tyrannum* sc. esse praesumi poterat a comitibus Pompeii.

576. maluit mortis potius periculum subire, quam timori locum dare.

577. *Ibat*, i. e. voluit ire.

581. *exspectate e litore casus meos*, h. e. exspectate donec vobis e litore casus mei nunciabuntur.

582. *dura*, i. e. dure, crudeliter.

585. *Thess.*, h. e. a te divisa, quum simile malum immineat, quam quod in Thessalia expertus es.

586. *Poteras* etc. Melius fuisset, te, quum fugeres, non alio, h. e. non ad Lesbum, navem flectere, meque ibi relinquere. Sic vs. 640. *avia Lesbos*.

590. *prima puppe*, h. e. in extrema navis suae parte. — *pendet*, h. e. alta in puppi stat. Pendere enim dicuntur, quae in alto vertice haerent aut consistunt. Cf. IV, 47. 127. VII, 369.

595. *Transire parantem* sc. Pompeium ex navi, qua vehebatur, in cymbam Aegyptiam.

Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius: qui (pro superum pudor!) arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo:
Immanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
Mitior in caedes. Quis non, Fortuna, putasset
Parcere te populis, quod bello haec dextra vacasset,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. Victoribus ipsis
Dedecus, et numquam superûm caritura pudore
Fabula; Romanus regi sic paruit ensis,
Pellaeusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. Qua posteritas in saecula mittet
Septimium fama? scelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere nefas? Jam venerat horae
Terminus extremae, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat iam iura sui. Tunc stringere ferrum
Regia monstra parant. Ut vidit cominus enses,
Involvit vultus, atque, indignatus apertum
Fortunae praestare caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, et aeternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum,
Despexitque nefas, servatque immobile corpus,

615. *praestare* C. b. c. d. — V. *praebere.*
620. *Despexitque* V. Ar. C. — At Ae. a. b. c. d. *Respexitque.*

600. *Quis non* etc. Videri poteras, Fortuna, bene egisse, quod Septimium a Pharsalia removisses, quia is, si interfuisset isti cladi, crudelissima sane ibi facinora patravisset. Tu vero eum in Aegypto esse voluisti, quo et ibi essent gladii, qui in cives civili bello furerent. De Septimio v. ad 668.

604. *Victoribus*, h. e. Caesarianis.

606. *fabula*, sc. Romanum militem interemisse Magnum.

610. *Qui Bruti d. n.* h. e. qui Bruti factum nefas vocarunt.

611 *Phariam in alnum*, h. e. Aegyptiam in navem; per metonymiam materiae pro re ex materia confecta.

612. *Tunc stringere* etc. Secundum Plutarchum Septimius Pompeium ex cymba surgentem ac iam in litus egressurum, a tergo adortus gladio traiecit; post quem et Salvius et Achillas gladios suos strinxere, ducemque confoderunt.

618. *mucrone*, videlicet gladii. Cuiusvis enim teli cuspis mucro dicitur.

619. *nullo g. consensit ad ictum* potest esse: nullum edidit gemitum, atque ita quasi consensit ad ictum, h. e. patienter ictum recepit, ut quidam ex Plutarcho interpretantur; potest et: non consensit ad ictum ullo edito gemitu, h. e. nullo gemitu ostendit se ictum sentire.

Seque probat moriens, atque haec in pectore volvit:
Saecula Romanos numquam tacitura labores
Attendunt, aevumque sequens speculatur ab omni
Orbe ratem, Phariamque fidem. Nunc consule famae.
Fata tibi longae fluxerunt prospera vitae:
Ignorant populi, si non in morte probaris,
An scieris adversa pati. Ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. Quacumque feriris,
Crede manum soceri. Spargant lacerentque licebit,
Sum tamen, o superi, felix, nullique potestas
Hoc auferre deo. Mutantur prospera vitae:
Non fit morte miser. Videt hanc Cornelia caedem,
Pompeiusque meus. Tanto patientius, oro,
Claude, dolor, gemitus: natus coniuxque, peremptum
Si mirantur, amant. Talis custodia Magno
Mentis erat: ius hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere saevum
Quam perferre nefas, miserandis aethera complet
Vocibus: *o coniunx, ego te scelerata peremi:*
Letiferae tibi caussa morae fuit avia Lesbos,
Et prior in Nili pervenit litora Caesar.
Nam cui ius alii sceleris? Sed, quisquis in istud

631. Sic Ar. — V. *vita*. — 632. *Non fit* C. a. d. — V. *Non su*

621. *Se probat* sc. Pompeium esse.

624. *ratem* sc. hanc, in qua ego morior.

628. *Auctoremque dole fati;* et hic suppl. negatio, ut sit: nec dole, hos esse mortis tuae auctores; crede potius Caesaris esse manum, quacumque interficiaris.

629. *Spargant* etc. Proiiciant mea membra; ego tamen felix sum; mutari enim potest fortuna in vita, sed mors ipsa miseros nos non reddit. Ergo nolo lacrymari. Adspiciunt me uxor et filius. Eo minus gemendum, fortiusque dolori resistendum est.

633. *patientius* i. fortius, constantius.

634. *natus* etc. Credo me amari a meis, eosque ideo certe miraturos esse, me peremtum, nisi valde dolituros. Modesti signum orationis exitus.

635. *custodia*, robur, fortitud in se continendo conspicua.

636. *ius hoc* etc. hanc anim sui fortitudinem etiam morie exserebat.

637. Cornelia non tam patie erat nefas illud cernere, qua perferre, h. e. ferre fortiter p tuit, cernere quiete non potu

641. Credit ergo Corneli Caesarem ipsum iam devenis in Aegyptum, ibique Pompeiu aut propria manu interemis aut interfici curasse. Ceterum hic quoque positum videtur p *etenim*, quemadmodum fortas supra positum legitur VI, 44 et 823. et ut persaepe simplic ponuntur pro compositis.

642. Sed tu, quisquis es, q ad Pompeium interficiendum superis immissus es, vel Caes

A superis immisse caput, vel Caesaris irae
Vel tibi prospiciens, nescis, crudelis, ubi ipsa
Viscera sint Magni: properas, atque ingeris ictus,
Qua votum est victo. Poenas non morte minores
Pendat, et ante meum videat caput. Haud ego culpa
Libera bellorum, quae matrum sola per undas
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
Victum, quod reges etiam timuere, recepi.
Hoc merui, coniux, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente,
Vita digna fui? Moriar, nec munere regis.
Aut mihi praecipitem, nautae, permittite saltum,
Aut laqueum collo tortosque aptare rudentes:
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.
Pompeio praestare potest, quod Caesaris armis
Imputet. O saevi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, coniux, et iam Cornelia non est
Iuris, Magne, sui. Prohibent accersere mortem:
Servor victori. Sic fata, interque suorum
Lapsa manus, rapitur, trepida fugiente carina.
At Magni quum terga sonent et pectora ferro,
Permansisse decus sacrae venerabile formae,
Iratamque deis faciem, nil ultima mortis
Ex habitu vultuque viri mutasse, fatentur
Qui lacerum videre caput. Nam saevus in ipso
Septimius sceleris maius scelus invenit actu:

655. *aptare* C. Ae. a. b. d. — V. *aptate.*

ri vel tibi consulens; me potius pete atque interfice. Nam in me vera sunt viscera Pompeii. Ipsi Pompeio perire in votis fuit, quippe victo. At si me videat ante se interemtam, poenas pendat morte adeo maiores.

647. *pendat* sc. Pompeius eo ut tu me potius interficias.

651. Haec iam ad Pompeium ipsum loquitur; unde v. *coniux* puto esse vocativum, non, ut alii, appositionem. Cf. 659.

656. *Aut aliquis* etc. aut aliquis horum, qui nos comitati sunt, me occidendo dignum se praestet qui Pompeii comes fuerit. — *exigat*, h. e. fortiter agat et immittat.

657. Potest conferre beneficium Pompeio, (nam ego pars eius sum atque viscera) quod crudelitati Caesaris adscribetur.

662. *rapitur*, abripitur ab adspectu litoris.

663. *sonent* sc. ictibus ensium.

668. *Septimius*, qui, tribunus olim militaris sub Gabinio, a quo Pompeii iussu restitutus erat in regnum suum Ptolemaeus, in Aegypto remanserat, ut alii multi Romanorum fecerant. De quibus cf. X, 402. De hoc Septimio v. Flor. IV, 2, 52. Aurel. Vict. de vir. ill. 77.

Seque probat moriens, atque
Saecula Romanos numquam
Attendunt, aevumque sequen
Orbe ratem, Phariamque fid
Fata tibi longae fluxerunt
Ignorant populi, si non in
An scieris adversa pati.
Auctoremque dole fati. Q
Crede manum soceri. Spa
Sum tamen, o superi, feli
Hoc auferre deo. Mutan
Non fit morte miser. Vi
Pompeiusque meus. Tar
Claude, dolor, gemitus:
Si mirantur, amant. T
Mentis erat: ius hoc ani
At non tam patiens
Quam perferre nefas, m
Vocibus: *o coniunx, eg*
Letiferae tibi caussa n
Et prior in Nili perv
Nam cui ius alii scel

631. Sic Ar. — V.

621. *Se probat* sc. P
esse.
624. *ratem* sc. hanc
ego morior.
628. *Auctoremque*
et hic suppl. negati
nec dole, hos esse m
auctores; crede poti
esse manum, quacu
ficiaris.
629. *Spargant* etc
mea membra; ego
sum; mutari enim
tuna in vita, sed n
seros nos non redd
lo lacrymari. A
uxor et filius. Eo
dum, fortiusque d
dum est.
633. *patientius*
stantius.
634. *natus* etc.
ri a meis, eo
miraturos esse,

eno est.
s proles,
ororis,
r in antro,
quiescant,
nque pudendam
Mausolea:
sque vadosis
ne molesta
cadaver?
rospera fata
culmine rerum
exegit in uno
ot praestitit annos:
uam mixta videret
ante deorum,
emel impulit illum
tur arenis,
per vulnera fluctu
nanente figura,
iactura revulsi.
r quam tangat arenas,
rtuna paravit,
iore sepulchro.
d aequora Cordus.
litore Cypri
s. Ille per umbras
pietate timorem
m corpus in undis
que ad litora Magnum.
sas Cynthia nubes
r aequore truncus

, simus fuit, nullo malo admixto,
- vel miserrimus, nullo parcente.
- 709. *carpitur*, discerpitur.
i 711. *nota* qua agnoscatur.
i 715. *Cordus*, quaestor Pompeii, ut vult poeta. Al. l. *Cedrus*.
- 716. *Idalus* mons Cypri; *Cinyras* antiquus Cypri rex, cuius et Myrrhae filius Adonis. Cf. Ov. Met. lib. X. Pindar. Pyth. 2. Nem. 8.
- 719. *compulit*, depulit.

Conspicitur. Tenet ille ducem complexibus arctis,
Eripiente mari: nunc victus pondere tanto
Exspectat fluctus, pelagoque iuvante cadaver
Impellit. Postquam sicco iam litore sedit,
Incubuit Magno, lacrimasque effudit in omne
Vulnus, et ad superos obscuraque sidera fatur:
Non pretiosa petit cumulato ture sepulchra
Pompeius, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
Ut ferat e membris Eoos fumus odores,
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Praeferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
Proiectis moerens exercitus ambiat armis.
Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quae lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
Crine iacet, subicique facem complexa maritum
Imperat, extremo sed abest a munere busti
Infelix coniux, nec adhuc a litore longe est.
Sic fatus, parvos iuvenis procul adspicit ignes,
Corpus, vile suis, nullo custode cremantes.
Inde rapit flammas, semiustaque robora membris
Subducens, *Quaecumque es*, ait, *neglecta, nec ulli*
Cara tuo, sed Pompeio felicior umbra,
Quod iam compositum violat manus hospita bustum,
Da veniam; si quid sensus post fata relictum est,
Cedis et ipsa rogo, paterisque haec damna sepulchri,

724. *mari*, sc. refluo.

728. *obscuraque sidera*, quippe nubibus obscurata, uti supra dixerat vs. 721. *per densas Cynthia nubes.*

730. *non* sc. petit Pompeius.

731. *e membris* sc. rogo combustis, h. e. ex rogo.

732. Non petit, ut tamquam pater patriae efferatur a nobilissimis civibus, feretrum subeuntibus.

733. non, ut in pompa funebri rerum gestarum tituli triumphorumque imagines praeferantur.

737. *siccos*, in quos nulla coniiciantur aromata, nullum olivum, aut opobalsamum, nullae lacrymae, ut fieri solebat.

742. *nec*, quamquam non longe hinc moretur.

744. qui cremabant corpus mortui alicuius, quod sui neglexerant et incustoditum reliquerant.

747. *felicior*, quia tamen combureris.

748. *Quod iam* etc. Ignosce mihi rogum tuum violanti.

750. *Cedis* etc. Quomodo cedit umbra, aut significat se cedere velle? Schrevelius: „et ipsa videris tardius uri, quo Pompeio cedas pyrae tuae partem.“ Supplendum *si* ex ante-

pudet, sparsis Pompeii manibus, uri.
tur, plenusque sinus ardente favilla
at ad truncum; qui fluctu paene relatus
pendebat. Summas dimovit arenas,
lecta procul lacerae fragmenta carinae
trepidus posuit scrobe. Nobile corpus
a nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
tus Magnum, non subditus, accipit ignis.
dens iuxta flammas: *O maxime*, dixit,
r, et Hesperii maiestas nominis una,
i iactatu pelagi, si funere nullo
or iste rogus; manes animamque potentem
's averte meis: iniuria fati
'as esse iubet; ne ponti belua quidquam,
ra, ne volucres, ne saevi Caesaris ira
it: exiguam, quantum potes, accipe flammam,
na succense manu. Fortuna recursus
t in Hesperiam, non hac in sede quiescent
sacri cineres, sed te Cornelia, Magne,
iet, nostraque manu transfundet in urnam.
a parvo signemus litora saxo,
ta sit busti; si quis placare peremptum
volet, plenos et reddere mortis honores;
iat trunci cineres, et norit arenas,
as, Magne, tuum referat caput. Haec ubi fatus,
it invalidas admoto fomite flammas.
tur, et lentum Magnus destillat in ignem,
fovens bustum. Sed iam percusserat astra
ae praemissa dies: ille, ordine rupto
is, adtonitus latebras in litore quaerit.
metuis, demens, isto pro crimine poenam,
te fama loquax omnes accepit in annos?
ta laudabit Magni socer impius ossa:

77. *Destillat Magnus* C. — V. *Magnus distillat i. i.* — Ae. *us lentum d.i. i.* — Ar. ut V.
79. Sic Ar. Ae. a. b. d. — V. *promissa.* C. *Aurora praemissa.*

tibus, ita ut, quod sperari it, pro certo iam ponatur: miam, si quid sensus re- est, sique tu, pro eo qui sensu, ipsa dubio procul roge, et haec damna pa- ut possit Pompeius com-

premunt. Premunt enim etiam ea, quae supposita sunt oneri.

761. Si mavis iactari pelago, si mavis nullum funus, quam hunc rogum, averte te ab officiis meis.

767. *succense*, qui combureris.

778. *Tabe fovens*, adipe alens flammam.

I modo securus veniae, fassusque sepulchrum
Posce caput. Cogit pietas imponere finem
Officio. Semiusta rapit resolutaque nondum
Ossa satis, nervis et inustis plena medullis
Aequorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo. Tunc, ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo compressit arenam:
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus. Placet hoc, Fortuna, sepulchrum
Dicere Pompeii, quo condi maluit illum,
Quam terra caruisse socer? Temeraria dextra,
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? Situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen et omne
Imperium Magno est tumuli modus. Obrue saxa,
Crimine plena deûm. Si tota est Herculis Oete,
Et iuga tota vacant Bromio Nyseia, quare
Unus in Aegypto Magno lapis? Omnia Lagi
Arva tenere potest, si nullo caespite nomen
Haeserit. Erremus populi, cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
Quodsi tam sacro dignaris nomine saxum,
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertori, revocato consule, victa,
Et currus, quos egit eques: commercia tuta
Gentibus, et pavidos Cilicas maris. Adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, et quidquid in Euro
Regnorum Boreaque iacet. Dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis
Contentum patriae multos donasse triumphos.
Quis capit haec tumulus? Surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum: solitumque legi super alta deorum

803. *Arva* Ar. Ae. b. — V. *Rura.*

794. *quo condi* etc. quo Caesar eum maluit condi, quam prorsus insepultum abiici.

795. *dextra* sc. Cordi.

797. Omnis orbis terrarum Pompeii est monumentum.

799. *Obrue*, destrue hoc saxum.

802. *Omnia L.* Si nullo in cespite nomen P. legetur inscriptum, opinari poterimus eum ubique in Aegypto sepultum esse.

804. *Erremus*, ignoremus, ubi sis sepultus. Sic *ne erres* in Plauto i. e. q. ne sis nescius.

na, et exstructos spoliis hostilibus arcus,
procul est ima Pompeii nomen arena,
ssum tumulo, quod non legat advena rectus,
nisi monstratum, Romanus transeat hospes.
oxia civili tellus Aegyptia fato,
equidem immerito Cumanae carmine vatis
m, ne Nili Pelusia tangeret ora
rius miles, ripasque aestate tumentes.
tibi saeva precer pro tanto crimine tellus?
; aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus,
eriles egeant hibernis imbribus agri,
ue in Aethiopum putres solvaris arenas.
n templa tuam Romana accepimus Isin,
anesque deos, et sistra iubentia luctus,
em tu plangens hominem testaris Osirin:
ostros, Aegypte, tenes in pulvere Manes.
ıoque, quum saevo dederis iam templa tyranno,
ım Pompeii cineres, o Roma, petisti:
adhuc iacet umbra ducis. Si saecula prima
is timuere minas: nunc excipe saltem
tui Magni, si nondum subruta fluctu
tellure sedent. Quis busta timebit?
acris dignam movisse verebitur umbram?
et hoc nobis utinam scelus, et velit uti
› Roma sinu: satis o nimiumque beatus,
ii contingat manes transferre revulsos
iam, si tale ducis violare sepulchrum.
an, aut sulco sterili quum poscere finem
eris, aut Roma volet feralibus Austris,
s aut nimiis, aut terrae tecta moventi,

2. *semicanesque deos* Ar. Ae., bene. — V. *Semideosque canes.*
1. *umbram* Ar. Ae. et a. pro var. l. — V. *urnam.*

Culmina, templorum, quae
.
rectus, nisi inclinet se ad
nm.
Cumanae vatis. Vetuerat
Sibylla exercitum in Ae-
a deduci. Cf. Cic. epist.
I, 7.
aestate. Intumescit enim
aestate, non hieme, ut
vii.
tyranno, Caesari.
invisa, infesta Romanis.

842. O utinam, inquit poeta, mihi hoc Roma imperet, ut meum in sinum colligam Pompeii manes.

845. *violare* sc. mihi contingat.

846. Erit, credo, tempus, ubi ad devertendam sterilitatem, pestem, incendia aut terrae motum, oracula docebunt Pompeii ossa ex Aegypto in Urbem transferenda.

Consilio iussuque deûm transibis in urbem,
Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.
Nunc quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, et imbrifera siccas sub Pleiade Thebas,
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoae,
Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Advertet, manesque tuos placare iuvabit,
Et Casio praeferre Jovi? Nil ista nocebunt
Famae busta tuae. Templis auroque sepultus
Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,
Hoc tumulo Fortuna iacens. Augustius aris
Victoris Libyco pulsatur in aequore saxum.
Tarpeiis qui saepe deis sua tura negarunt,
Inclusum fusco venerentur cespite numen.
Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri

851. *Nuno* C. — V. *Nam.*

857. *iuvabit* C. Ae. et c. in marg. — V. *iubebit.* Ar. *licebit.*

862. *in aequore* Ar. C. a. b. c. — V. *ab aeq.*

864. Ar. C. a. b. c. d. *Tusco.* — V. Ae. *fusco*, quod expl. de terra Aegyptiorum qui nigri sint, uti Farnab., aut de pinguedine, ut Sulpicius. *venerentur* Ar. Ae. *venerantur* V. Pro *numen* V. *fulmen*, c. *nomen;* at Ae. *numen*, quod toti loco unice aptum accommodatumque est. Nam de Pompeio tamquam numine colendo agit omnis apostrophe. Cf. v. 860. *Nomen* autem reductum esse credas e verss. 803. et 806. et 820. Porro pro *fusco* fortasse leg. *fulto*, uti additur *cespiti* libro V, vs. 316. *stetit aggere fulti cespitis.* Ex *fulto* dein factum *fusco*, e quo *tusco;* quod quum aliquis memoria componeret cum Tuscorum de fulminibus doctrina, a Plinio H. N. II, 53. exposita, et cum Arunte Tusco lib. I, 584. et 606. sqq., Tusco iste cespiti addiderat *fulmen;* idque, ut multa, iam primis temporibus illatum, deinde in plerosque codices superstitiose sane propagatum. Nam ut *fulmen imperii Romani* intelligeretur, quo nomine Scipiones Cicero appellat, opus erat addito vel *Romanum* vel alio quopiam epitheto, quo res paulo accuratius declararetur. *Fultus* autem foret *erectus*, *exstructus.* Cf. V, 251. — *Tarpeii dii* sunt Caesares, millies ab Ovidio, Horatio, Virgilio et aliis numina vocati, ut et ipse Lucanus Neronem I, 63. imo Pompeium Jovi Cretensium comparat in fine huius l.; cf. et IX, 158. sqq.

858. *Casio Jovi*, qui in monte Casio colitur. — *praeferre*, potius visere.

860. *Nunc est* etc. Fortuna quodammodo ipsa hic cum Pompeio, cui semper faverat, sepulta.

863. Aegyptii, qui saepe noluerunt venerari Romanos in Capitolio deos, venerentur numen Pompeii fusco cespite inclusum. Cf. VI, 253. *Ac veluti inclusum perfosso in pectore numen.*

Ardua marmoreo surrexit pondere moles.
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuae. Veniet felicior aetas,
Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud:
Atque erit Aegyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

866. Bene tibi cedet, Pompei, sit, quod illic in Aegypto non magnificum nactus es sepulcrum. Sic enim non habebunt, quo glorientur Aegyptii sepulcro tuo; quoniam illud quod nactus es bustum breve post tempus nusquam comparebit, atque ita posteritas mendacii damnabit Aegyptios, gloriantes te in sua ora occidisse.

867. *non longa vetustas*, h. e. non longum adeo aevum, non longum temporis spatium. Sic enim saepius *vetustas* usurpatur de tempore praeterlapso, quo rerum status immutatur; ut supra III, 471. *rupes, quam vertice montis Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas.* Cf. et VII, 850.

872. Sic Callimachus: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο Κρῆτες ἐτεκτήναντο. Σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.*

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER NONUS.

SUMMARIUM.

At anima Pompeii, busto relicto, evolat ad piorum sedes, indeque terram despicit, et implet pectora suorum, Bruti et Catonis. — 23. *Cato, iam totus Pompeianus, cum copiarum reliquiis Corcyram petit.* — 35. *Inde Cretam, ac denique Africam, ubi classem Pompeii deprehendunt, in qua Cornelia.* — 50. *Illa enim viso Pompeii sepulcro lamentata erat, nolueratque Aegypto abire, hortata Sextum, ut ipse in bellum proficisceretur; deinde in imam navis partem sese abdiderat.* — 116. *Ea ad Cyprum appulerat; dein ad Africam denuo, ad Catonis alteriusque Pompeii filii castra. Ibi Sextus edocet fratrem de nece patris.* — 145. *Ille Aegyptum petere vult. At Cato retinet.* — 166. *Cornelia in litus egressa ibi comburit Magni vestes et arma et insignia quae gesserat, loco ut essent cineris sibi; funusque instituit.* — 185. *Laudat Pompeium egregia oratione Cato.* — 214. *Milites interea Catonis fremunt, belloque abscedere postulant. Et primus Cilix Tarchondimotus; quem carpit Cato. At respondet ei alius ex illis, se Pompeium secutos esse, non civile bellum; velle abire domum.* — 254. *Indignatur Cato, et oratione eos retinet.* — 293. *Exercentur armis milites; expugnantur Cyrenaeorum oppida.* — 299. *Regnum deinde Iubae petitur navibus. Syrtes describuntur.* — 318. *Tempestas oritur. Ibi aliae naves alio deferuntur. Pars ad Tritonis paludem.* — 347. *Depingitur ea regio fabulosa. Sylva ibi olim aurea Hesperidum, fluviusque Letho.* — 367. *Hinc classis, syrtibus liberata, in Libyae ora stationem capit.* — 370. *At Cato, morae impatiens, suadet egredi in continentem, terraque per arenas iter facere.* — 410. *Describitur Libya, et mala iter ibi facientibus perpetienda. Arena conflictantur milites,* — 497. *sitim patiuntur.* — 511. *Ad Iovis Hammonis sedem perveniunt. Describitur eius situs.* — 543. *Labienus hortatur, ut consulant oraculum.* — 563. *At Cato non opus esse ait ei, qui sciat fortiter moriendum esse forti viro. Ita abeunt templo.* — 586. *Pergunt, praeeunte Catone; deveniunt ad fontem serpentibus plenum, e quo bibunt, hortante duce, illaesi.* — 618. *Quaerit poeta, unde tanta in Africa serpentum copia? Ergo facit digressionem de Phorcyadibus Medusaque, quae describitur.* — 658. *Narratur Perseus Gorgoni caput abscidisse,* — 684. *deinde per aera super Libyam volasse, ubi ex cruore Gorgonis destillante serpentes enati sint; qui describuntur.* — 733.

Per ea loca dum Cato iter facit, multi a serpentibus interimuntur, quorum mortes enarrantur. — 838. *Queruntur milites.* — 880. *Catonis fortitudo constans.* — 889. *Lenitur malum a Psyllis, venenum exsugentibus.* — 941. *Denique Leptin perveniunt.* — 949. *Caesar interim, Pompeium quaerens, Hellespontum adit, Troiamque,* — 965. *cuius regio describitur;* — 999. *deinde Aegyptum. Ibi satelles regius ei obviam venit, Pompeii caput offerens.* — 1033. *Lacrymatur Caesar, quamvis laetus, increpatque satellitem regemque. Pompeii manes placare eos iubet.*

At non in Pharia manes iacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustaque membra relinquens
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis,
Qua niger astriferis connectitur axibus aer,
Quaque patet terras inter lunaeque meatus,
(Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes aetheris imi
Fecit) et aeternos animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec ture sepulti
Perveniunt. Illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur, et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte iaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiae campos, et signa cruenti
Caesaris, ac sparsas volitavit in aequore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.

3. *semiustaque* Ar. Ac. C. in quo elidenda *i.* — V. *semusta* rectius, ut et alibi legitur.
6. *Quaque* Ar. Ac. b. — V. *Quodque.*
8. *vita* Ac. Ar. a. b. c. d. — V. *vitae.*

1. *manes* sc. Pompeii. Inest autem et in his et in postremis praecedentis libri quasi apotheosis quaedam Pompeii.
5. *niger*, videlicet respectu fulgoris aetherei et astrorum.
6. *patet* sc. aer.
7. Beatas heroum animas quidam in regione proxime lunam collocabant. — *ignea virtus*, ut est apud Virg. Aen. VI, 730. *Igneus est illis vigor et coelestis origo.*
8. *innocuos vita*, h. e. quoniam non corrumpi se passi sunt inferiorum contage. — *patientes fecit*, effecit virtus, ut possent perpeti aetheris infimi calorem.
9. *collegit* sc. Pompeius, animam suam conciliavit cum aeternis stellis.
10. *Non illuc* sc. semper. — *auro positi*, aureis loculis conditi; int. imperatores.
12. *stellasque vagas miratur.* Sic Virgilius Ecl. V, 56. *Candidus insuetum miratur limen Olympi, Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.* V. et Ciceronem in Somnio Scipionis.

Ille, ubi pendebant casus, dubiumque manebat,
Quem mundi dominum facerent civilia bella,
Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma,
Auspiciis raptus patriae ductuque senatus:
At post Thessalicas clades iam pectore toto
Pompeianus erat. Patriam tutore carentem
Excepit, populi trepidantia membra refovit,
Ignavis manibus proiectos reddidit enses,
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servire timens. Nil caussa fecit in armis
Ipse sua: totae post Magni funera partes
Libertatis erant: quas ne per litora fusas
Colligeret rapido victoria Caesaris actu,
Corcyrae secreta petit, ac mille carinis
Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinae.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Agmina? quis pelagus victas arctasse carinas?
    Dorida tunc Malean, et apertam Taenaron umbris,
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas
Creta fugit: Dictaea legit, cedentibus undis,
Litora. Tunc ausum classi praecludere portus
Impulit ac saevas meritum Phycunta rapinas
Sparsit: et hinc placidis alto delabitur auris
In litus, Palinure, tuum: (neque enim aequore tantum
Ausonio monumenta tenes, portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro;)
Quum procul ex alto tendentes vela carinae
Ancipites tenuere animos, sociosne malorum,
An veherent hostes. Praeceps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur esse carina.

19. *Ille*, videlicet Cato.

21. *et Magnum*, non solum Caesarem.

25. *excepit*, in tutelam suam.

29. *totae* etc. totae partes Pompeii post ducis mortem libertatem sequebantur.

32. *petit* sc. Cato. — *mille*. Trecentae fuerunt naves, secundum scriptores. Ergo et hic hyperbole, qua significetur numerus omnino non mediocris.

38. *fugit*, praeternavigatur. — *legit*, item est: praeternavigat.

39. Tunc Phycunta, Cyrenaicae regionis oppidum, quod portu eum excludere conabatur, expugnavit, et militibus suis diripiendum praebuit.

42. *Palinure*, promontorium Cyrenaicae regionis in Africa, a Palinuro, Aeneae navis magistro, denominatum.

43. *tenes* sc. o Palinure.

45. quum naves Corneliae Sextique procul conspectae dubitare fecerunt Catonianos, hostiumne essent illae, an Pompeii.

47. *praeceps victor*, i. e. propere victoriam persequens Caesar.

llae puppes luctus planctusque ferebant,
ala vel duri lacrymas motura Catonis.
am postquam frustra precibus Cornelia nautas
gnique fugam tenuit, ne forte repulsus
ibus Phariis remearet in aequora truncus,
iditque rogum non iusti flamma sepulchri:
indigna fui, dixit, *Fortuna*, *marito*
ndisse rogum, *gelidosque effusa per artus*
uisse viro? laceros exurere crines?
braque dispersi pelago componere Magni?
eribus cunctis largos infundere fletus?
us et tepida vestes implere favilla,
uid ab extincto licuisset tollere busto,
mplis sparsura deûm? Sine funeris ullo
t honore rogus: manus hoc Aegyptia forsan
it officium grave manibus. O bene nudi
orum cineres! Pompeio contigit ignis
ia maiore deum. Similisne malorum
mihi semper erit? numquam dare busta licebit
gibus? numquam plenas plangemus ad urnas?
porro tumulis opus est, aut ulla requiris
imenta, dolor? Non toto pectore portas
Pompeium? non imis haeret imago
ribus? Quaerat cineres victura superstes.
tamen hinc longe qui fulget luce maligna
, adhuc aliquid, Phario de litore surgens,
dit mihi, *Magne*, *tui. Jam flamma resedit*,
eiumque ferens vanescit solis ad ortus
s, *et invisi tendunt mihi carbasa venti.*

. *gelidosque* Ar. Ae. C. a. c. d. — V. *gelidos*.
. *hinc* C. c. — V. *hic*.

duri, ἀκαθοῦς, utpote

ne forte etc. h. e. frustra
e tentaverat sues Corne-
i forte truncus Pompeii a
us reiectus conspici pos-
excipi. Ad *ne forte* possis
re: *abessent longius*, si re-
truncus remearet. — Pri-
erat Sextus Pompeius,
nilia natus.

Ostenditque etc. et post-
ex flamma, quam accen-
Cordus, rogum Pompeii
erat.

60. Mulieres enim ossa sinu vestis suae colligebant.

64. *grave manibus*, Pompeio ipsi ingratum, quippe exile nimis.

69. Epanorthosis. Jam enim se consolatur.

72. *victura* sc. alia quaepiam uxor, quae diu se superstitem esse cupit marito.

77. *invisi*, quia avehentes ab Aegypto.

Non mihi nunc tellus Pompeio si qua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
Gratior: elapsus felix de pectore Magnus;
Hunc volumus, quem Nilus habet, terraeque nocenti
Non haerere queror: crimen commendat arenas.
[*Linquere, si qua fides, Pelusia litora nolo.*]
Tu pete bellorum casus, et signa per orbem,
Sexte, paterna move: namque haec mandata reliquit
Pompeius vobis in nostra condita cura:
„*Me quum fatalis leto damnaverit hora,*
„*Excipite, o nati, bellum civile, nec umquam,*
„*Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,*
„*Caesaribus regnare vacet. Vel sceptra, vel urbes*
„*Libertate sua validas impellite fama*
„*Nominis: has vobis partes, haec arma relinquo.*
„*Inveniet classes, quisquis Pompeius in undas*
„*Venerit: et noster nullis non gentibus heres*
„*Bella dabit: tantum indomitos memoresque paterni*
„*Juris habete animos. Uni parere decebit,*
„*Si faciet partes pro libertate, Catoni.*
Exsolvi tibi, Magne, fidem; mandata peregi.
Insidiae valuere tuae, deceptaque vixi,
Ne mihi commissas auferrem perfida voces.
Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, coniux,
Si sunt ulla, sequar: quam longo tradita leto,
Incertum est: poenas animae vivacis ab ipsa
Ante feram. Potuit cernens tua vulnera, Magne,

78. Nulla, inquit, mihi nunc tellus gratior Aegypto.

80. Felicitatem Pompeii nolo ulterius recordari; infelicem diligo.

82. *non haerere;* queror, me non in ista continenti versari, licet illa nocens sit, eo quod Pompeius ibi est combustus.

83. Ego, inquit, nolo secedere ab Aegypto; tu pete bellum. Deest vs. in haud paucis ll.

87. Haec ipsius Pompeii sunt verba, Corneliae paullo ante mandata. Quorum summa haec est: Ego ubi mortuus fuero, vos, filii, bellum contra Caesarem persequimini. Sumite vobis in auxilium reges et urbes liberas. Ducem castrorum eligite vobis Catonem.

90. *vacet*, immune sit a labore et periculo. — *sceptra*, i. e. regna sub unius potestate.

92. *Nominis*, sc. mei, Pompeii.

95. *bella dabit*, nullas non gentes ad bellum excitabit.

99. Quasi astutiae incusat Pompeium, qui sese non secum duxerit ad mortem, quo mandata suis posset eloqui.

101. *chaos*, cf. I, 74. V, 634. VI, 696.

102. *quam longo* etc. Quam longe absim adhuc a morte, ignoro; sed vitam, quamcunque mihi fata extenderint, luctu et cruciatu reddam amaram.

104. *potuit* sc. anima.

Non fugere in mortem: planctu concussa peribit,
Effluet in lacrymas; numquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut praecipites per inania iactus.
Turpe, mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi fata, caput ferali obduxit amictu,
Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
Delituit: saevumque arcte complexa dolorem
Perfruitur lacrymis, et amat pro coniuge luctum.
Illam non fluctus stridensque rudentibus Eurus
Movit, et exsurgens ad summa pericula clamor:
Votaque sollicitis faciens contraria nautis,
Composita in mortem iacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
Inde tenens pelagus, sed iam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes, et castra Catonis.
Tristis, ut in multo mens est praesaga timore,
Adspexit patrios comites e litore Magnus,
Et fratrem: medias praeceps tunc fertur ad undas:
Dic ubi sit, germane, parens: stat summa caputque
Orbis, an occidimus? Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit? Haec fatur: quem contra talia frater:
O felix, quem Sors alias dispersit in oras,
Quique nefas audis: oculos, germane, nocentes
Spectato genitore fero. Non Caesaris armis
Occubuit, dignoque perit auctore ruinae:
Rege sub impuro Nilotica rura tenente,
Hospitii fretus superis et munere tanto
In proavos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:

106. Sic Ar. — V. *contusa.*
109. *obduxit* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *obducit.*
121. *e litore* C. — V. *a l.*

106. *numquam.* Non erit opus vi. Sufficiet dolor internus.

107. *per inania*, per aërem de saxo. Cf. VIII, 654 — 656.

114. *clamor*, sc. nautarum, orta tempestate.

115. *contraria*, videlicet precata, ut interiret navis.

117. Ergo Cornelia ex Aegypto primum ad Cyprum appulit, inde autem relata est Palinurum, ubi Cato consedit. Cf. vs. 42.

118. *tenens pelagus Eurus*, sibi quasi vindicans solus imperium in mare.

121. *Magnus*, i. e. Cn. Pompeius filius, qui cum Catone erat.

122. *fratrem*, Sextum, qui erat cum Cornelia.

124. *Romana*, h. e. res Romanas, fata Romana.

129. *dignoque*, h. e. nec digno, more Lucani.

132. *in proavos* sc. Ptolemaei, quibus restituit regnum.

Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
Litore Niliaco socerum iam stare putavi.
Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
Adfecere senis, quantum gestata per urbem
Ora ducis, quae transfixo sublimia pilo
Vidimus: haec, fama est, oculis victoris iniqui
Servari; scelerisque fidem quaesisse tyrannum.
Nam corpus Phariaene canes avidaeque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. Quaecumque iniuria fati
Abstulit hos artus, superis haec crimina dono:
Servata de parte queror. Quum talia Magnus
Audisset, non in gemitus lacrymasque dolorem
Effudit; iustaque furens pietate profatur:
Praecipitate rates e sicco litore, nautae;
Classis in adversos erumpat remige ventos:
Ite, duces, mecum: numquam civilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellaeas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis
Atque alii reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent poenas nudo tibi, Magne, sepulchra:
Evolvam busto iam numen gentibus Isin,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirin,
Suppositisque deis uram caput. Has mihi poenas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros,
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Aegyptum, populis, genitor, superisque fugatis.
Dixerat, et classem saevas rapiebat in undas.
Sed Cato laudatam iuvenis compescuit iram.

137. *urbem* Ar. Ae. a. d. h. — V. *urbes.*
159. 160. Hoc ordine hos vss. habent Ar. Ae. — In V. transpositi leguntur.
164. Sic Ar. C. — V. *Aegyptum, genitor, populis.*

135. *socerum*, Caesarem.
140. *fidem quaesisse*, voluisse monumentum esse occisi Pompeii. Cf. VIII, 688.
145. *Servata*, h. e. de capite eius.
150. *Numquam* etc. numquam melior occasio data est in bello hoc civili, optime merendi, dum manes inhumatos condimus et Ptolemaei sanguine Pompeio inferias caedimus.
161. *caput* sc. Pompeii.
165. *rapiebat*, abripere voluit.

Interea totis, audito funere Magni,
Litoribus sonuit percussus planctibus aether:
Exemploque carens et nulli cognitus aevo
Luctus erat, mortem populos deflere potentis.
Sed magis, ut visa est, lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppi
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primum in sociae pervenit litora terrae,
Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, et impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miserae Magni cinis. Accipit omnis
Exemplum pietas, et toto litore busta
Surgunt, Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi, depastis submittere gramina campis
Et renovare parans hibernas Apulus herbas,
Igne fovet terras, simul et Garganus et arva
Vulturis et calidi lucent buceta Matini.
Non tamen ad Magni pervenit gratius umbras
Omne quod in superos audet convicia vulgus,
Pompeiumque deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
Civis obit, inquit, *multo maioribus impar*

186. *umbras* C. a. b. c. — V. *umbram*.

171. *Sed magis* sc. etiam plangunt et in questus effunduntur, quum vident Corneliam navi egredientem.

174. *sociae*, h. e. terrae, in qua socii, Cato et Pompeius filius, degebant.

175. *Collegit vestes* etc. videlicet quas secum duxerat Pompeius in navi.

176. *impressas auro*, h. e. quibus impressum erat aurum, quae auro ornatae fuerunt. Sic II, 336. *Cornelia cineres ingesta*, h. e. quae sibi ingesserat cineres.

177. *pictas*, palmis pictas, quas triumphantes gerebant.

178. *ter*, in tribus triumphis. Cf. VII, 685.

179. *Accipit* etc. Reliqui omnes Romani Corneliae exemplum sequuntur.

182. Sic lucent montes Apuliae, Garganus et Vultur, et Matinus, ubi pastores Apuli terras igne fovent, quo renovent herbas hibernas, et efficiant, ut, combustis veteribus herbis, novas herbas terra submittat. — *depastis*, non ovibus, sed igne. — *submittere*, efficere ut germinent. — *hibernas*, quippe inutiles et marcidas, impedientesque quominus novae progerminent. Quibus combustis, et novis liberior fit locus, et terra igne calefit atque fovetur.

186. Non tamen gratius audit Pompeius vulgi querelas de suo obitu, et obtestationes adversus deos, quam orationem Catonis.

190. *multo maioribus impar n.*

Nosse modum iuris, sed in hoc tamen utilis aevo,
Cui non ulla fuit iusti reverentia, salva
Libertate potens, et solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque senatus,
Sed regnantis, erat. Nil belli iure poposcit:
Quaeque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes, sed plura retentis
Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
Praetulit arma togae: sed pacem armatus amavit.
Juvit sumta ducem, iuvit dimissa potestas.
Casta domus, luxuque carens, corruptaque numquam
Fortuna domini. Clarum et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostrae quod proderat urbi.
Olim vera fides, Sulla Marioque receptis,
Libertatis obit: Pompeio rebus ademto
Nunc et ficta perit. Non iam regnare pudebit:
Nec color imperii, nec frons erit ulla senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quaerendos Pharium scelus obtulit enses!
Forsitan in soceri potuisset vivere regno.
Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in iura venimus,
Da talem, Fortuna, Jubam: non deprecor hosti
Servari, dum me servet cervice recisa.

192. *non ulla* Ar. Ae. V. a. b. — C. c. d. *non nulla*.

m. i., h. e. qui quidem si eum maioribus compares, ut Scipionibus, Catoni, Fabio, Fabricio, Cincinnato, Curio, paullo minus modum iuris h. e. potentiae summae tenuisse dicendus est, h. e. paullo plus iusto iuris aut potentiae sibi arrogavit, quam decet hominem in libera civitate. *Jus* enim est summa potestas. Cf. 1, 2. et Ind.

192. *Cui* refero ad *aevum*, ut *fuit* aoristus sit pro praesenti. Cortius: *Cui non nulla fuit i. r.* ut ad Pomp. referantur. — *salva libertate*, ita ut tamen rempublicam pateretur esse liberam.

193. *et solus* etc. solus ex proceribus privatum se gessit, h. e. non regem fecit, licet plebs parata esset ei servire.

198. *intulit* sc. in aerarium. — *invasit ferrum*, suscepit bellum, arma induit, arma cepit.

200. *Juvit*, h. e. lubens imperium sumsit, lubens deposuit.

204. *Olim* etc. Vera libertas iam pridem obiit sub Mario Syllaque; nunc et species eius et umbra evanuit.

207. *color* dignitatis, *frons* fortitudinis et audaciae virilitatisque.

209. *quaerendos*, qui iam optandi nunc sunt bono viro.

210. *Forsitan* etc. Ironice accipienda. Numquam enim potuisset. — *Potuisset* Ar. *potuisses* V.

213. Non deprecor me servari Caesari, dum Juba me servet ei occisum.

Vocibus his maior, quam si Romana sonarent
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
Mortis honos.
Fremit interea discordia vulgi
Castrorum, bellique piget post funera Magni,
Quum Tarchendimotus linquendi signa Catonis
Sustulit. Hunc rapta fugientem classe secutus
Litus in extremum, tali Cato voce notavit:
O numquam pacate Cilix, iterumne rapinas
Vadis in aequoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. Tunc respicit omnes
In coetu motuque viros: quorum unus, aperta
Mente fugae, tali compellat voce regentem:
Nos, Cato, da veniam, Pompeii duxit in arma
Non belli civilis amor, partesque favore
Fecimus. Ille iacet, quem paci praetulit orbis,
Caussaque nostra perit: patrios permitte penates,
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugnae,
Nec Pompeius erit? Perierunt tempora vitae,
Mors eat in tutum: iustas sibi nostra senectus
Prospiciat flammas. Bellum civile sepulcra
Vix ducibus praestare potest. Non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi saeva minatur,

219. *Tarchendimotus* C. — V. *Tarchon motus* aut *Tarcho in motu.*

215. His Catonis vocibus maiorem honorem nacta est Pompeii umbra, quam si laudata esset magnifica oratione in foro Romano.

219. *Tarchondimotus.* Sic emendavit Grotius vulgatam: *Tarchon motus*, quamquam ipse in textu habeat *Tarcho in motu.* Cf. 225. Pro vulg. *motus* quidam ed. habuit *dimotus*, et *Tarchondimotus* aperte legitur Cic. Epp. Famil. XV, 1. et simile quid codices Flori 4, 2. 5. et Dio. Is Tarchondimotus erat nepos Deiotari, regis Ciliciae.

220. *fugientem*, fugere parantem.

225. *aperta mente fugae*, aperte professus se velle fugere.

228. *partesque*, sed nos nomine favore Pompeii eius partes sumus secuti, non studio belli civilis.

232. *pugnae* refer ad *finis;* cuius generis transpositiones haud raro obviae in Lucano. Vide III, 682. *exeat.* et V, 387. *Caesar*, et V, 800. *arenas*, et VIII, 344. *sylvis.*

233. *Perierunt*, perdidimus quasi vitam nostram in bello gerendo; iam optandum est, ut certe mori in tuto domi nostrae possimus.

235. *iustas flammas*, rogos in patria, a nostris congestos.

236. *Non barbara* etc. Non iam metus est, ne sub barbaro aliquo rege futuri simus, vel Armenio aut Scythico: certe sub Romanis erimus.

Aut Scythicum Fortuna iugum: sub iura togati
Civis eo. Quisquis Magno vivente secundus,
Hic mihi primus erit: sacris praestabitur umbris
Summus honor; dominum, quem clades cogit, habebo;
Nullum, Magne, ducem. Te solum in bella secutus,
Post te fata sequar: neque enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
Caesaris: Emathium sparsit victoria ferrum.
Clausa fides miseris, et toto solus in orbe est,
Qui velit ac possit victis praestare salutem.
Pompeio scelus est bellum civile peremto,
Quo fuerat vivente fides. Si publica iura,
Si semper patriam sequeris, Cato, signa petamus,
Romanus quae consul habet. Sic ille profatus
Insiluit puppi, iuvenum comitante tumultu.
Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat litore plebes.
Erupere ducis sacro de pectore voces:
Ergo pari voto gessisti bella, iuventus,
Tu quoque pro dominis, et Pompeiana fuisti,
Non Romana manus? Quod non in regna laboras,
Quod tibi, non ducibus, vivis moreris que, quod orbem
Adquiris nulli, quod iam tibi vincere tutum est,
Bella fugis, quaerisque iugum cervice vacante,
Et nescis sine rege pati? Nunc caussa pericli
Digna viris. Vestro potuit Pompeius abuti
Sanguine: nunc patriae iugulos ensesque negatis,

259. *morerisque* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *morienque*.

241. *quem clades cogit*, qui in Pharsalica pugna victor evasit, Caesarem.

242. *nullum ducem* sc. habebo, intellige *militarem*, i. e. bellum sequi amplius nolo.

243. *fata sequar*, i. e. fortunam atque exitum belli huius.

245. *Emathium* etc. Victoria Caesaris dissipavit exercitum Pompeianum.

246. *Clausa fides miseris*, nullus victis fugatisque fidem praestat aut praestare volet, ob Caesaris metum; Caesarque ipse unus est, qui salutem nobis praestare possit.

251. *consul*, Caesar. Cf. V, 392.

255. *ducis*, Catonis.

256. Ergo vos non pro libertate pugnastis, sed pro Pompeio, pariter atque Caesariani pro Caesare?

258. *Quod non* etc. Nunc, ait, quum non pro rege pugnas, quumque tibi vivis et moreris, nec cuiquam pugnando regnum paras, quumque, si vinces, tibi certo, non alii vinces, nunc fugis bellum, ipsaque tibi iugum quaeris, nec potes esse sine rege et domino.

262. *sine rege pati*, sine rege esse, ut V, 314. *et disce sine armis posse pati*. — *pericli* sc. subeundi.

prope libertas? Unum Fortuna reliquit
ribus e dominis. Pudeat: plus regia Nili
lit in leges, et Parthi militis arcus.
degeneres, Ptolemaei munus et arma
ite. Quis vestras ulla putet esse nocentes
manus? Credet faciles sibi terga dedisse,
t ab Emathiis primos fugisse Philippis.
e securi: meruistis iudice vitam
re, non armis, non obsidione subacti.
ıuli turpes, domini post fata prioris
d heredem. Cur non maiora mereri,
vitam veniamque, libet? Rapiatur in undas
r Magni coniux, prolesque Metelli:
Pompeios: Ptolemaei vincite munus.
a quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
ıarva mercede dabit. Sciet ista iuventus
is pretio bene se mea signa secutam.
ıgite, et magna meritum cum caede parate:
ım scelus est tantum fuga. Dixit: et omnes
aliter medio revocavit ab aequore puppes,
, simul effetas linquunt examina ceras,
oblita favi non miscent nexibus alas,
bi quaeque volat, nec iam degustat amarum
ısa thymum: Phrygii sonus increpat aeris,

). *sciet* Ar. Ae a. c. d. — V. *sciat*. — 288. Sic Ar. a. b. d.
V. tum, si s. increpat aeris. — C. *increpet*.

plus regia N. Ad liberta-
stram tuendam plus pro-
ılemaeus, qui Pompeium,
thi, qui Crassum inter-

Ptolemaei munus, liberta-
uam sarcastice eius mu-
pellat.
Quis etc., h. e. Nemo ho-
credet, vos fortiter pu-
in bello civili, credet
vos primos fugisse.
meruistis, quia non pu-
contra ipsum.
ad haeredem, ad Caesa-
ıasi dominatus successo-
maiora, i. e. libertatem.
Rapiatur etc. Trahatur
Caesarem Cornelia, tra-
filii: maius, quam Ptolemaeus, in Caesarem conferte munus. Meum quoque caput ei tradite.

280. *Sciet* etc. Agite, interficite me, ut hi milites sciant, se utiliter me secutos esse, quippe cervicis meae pretio.

283. *tantum fuga*, si solummodo fugitis, non etiam caedem perpatratis.

285. *simul*, simulac, ubi, postquam — *effetas*, fetu destitutos favos.

286. *non miscent alas*, non conglobatae volant.

288. *Phrygii.* Supple antea: *ubi, si.* Cf. Virg. Georg. IV, 64. *Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.*

Adtonitae posuere fugam, studiumque laboris
Floriferi repetunt, et sparsi mellis amorem:
Gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
Divitias servasse casae: sic voce Catonis
Inculcata viris iusti patientia Martis.
  Jamque actu belli non doctas ferre quietem
Constituit mentes serieque agitare laborum.
Primum litoreis miles lassatur arenis:
Proximus in muros et moenia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Poenaque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Jubae; sed iter mediis natura vetabat
Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.
Syrtes vel, primam mundo natura figuram
Quum daret, in dubio pelagi terraeque reliquit;
(Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab aequore tellus;
Ambigua sed lege loci iacet invia sedes:
Aequora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant proiecti litora fluctus.

290. *Floriferi* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *Florigeri.*
301. *vetabat* Ar. Ae. C. a. b. d. — V. *negabat.*

292. *divitias*, h. e. apes.

294. *Jamque* etc. Constructio: Jamque Cato constituit (h. e. decrevit), mentes militum, quae non doctae erant quietem ferre (quae ad seditionem inclinabant), agitare (i. e. exercere) actu (i. e. specie) belli, et serie laborum, i. e. perpetuis continuisque laboribus. — *actus* i. q. *actio*, ea autem i. q. repraesentatio, imago quasi belli.

296. *arenis*, exercitationibus tamquam in arena, aut itineribus per loca arenosa.

298. *exclusus*, quamquam Cyrenaici eum excluserant, h. e. vetuerant ingredi intra moenia sua. Quamquam Plutarchus eum receptum ab illis refert.

301. *regna Jubae.* Audierat enim Cato, illic esse Scipionem cum Attio Varo.

302. *has* etc. sed virtus tamen Catonis syrtes quoque sperat se superare posse. In seqq. usque ad vs. 318. de origine et natura Syrtium disseritur.

303. Duae opiniones proferuntur, quarum altera statuit: syrtes ab initio a natura ita esse constitutas uti nunc sint; altera: fuisse olim verum mare profundum, sed procedente tempore a sole magis magisque exsiccatum, futurumque olim terram.

305. Nam tellus neque penitus desedit, quo locum daret undis, neque se alte satis extulit, quo arceret aequora.

308. *fracta*, mixta, divisa.

309. *post multa litora*, post multos arenarum spissosque cumulos. Sensus: fluctus divisi sunt multis quasi litoribus.

Sic male deseruit, nullosque exegit in usus
Hanc partem natura sui.) vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:
Sed rapidus Titan, ponto sua lumina pascens,
Aequora subduxit zonae vicina perustae:
Et nunc pontus adhuc Phoebo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit aevum,
Tellus Syrtis erit: nam iam brevis unda superne
Innatat, et late periturum deficit aequor.
Ut primum remis actum mare propulit omne
Classis onus, densis fremuit niger imbribus Auster
In sua regna furens: tentatum classibus aequor
Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas
Egit, et illato confregit litore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo
Eripuit nautis; frustraque rudentibus ausis
Vela negare Noto, spatium vicere carinae,
Atque ultra proram tumuit sinus. Omnia si quis
Providus antennae suffixit lintea summae,
Vincitur, et nudis avertitur armamentis.
Sors melior classi, quae fluctibus incidit altis,
Et certo iactata mari. Quaecumque levatae
Arboribus caesis flatum effudere prementem,
Abstulit has ventis liber contraria volvens
Aestus, et obnixum victor detrudit in Austrum.

332. Hic secuti sumus Illycinum. — V. *effudere prementem;* atque *frementem* hab. Ar. Ae. a. b. d.
334. *detrudit* Ar. Ae. — V. *detrusit.*

310. Sic natura quasi minus curasse et, nullo usu distincto, ambiguam reliquisse hanc partem videtur.

311. *vel plenior alto.* Vide ad vs. 303.

321. *In sua regna*, in loca sibi exposita. — *tentatum* etc. Auster depulit mare a terris, imo litus arenasque ponto intulit.

324. *quarum* sc. navium seu carinarum. — Quarum carbasa recto malo surgebant, earum carbasa nautis eripuit, et dum rudentes frustra tentarunt vela eripere vento, vela ultra proram vi venti sunt inclinata, atque ita superaverunt carinae spatium.

327. *Omnia si* etc. Tanta erat vis venti, ut, etiam si quis vela contraxerat et ad antennam religaverat, tamen is vinceretur, et ab cursu suo averteretur.

329. *nudis armamentis*, ablato velo, ita ut nonnisi armamenta restarent.

331. Quaecunque naves malos abiecerant,

333. eas abstulerunt undae, detruseruntque victrices versus Austrum obnitentem. Nam aestus maris contrarius ibat vento. Praesens *detrudit*, mutatione temporis facta, habent boni libri.

Has vada destituunt, atque interrupta profundo
Terra ferit puppes: dubioque obnoxia fato
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terraque saevit
Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
Saepe tamen cumulos fluctus non vincit arenae.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis,
Inviolatus aqua, sicci iam pulveris agger;
Stant miseri nautae, terraeque haerente carina
Litora nulla vident. Sic partem intercipit aequor:
Pars ratium maior regimen clavumque secuta est,
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos,
Torpentem Tritonos adit illaesa paludem.
Hanc, ut fama, deus, quem toto litore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc et Pallas amat, patrio quae vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima coelo est,
Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
Quam iuxta Lethon tacitus praelabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,

338. Ae. a. b. c. d. *Tunc magis impactum brevius mare.* — Ar. *Tunc magis impactis brevius mare.* — Nostr. C. et V.
355. *Lethon* C. a. b. — V. *Lethes.*

338. *Brevia* sunt loca vadosa. — *impactum* sc. *est*.

339. *quamvis* etc. quamvis fluctus ab Austro repelleretur, et sic maiore etiam cum vi in arenas saevire posset, tamen non evicit arenae cumulos.

341. Dixerat in antecedentibus, saepe cumulos arenae non potuisse vinci a fluctibus. Ergo pergit in eadem pictura, aitque: sic saepe in medio mari existere terram quasi firmam siccamque; ibi ergo haerere miseros nautas, et, quamvis carinae in terra haereant, non tamen vera videre litora.

344. *Sic partem* etc. Jam desinit de syrtibus, incipit de Tritonos palude; ita tamen, ut prius de integra classe Romana loquatur, dicatque, partem eius interceptam esse syrtis aequore, partem autem maiorem, peritiorum regimen secutam, ad Tritonis paludem devenisse. Ceterum narratio de hac Tritonis palude videtur esse imperfecta.

347. De Tritonis palude cf. Mel. I, 7. — *torpentem*, i. stantem.

348. *deus*, Triton, Neptuni tibicen.

350. Minerva enim, e Jovis capite nata, primum in Libyam venit, quae coelo proxima esse credebatur.

353. *posuit plantas*, constitit ibi.

355. *Quam iuxta*, h. e. iuxta quam paludem.

357. Construe: Et iuxta quam

Hesperidum pauper spoliatus frondibus hortus.
Invidus, annoso qui famam derogat aevo,
Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea silva,
Divitiisque graves et fulvo germine rami:
Virgineusque chorus nitidi custodia luci,
Et numquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos,
Retulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis, eiectaque classis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas:
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Mansit. At impatiens virtus haerere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, et terra cingere Syrtim.
Haec eadem suadebat hiems, quae clauserat aequor;
Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes:
Ut neque sole viam, nec duro frigore saevam,
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus.

358. *spoliatus* C. — V. *spoliatis.*
359. *qui famam* Ar. Ae. a. b. d. — V. *famam qui.*

est hortus, qui quondam fuit tutela draconis, h. e. quem quondam tutabatur draco insopitus; quique nunc pauper est, quippe spoliatus Hesperidum frondibus, i. e. aureis pomis, quae abstulit Hercules.

359. Maligni est hominis, fidem vetustati negare, eiusque laudem minuere.

360. *Qui vates*, h. e. qui vatum s. poetarum narrationes ad veri rationes examinare se postulat.

362. *Virgineus ch.* Hesperides, Hesperi filiae, Aegle, Arethusa, et Hesperethusa, de quibus v. Plin. H. N. V, 6. Solinum c. 37. Virg. Aen. III. Claudian. laud. Stilic. I.

364. qui complectebatur arbores, quae curvatae erant propter auri onus quod gerebant.

365. *laborem* sc. tam graves fructus ferendi.

366. *passus*, et dum ausus est ramos inopes quasi reddere, pomis privatos.

367. *tyranno*, Eurystheo.

368. Sensus: Postquam igitur classis syrtes reliquerat, haud ultra navigabat, sed in terra Afr. mansit. — *depulsa*, liberata.

369. *Garamantes* ultra Gaetuliam siti.

373. *Armorum* pro *armis.* — *terra cingere*, h. e. terrestri itinere circuere syrtim.

374. *Haec* etc. Hoc et hiems suadebat, quo tempore clausum quasi erat mare, h. e. periculosum navigantibus.

375. Et spem ponebant etiam in imbre, hiemis tempore crebriore, quo futurum esse sperabant, ut annus inde polo, hinc bruma viam temperaret, nec sole nec frigore saevam.

377. *annus Libyes*, i. e. anni ratio, qualis est in Libya. — *polo*, i. e. coelo soleque.

Atque ingressurus steriles sic fatur arenas:
O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus summosque labores.
Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
Qua nimius Titan, et rarae in fontibus undae,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva,
Durum iter. Ad leges patriaeque ruentis amorem
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,
Si quibus ire sat est. Neque enim mihi fallere quemquam
Est animus, tectoque metu perducere vulgus.
Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
Qui, me teste, pati vel quae tristissima, pulchrum
Romanumque putant. At qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque animae dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. Dum primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,
Me calor aethereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Praetentate meo: sitiat, quicumque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicumque petentem,
Aestuet: aut equitem peditum praecedere turmas,
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum,
Dux an miles eam. Serpens, sitis, ardor, arenae,
Dulcia virtuti: Gaudet patientia duris.
Laetius est, quoties magno sibi constat, honestum.
Sola potest Libye turbam praestare malorum,
Ut deceat fugisse viros. Sic ille paventes
Incendit virtute animos, et amore laborum,

406. *paventes* Ar. Ae. c. — V. *calentes.*

385. *Ad leges*, ad libertatem veramque rempublicam tuendam.

387. *evadere*, h. e. si qui nulla vota faciunt evadendi, sed solummode eundi. — *evadendi*, feliciter ad exitum perveniendi, quem certum spondere nequeo.

394. *dominum*, Caesarem.

398. *Praetentate*, explorate mea morte, quae pericula vobis possint imminere. Patimini me primum omnia pericula subire. — *bibentem* sc. me. — *sitiat*, sitim sentiat, non possit pati.

400. *Aestuet*, aestum sentiat. — *aut equit.*, aut qui me viderit equitantem, is defectum virium sentiat.

404. Quo sunt difficiliora, in quibus se probat virtus, tanto laetior est.

405. In his postremis augetur periculum, quod subeunt, qui Libyam ingrediuntur; quod tantum est, ut etiam fortes viros fugisse haud dedeceat.

Irreducemque viam deserto limite carpit:
Et, sacrum parvo nomen clausura sepulchro,
Invasit Libye securi fata Catonis.
Tertia pars rerum Libye, si credere famae
Cuncta velis: at si ventos coelumque sequaris,
Pars erit Europae. Neque enim plus litora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt,
Unde Europa fugit Libyen, et litora flexu
Oceano fecere locum: sed maior in unam
Orbis abit Asiam. Nam quum communiter istae
Effundant Zephyrum, Boreae latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, descendit in ortus,
Eurum sola tenens. Libycae quod fertile terrae est,
Vergit in occasus: sed et haec non fontibus ullis
Solvitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non aere neque auro
Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura,

419. *descendit* Ar. Ae. C. a. d. c. — V. *discedit.*

408. *irreducem;* certe enim Cato non rediit. Cf. seqq.

410. *Libye invasit,* Libye quasi potita est fatis Catonis. — *Fata* autem mortem significant.

412. *at si v.* at si regiones et coeli situm contempleris, indicandum erit, Africam ad Europam pertinere, huiusque esse partem. Nam Nilus aeque distat a Gadibus, atque Tanais. Apud Gades autem Africa divisa est ab Europa freto Herculeo. — Simile vide apud Salustium Jug. 17.

415. *Unde* etc. a quibus inde Gadibus Europa separata ab Africa.

416. *Sed maior* etc. Ostendit, maximam inter tres terrae partes esse Asiam. Hoc sic demonstrat, ut dicat, Europam cum Africa possidere Zephyrum, deinde dimidiam partem Boreae, dimidiamque Noti, Asiam autem solam habere et dimidiam Noti Boreaeque et integrum Eurum. Solam igitur tantum habere, quantum illae coniunctae habeant.

420. Pergit in descriptione Africae, et ostendit primum, qualis sit eius fertilitas. Nimirum fertiles eius esse partes occidentales. Sed et has esse aridas, nullisque fluviis irrigari. Nam *solvi terram fontibus* nostro i. e. q. fluminibus scindi. Cf. II, 406.

422. *Arctoos* etc. Nam quum illic Aquilo flat, tum imbribus irrigatur terra; plane contra atque, ait, apud nos fit. Nam apud nos Auster pariter atque Boreas serenum faciunt, in Africa imbres.

423. *nostris serenis,* h. e. quum apud nos dies sunt sereni.

424. In seqq. ostendit, terram in Africa esse puram, nullis metallis mixtam, simplicemque, ut et ipsam Afrorum vitam. *In nullas vitiatur opes,* h. e. terra non vitiata est metallis, nullaeque opes civibus perniciosae ex illa egeruntur.

Et penitus terra est. Tantum Maurusia genti
Robora divitiae, quarum non noverat usum,
Sed citri contenta comis vivebat, et umbris.
In nemus ignotum nostrae venere secures,
Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.
At quaecumque vagam Syrtim complectitur ora
Sub nimio porrecta die, vicina perusti
Aetheris, exurit messes, et pulvere Bacchum
Enecat, et nulla putris radice tenetur.
Temperies vitalis abest, et nulla sub illa
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
Orbis, et immotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas,
Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet; quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. Nam litoreis populator arenis
Imminet, et, nulla portus tangente carina,
Novit opes. Sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. Hac ire Catonem
Dura iubet virtus. Illic secura iuventus
Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
Aequoreos est passa metus. Nam litore sicco,

428. Sic Ar. — V. *umbra.*
432. *porrecta* Ar. a. d. — V. *proiecta.*

426. *Maurusia genti robora d.*, dictum putato pro: Maurusiae gentis divitiae sunt robora tantum, h. e. arbores citri. Hypallage est, de qua v. infra vs. 656.

428. Maurusia gens nonnisi frondibus citri ad capitis ornatum utebatur. Romani e citris mensas fecere et lectulos.

431. Opponitur Africa ad Syrtes, Africae occidentali.

433. *pulvere*, i. e. arena torrida, *Bacchum enecat*, vites non alit.

434. *nulla radice tenetur*, nullas arbores nutrit, *putris*, arenosa, pulverulenta. Cf. 526.

435. *nulla sub illa* etc. Sensus debet esse: Jupiter non curat illam terram, non pluit illic. Cf. 8, 447. ubi Aegyptus dicitur non indigere Jovis. Ergo fortasse per hypallagen dictum est pro: et tellus illa sub nulla est Jovis cura. Similem v. *nullus* usum vide II, 397.

437. *annum*, anni vices.

440. *quem mundi* etc. quem populum barbara Syrtis alit damnis mundi, h. e. naufragiis hominum ex omni mundo illic pereuntium.

442. *et nulla* etc. et quamvis nullus ibi portus est, in quem naves cum mercibus possint appellere, tamen Nasamon *novit opes*, h. e. novit luxuriam, aurumque atque argentum.

447. *aequoreos*, h. e. quales navigantes in mari experiuntur. — *nam litore sicco* etc. nam quamvis ibi siccum est litus, tamen Syrtis in litore sicco violentius etiam Austrum excipit, quam in mari.

Quam pelago, Syrtis violentius accipit Austrum.
Et terrae magis ille nocens. Non montibus illum
Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum
Dissipat, et liquidas e turbine solvit in auras:
Nec ruit in silvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu
Aeoliam rabiem totis exercet habenis:
Et non imbriferam contorto pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terrae
Tollitur, et numquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domos: volitantque a culmine raptae
Detecto Garamante casae. Non altius ignis
Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet aera pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentius agmen
Adgreditur, nullusque potest consistere miles,
Instabilis, raptis etiam, quas calcat, arenis.
Concuteret terras, orbemque a sede moveret,
Si solida Libye compage et pondere duro
Clauderet exesis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus
Stat, quia summa fugit. Galeas et scuta virorum
Pilaque contorsit violento spiritus actu,

448. *accipit* Ar. C. a. b. c. — V. *excipit*. — 449. *illum* Ar. Ae. a. b. d. — V. *ortum*. — *nocens* Ar. d. C. — V. *nocet*.
454. *habenis* C. a. b. — V. *arenis*.
455. *contorto* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *cum torto*.
462. *tantus* C. — V. *tantum*. Cf. V, 638.
463. *violentius* Ar. — V. *violentior*.

449. *non montibus* etc. Non habet illa pars Africae montes aut scopulos et sylvas, quibus frangatur vis venti.

455. *non imbriferam*, sed areniferam. Subiectum autem est ventus Auster.

457. *et numquam*, et numquam resolvitur aut decidit, sed tamquam nubes in aethere pendet. Describitur typho, eine Wasserhose, qui vocatur *vertex* Plinio II, 48. quique tecta, domos, sylvas et arenam secum aufert.

458. *regna* sc. sua, suas domos.

461. *rapta*, h. e. quaecunque rapit sursum, ut favillam, fumum.

465. Nam instabilis est miles, h. e. stare nequit, etiam iis arenis, quas calcat. Hae enim ipsae quoque rapiuntur.

466. Si Africa durati esset soli, quo ventis resisteret, aut cavernosa, quae ventos clauderet, ventorum rabie dimoveretur e loco.

Intentusque tulit magni per inania coeli.
Illud in externa forsan longeque remota
Prodigium tellure fuit: delapsaque coelo
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant. Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numae, quae lecta iuventus
Patricia cervice movet: spoliaverat Auster
Aut Boreas populos ancilia nostra ferentes.
Sic orbem torquente Noto Romana iuventus
Procubuit, metuensque rapi, constrinxit amictus,
Inseruitque manus terrae: nec pondere solo,
Sed nisu iacuit, vix sic immobilis Austro:
Qui super ingentes cumulos involvit arenae,
Atque operit tellure viros. Vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris haerens.
Adligat et stantes adfusae magnus arenae
Agger, et immoti terra surgente tenentur.
Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
Effuditque procul, miranda sorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Jamque iter omne latet: nec sunt discrimina terrae
Ulla, nisi aetheriae medio velut aequore flammae.
Sideribus novere vias: nec sidera nota
Ostendit Libycae finitor circulus orae,

484. *nisu* C. a. b. c. d. — V. *nixu*.
495. A. *nota* — C. *tota*.

473. *intentusque*, continuus et vehemens, non intermissus.

474. *Illud* etc. Forsitan hinc illud factum, quod externae terrae pro prodigio habuere, ut arma coelo delaberentur. — *externa*, videlicet respectu Libyae.

476. *hominum erepta lacertis*, h. e. quum tamen hominum lacertis sint erepta a turbine.

477. Non multa, sed unum tantum ancile Numa regnante deciderat coelo, cuius ille similia dein undecim fieri curavit, quo melius absconderetur verum illud.

478. *lecta iuventus*, Salii, sacerdotes Martis, ex patriciis lecti. Cf. I, 603. — *iuventus* viri sunt, non iuvenes. Cf. 481.

484. *nisu*, ita ut summa vi tellurem apprehenderet.

490. Inter alias res etiam saxa, ruinae aedium, effundebantur a vento, postquam is in locis remotissimis domos muresque destruxerat. Sic Catoniani ruinas viderunt, domos nullas videre.

494. Deest hic versus in quibusdam. *aetheriae flammae*, i. e. sidera, ut statim addit.

495. *nec sidera nota*. Sensus: nec tamen in Libya cerni possunt omnes eae stellae, quae apud nos. Nam *finitor circulus*, h. e. horizon, multas earum celat. Pro *nota* al. habent *tota*, ut et Cortius. Verum utut legas, sensui semper incommodi quid inest.

Multaque devexo terrarum margine celat.
  Utque calor solvit, quem torserat aera ventus
Incensusque dies, manant sudoribus artus,
Arent ora siti: conspecta est parva maligna
Unda procul vena: quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galeae confudit in orbem,
Porrexitque duci. Squalebant pulvere fauces
Cunctorum: minimumque tenens dux ipse liquoris
Invidiosus erat. *Mene*, inquit, *degener unum*
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis primisque caloribus impar
Sum visus? Quanto poena tu dignior ista es,
Qui, populo sitiente, bibas! Sic concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.
  Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent. Stat sortifer istic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

502. *galeae* Ar. As. C. — V. *galea*. Bentl. *galeae*.
508. *ista es* Ar. — V. abest *es*. Cdd. *poena es tu d. ista*.
512. *sortifer* C. cuius duo codd. vet. *sortiger* habebant. — V. *corniger*. Sed cf. v. 514.

498. Depinguntur in seqq. mores Catonis et facta eius narrantur; ac primum, ut noluerit bibere aquam a milite sibi porrectam. Ad quam rem narrandam transitus fit copula *que*, more Lucaneo; de quo v. I, 10. var. l. Sensus: postquam ventus desierat, et auctus est diei calor, accidit, ut fontem conspicerent.

499. Hunc locum et Argentinensis et haud pauci codd. sic: *Incensus dies* (al. *Exarsitque dies*) *iam mundi spissior ignis, iam plaga, quam nullam superi mortalibus ultra a medio fecere die, calcatur, et humor in Noton omnis abit; manant sudoribus artus etc.* quae ex parte repetita sunt ex vs. 604. Sed ea desiderabantur in triginta cdd. Cortii, Grotiusque iam illa eiecerat, uti eiicienda sane videntur. Nam illic certe abesse non possunt, dupliciter autem posita esse a poeta, vix credibile est. Ceterum verba *manant sud. artus*, *arent ora siti* ad protasin pertinere, nullum dubium esse debet.

500. *maligna*, non fecunda, invidiosa quodammodo.

505. *Invidiosus*, omnibus invidiae erat.

507. *primis caloribus impar*, h. e. impar perferendo calori primi statim diei.

508. *poena*, ista invidia.

510. *suffecitque omnibus unda*, nemine desiderante illud, a quo abstinuisset dux.

511. Aliud factum Catonis narratur, quo abstinuit a consulendo de futuris Ammone, quia forti viro non esset timendum. — *unum*, h. e. quod commune habebant (Cf. 518.) Libyae populi, et iuxta quod Garamantes *habebant*, h. e. habitabant.

Non illic Libycae posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Aethiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Jupiter Ammon,
Pauper adhuc deus est, nullis violata per aevum
Divitiis delubra tenens: morumque priorum
Numen, Romano templum defendit ab auro.
Esse locis superos, testatur silva, per omnem
Sola virens Libyen. Nam quidquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus extulit Ammon.
Silvarum fons caussa loco, qui putria terrae
Adligat, et domitas unda connectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phoebo, quum cardine summo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
Deprensum est, hunc esse locum, qua circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Aries donat sua tempora Librae,
Aut Astraea iubet lentos descendere Pisces.

518. *Indis*, non Asiaticis fortasse, sed Aethiopibus, qui pariter atque illi scriptoribus Indi vocantur, propterea quod credebantur ex India advecti esse. Sic Virg. Georg. IV. *Usque coloratis amnis devexus ab Indis.*

519. *nullis violata.* Quasi enim violantur templa auro, puriusque templum est, quod auro caret, quam quod abundat. Sic Juv. Sat. XI, 116. *Fictilis et nullo violatus Jupiter auro.*

523. *Nam quidquid* etc. nam omnis ea regio, quae Leptin inter et Berenicida iacet, sine arboribus est, et nuda gignentium, ut ait Crispus. *Berenicis* urbs est una ex quinque illis urbibus, quae sunt capita Pentapolitanae regionis. *Leptis* autem minor, Libyphoenicum oppidum, admodum fertilis agri fuit.

526. *putria terrae adligat.* Sulpicius: terram pulveream constringit et densat. Cf. 434. *putria terrae* dicuntur, ut in Tacito Ann. I, 61. *humido paludum* et ib. 65. *subiecta vallium* et *lubricum paludum*, et in Sall. Jug. 48. *humi aridum atque arenosum.*

528. *nil obstat Phoebo*, nulla umbra est medio die. — *cardine summo.* Cardo hic vocatur summa pars medii coeli, quam sol occupat meridie, media aestate. Ibi in terra Libya nullae sunt umbrae. Cf. II, 587. *atque umbras nusquam flectente Syene.*

531. Sensus: in hoc loco est circulus solstitialis, signaque ibi recta oriuntur, non obliqua, ut apud nos. Ceterum error est; nam Ammonitis citra tropicum Cancri sita.

533. *Tauro Scorpius rectior.* Nimirum Taurus oppositus est in zodiaco Scorpio, qui rectior illo apud nos oritur. Similiter Aries oppositus est Librae, quae duo sidera invicem tempora sua inter se compensant apud nos.

535. Astraea, rectior oriens,

Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens
Humidus Aegoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quaecumque es Libyco gens igne diremta,
In Noton umbra cadit, quae nobis exit in Arcton:
Et segnis Cynosura subit: tu sicca profundo
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice summo
Sidus habes immune mari; procul axis uterque est,
Et fuga signorum medio rapit omnia caelo.
Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio cessere duci: comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi iudicet aevi.
Maximus hortator scrutandi voce deorum
Eventus Labienus erat. *Sors obtulit*, inquit,
Et Fortuna viae tam magni numinis ora
Consiliumque dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim superos arcana daturos
Dicturosque magis, quam sancto vera Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas
Ad leges, sequerisque deum. Datur, ecce, loquendi
Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Caesaris, et patriae venturos excute mores:
Jure suo populis uti legumque licebit,

540. *Et segnis* Ar. Ae. C. — V. *Te segnis*.
541. *summo* Ar. Ae. d. — V. *semper*.
542. *mari* C. a. b. c. d. — V. *maris*.

efficit quasi, ut Pisces, illi oppositi, lentius, h. e. oblique magis descendant. Astraea autem est Virgo in Zodiaco.

536. Chiron, h. e. Sagittarius, non altius surgit, quam Gemini, nec magis ardet Cancer, quam Capricornus. Nec Leo altius surgit Aquario, qui urnam tenet.

540. *Cynosura subit*, h. e. occidit Cynosura, quae apud nos perpetuo in coelo conspicitur. — *segnis*, h. e. quamquam segnis occidat, quia admodum oblique.

541. *plaustra*, Septentrionem.

542. *procul*, h. e. aequo spatio ab illa regione distat; ceterum falso.

543. *Et fuga* etc. h. e. medius inter utrumque polum circumvolvitur Zodiacus.

548. *de fama* etc. h. e. et ut exploret, an verum sit, illic vera reddi oracula, uti ab antiquissimis inde temporibus creditum est.

549. *scrutandi eventus voce deorum*, h. e. explorandi belli eventus oraculo.

550. *Labienus*, qui a Caesare ad Pompeium transfugerat. Cf. V, 346.

554. *arcana* sunt oracula, vaticinia, uti et V, 137.

An bellum civile perit. Tua pectora sacrâ
Voce reple: durae semper virtutis amator,
Quaere quid est virtus, et posce exemplar honesti.
Ille, deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces:
Quid quaeri, Labiene, iubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?
An sit vita nihil, et longa? an differat aetas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
Opposita virtute minas? laudandaque velle
Sit satis, et numquam successu crescat honestum?
Scimus, et haec nobis non altius inseret Ammon.
Haeremus cuncti superis, temploque tacente,
Nil agimus nisi sponte dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor

562. *semper* Ar. et c. ad marg. — V. *saltem*.
568. V. *An sit vita nihil, sed longam differat aetas?* Ar. *An sit vita nihil sed longa? an differat aetas?* Ae. *An sit vita nihil? sed longa an differat aetas?* Nostram C. quam veram esse contendit.
572. *haec* C. a. b. — V. *hoc*.
574. Sic Ar. — V. *Nil facimus non sp. d.*

561. *civile perit*, pro *periit*, h. e. frustra a nobis pugnatur.

562. *sacra voce*, h. e. percipe in pectus tuum sacram vocem Jovis. Sin recusas de bello quaerere, quaere, quid sit virtus, quidque nobis sit agendum.

565. *dignas adytis*, h. e. dignas quas oraculum ipsum efflaretur.

567. *regna*, unius dominationem.

568. *An sit* etc. Vide Senecam Epist. 73. *Non est vita maior, quae longior.* Summa praecepti ergo est, non ut diu vivamus curandum esse, sed ut bene; Vitam ipsam nihil esse, nisi bene vivas; non referre an aetas longa sit, nisi bene impendatur. Quodsi ergo ab his principiis profecti Cortianam lectionem explicandam aggrediamur, sensus erit hic constituendus: Num tu me iubes quaerere, an vita per se nihil sit, etiamsi longa sit? an differat valde, quanta aetas sit, an longa, an brevior? Haec autem quaerere, nihil opus est Stoico philosopho. Is enim, etiam nullo deo consulto, probe scit, vitam per se nihil esse, etiamsi longissima sit; nec differre, longa an brevis sit aetas, i. e. vita, modo bene impendatur. — Pro Cortii *et longa?* malim *nec longa?* legere. Ceterum Schrevelius: „*Longam differt aetas*, hoc est producit, non tamen mutat.“ Legit autem: *sed longam differat aetas?*

571. *crescat;* an aliquid honestum sit, non pendet ab eventu.

572. Sensus: haec omnia certissima sunt, neque hoc melius aut plenius Jovis ipsius oraculum nobis ingeret, quam nos scimus.

573. *Haeremus*, pendemus a superis, arctissime cum iis iuncti sumus; et quamquam omnia templa taceant, nihil non ex deorum voluntate agimus. Non opus est, ut loquatur numen.

575. *dixit*, scil. moriendum esse. Cf. 584.

Quidquid scire licet: steriles nec legit arenas,
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
Estque dei sedes, ubi terra, et pontus, et aer,
Et coelum, et virtus. Superos quid quaerimus ultra?
Juppiter est, quodcumque vides, quodcumque moveris.
Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites: me non oracula certum,
Sed mors certa facit. Pavido fortique cadendum est:
Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur:
Servataque fide templi, discedit ab aris,
Non exploratum populis Ammona relinquens.
  Ipse manu sua pila gerens, praecedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non iubet: et nulla vehitur cervice supinus,
Carpentoque sedens. Somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquae. Quum tandem fonte reperto
Indiga conatur laticis potare iuventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
Fama bonis, et si successu nuda remoto
Inspicitur virtus, quidquid laudamus in ullo
Maiorum, Fortuna fuit. Quis Marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes Libyaeque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru

578. *Estque — ubi* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. *Estne dei s. nisi t. —?* — 580. *quodcunque moveris* Ar. C. b. c. d. — V. *quocunque.* 590. *Carpentoque* Ar. C. a. b. c. d. — V. *Carpentove.* 592. Sic C. — V. *Indiga cogatur latices potare i.*

576. *arenas*, Libyae.

577. *mersit*, nec abscondidit arcana sua his desertis.

578. *Estque* etc. Sensus: deus habitat in omni mundo, et vere etiam in mente hominis verae virtutis studiosi.

585. *Servata fide templi.* Non exploravit Cato oraculum, atque ita fidem templi intemeratam reliquit, quia noluit tentare.

588. *ora*, praecedit ipse pedes, non curru aut equo vectus, militem anheli oris h. e. anhelum os gerentem. — Pro *labores* al. *vapores.*

590. *Carpentoque*, pro: *neque carpento*, more Lucani.

592. *laticis indiga*, h. e. aquae cupidissima. Sic autem boni codices pro vulg. *latices;* atque tale quid ad *indiga* videtur requiri. — Pro *conatur* vulg. *cogatur*, quod sensum nullum habet.

593. *Si veris* etc. Sensus: Si volumus vera bona veramque virtutem aestimare, successu remoto, h. e. nullo respectu habito Fortunae, sine dubio Catonis, quam illic praestitit, virtus reliquorum omnium virtutem excessit, in quibus plerumque Fortuna plurimum egit.

599. *quam ter* etc. h. e. quam tres Pompeii triumphos (cf. IV, 685.) et triumphum quem

Scandere Pompeii, quam frangere colla Jugurthae.
Ecce parens verus patriae, dignissimus aris,
Roma, tuis; per quem numquam iurare pudebit,
Et quem, si steteris umquam cervice soluta,
Tunc olim factura deum. Jam spissior ignis,
Et plaga, quam nullam superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur, et unda
Rarior: inventus mediis fons unus arenis
Largus aquae, sed quem serpentum turba tenebat
Vix capiente loco. Stabant in margine siccae
Aspides, in mediis sitiebant Dipsades undis.
Ductor, ut adspexit perituros fonte relicto,
Adloquitur: *Vana specie conterrite leti,*
Ne dubita, miles, tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admixto sanguine pestis:
Morsu virus habent, et fatum dente minantur:
Pocula morte carent. Dixit, dubiumque venenum
Hausit: et in tota Libyae fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aer
Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
Miscuerit natura solo, non cura laborque
Noster scire valet: nisi quod vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit saecula caussa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus

Marius reportavit de Jugurtha victo.

603. *cervice soluta*, excusso domino, libertateque recuperata.

606. *a medio die*, h. e. meridiem versus. Creditum enim, ibi terram terminari habitabilem.

609. *vix capiente* sc. serpentes.

611. Cato, ut vidit, milites, nisi biberent, esse perituros, animum iis addidit ad bibendum, docens, nihil nocere haustum aquae, in qua serpens contineatur.

616. *dubium venenum*, aquam, quam illi venenum crediderant.

619. Digressio iam fit de Phorcyadibus deque Medusa, ex cuius sanguine in terram destillante prognati sint serpentes.

620. *secreta natura*, abscondita. — *nocenti solo*, terrae perniciosae.

622. *nisi quod* etc., h. e. hoc unum scio, vulgatam per orbem fabulam de Medusa nonnisi fabulam esse, eaque decipi *saecula*, i. e. homines, loco caussae verae. Sic enim semper interpretare illud *nisi* in tali dictione; quemadmodum apud Sallustium plane similis locutio occurrit Jug. 67. in fine: *parum comperimus; nisi quia — videtur*, ubi sensus: hoc unum dicere licet, eum — videri.

624. *Finibus extr. Libyes;* ad mare Atlanticum, contra promontorium, quod vocabatur Hesperion ceras, insulae dicebantur esse Gorgades, bidui navigatione a continente distantes. Ibi credebantur habitare Gor-

pit Oceanum demisso sole calentem,
lebant late Phorcynidos arva Medusae,
nemorum protecta coma, non mollia sulco,
dominae vultu conspectis aspera saxis.
primum natura nocens in corpore saevas
ɩit pestes: illis e faucibus angues
ɩula fuderunt vibratis sibila linguis,
ineae qui more comae per terga soluti,
flagellabant gaudentis colla Medusae.
unt adversa subrectae fronte colubrae,
reumque fluit depexo crine venenum.
habet infelix, cunctis impune, Medusa,
l spectare licet. Nam rictus oraque monstri
timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
ɩ Medusa mori est? Rapuit dubitantia fata,
venitque metus: anima periere retenta
ıbra, nec emissae riguere sub ossibus umbrae.
enidum crines solos movere furores:
erus Orpheo lenivit sibila cantu:
hitryoniades vidit, quum vinceret, Hydram;

ɩ tres, Phorcys et Cetus , unum oculum communem ɩtes, et pro crinibus ha- ɩs hydros.

ɩ. *accipit* etc. h. e. alluitur ɩo pariter fervido. Sensus: ɩrra ibi et mare fervet. — ɩo *sole*, h. e. quia ibi oc- sol.

ɩ. *Squalere* i. e. q. fervere, *ɩsentia* i. q. ferventia Lu- Cf. I, 205. Vertendum r: dort glühten weithin Gefilde der Tochter des cys, Medusens.

ɩ. *conspectis aspera saxis*, h. va illa aspera erant saxis, ɩae vultus dominae omnia ɩrterat, quaecunque ab ea ɩecta fuerant.

ɩ. *Hoc in corpore* sc. Me- ɩ.

ɩ. *pestes*, serpentes, quos ɩrinibus gerebat Medusa.

ɩ. *Hoc* etc. i. e. hi serpen- ɩli impune in Medusa con- ɩntur. Nam qui faciem eius ɩa cernit, is non habet amplius quod timeat; statim enim exanimatus in lapidem convertitur. Non patitur eum Medusa mori; quippe iam mortuus est. — Ceterum vox *Medusa* hic pariter transposita est, atque vs. 232. v. *pugnae*, et III, 679. *hastam*, et V, 387. *Caesar*, et V, 680. *suorum*, et V, 800. *arenae*, et VIII, 343. *silvis*.

639. *rapuit;* Medusa praeripuit eius mortem, metumque omnem praevenit.

640. membra mortua sunt; anima vero adhuc inest.

641. *umbrae*, h. e. animae, non emissae, ipsae quoque riguerunt.

642. Hoc cum monstro collata, omnia alia monstra mitia fuere. Nam Furiae nonnisi furores ciebant, Cerberus lenitus est Orphei cantu, Hercules quum adversus hydram pugnabat, adspicere tamen eam potuit; at Medusam ipsi parentes sororesque timuerunt.

Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum
Phorcus aquis, Cetoque parens, ipsaeque sorores
Gorgones: hoc potuit coelo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque abducere terram.
E coelo volucres subito cum pondere lapsae:
In scopulis haesere ferae: vicina colentes
Aethiopum totae riguerunt marmore gentes.
Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit: coeloque timente
Olim Phlegraeo stantes serpente gigantes,
Erexit montes, bellumque immane deorum
Pallados in medio confecit pectore Gorgon.
Quo postquam partu Danaes et divite nimbo
Ortum Parrhasiae vexerunt Persea pennae
Arcados auctoris citharae liquidaeque palaestrae,
Et subitus praepes Cyllenida sustulit harpen,
Harpen alterius monstri iam caede rubentem,
[A Jove dilectae fuso custode iuvencae:]
Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri,

646. *Cetoque* Ar. Ae. C. a. b. — V. *Cetosque.*
648. *abducere* Ar. Ae. a. b. c. d. — V. C. *obducere.* Abducere terram est, terram omnem in saxum mutare.
656. *Phlegraeo* Ar. V. Ae. a. et recte; nam passim per hypallagen adiectivum, subiecto conveniens, adiungitur attributo; ut Hor. Epod. 10, 12. *Graia victorum manus.* Prop. 7, 3. *Etrusco de sanguine regum.* Ov. Art. am. I, 114. *Rex populo praedae signa petenda dedit*, i. e. praedae petendae. Lucr. II, 500. *Purpura Thessalico concharum tincta colore*, i. e. concharum Thessalicarum. Sil. Ital. VI, 338. *Et Poena insurgit vis saeva virorum*, h. e. Poenorum virorum vis saeva. Sic et Ov. Met. I, 1. — C. *Phlegraeos.*
664. Desideratur vs. in pluribus cdd.

648. *mundoque abducere terram*, h. e. facere ut nulla terra restet mundo, omniaque in saxum mutentur, ut igitur coelum et mare et terra saxa fiant. Sic autem legendum, quum alii habeant: *obducere terram*, quod foret: omnia facere terrena, plane contra sensum poetae.

656. *Phlegraeo stantes serpente Gigantes* sunt Gigantes Phlegraei, pro pedibus angues habentes; per hypallagen. Vide notam crit.

659. Constructio: Postquam pennae Parrhasiae (h. e. Arcadicae) Mercurii Arcades, inventoris cytharae et palaestrae, Perseum, natum ex partu Danaes et ex divite nimbo, in illam regionem vexerunt, et ille, subito sic volucer factus, harpen ab eodem Mercurio acceptam sustulit, qua ante iam Argum confecerat, Pallas auxilium tulit fratri suo volucri, h. e. Perseo, ea tamen conditione, ut ipsa caput Gorgonis acciperet.

ı caput monstri: terraeque in fine Libyssae
ıa Phoebeos converti iussit ad ortus,
onis averso sulcantem regna volatu:
ypeum laevae fulvo dedit aere nitentem,
ıo saxificam iussit spectare Medusam.
ı sopor, aeternam tracturus morte quietem,
it haud totam. Vigilat pars magna comarum,
ıduntque caput praetenti crinibus hydri:
iacet in medios vultus oculique tenebras.
regit trepidum Pallas, dextraque tremente
ƨos aversi Cyllenida dirigit harpen,
colubriferi rumpens confinia colli.
habuit vultus hamati vulnere ferri
ı caput Gorgon! quanto spirasse veneno
rear! quantumque oculos effundere mortis!
Pallas spectare potest: vultusque gelassent
ƨos aversi, si non Tritonia densos
sisset crines, texissetque ora colubris.
ır in coelum sic rapta Gorgone fugit.
quidem pensabat iter, propiusque secabat
era, si medias Europae scinderet urbes;
s frugiferas iussit non laedere terras,
arci populis. Quis enim non praepete tanto
era respiceret? Zephyro convertitur ales,
ı super Libyen, quae, nullo consita cultu,

73. *praetenti* C. — V. *protenti.* Ar. *portentis.* Ae. *protentis.*
78. *hamati* Ar. a. c. — V. *lunati.*
82. *aversi* Ar. C. Ae. a. b. c. d. — V. *adversi.*

l. *terraeque* etc. Quum per-
set Perseus in fines terrae
ıe, quae versus Occiden-
sita est, Pallas eum averso
ı, oculis ad Orientem con-
s, ad Gorgonem accedere
t, ne adspiceret eam.
l. Numquam Gorgo tota dor-
quoniam alias moritura es-

l. *oculique tenebras*, h. e.
ılum somno clausum. Nam
opore sermonem iniecerat
. Atque sic Micyllus inter-
tur et Farnabius. Possit
ı et intelligi alter oculus
ıe carens.
). Ora et oculos Sulpitius
ıtium intelligit. At Medu-
sae intelligi debere, praestat
vs. 683.

684. *sic* sc. servatus ope Palladis.

685. Perseus, Argos reverti cupiens, *pensabat iter*, h. e. compensabat (v. VIII, 249.) h. e. compendium itineris facere potuisset, *propiusque secabat aethera*, h. e. propiore breviorique volatu perfecisset iter, si super Europam volasset. At Pallas vetuit.

688. *Quis enim* sc. incolarum Europae. — *praepete tanto*, h. e. Perseo volante.

689. *Zephyro*, h. e. Zephyri secundi flatu avertitur Perseus, volatque Orientem versus.

Sideribus Phoeboque vacat: premit orbita solis,
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in coelum, lunaeque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Borean aut in Noton effugit umbram.
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusae
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adiuvit, putrique incoxit arenae.
Hic, quae prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis et crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycae mortes, et fecimus Aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem,
Squamiferos ingens Haemorrhois explicat orbes:
Natus et, ambiguae coleret qui Syrtidos arva,
Chersydros, tractique via fumante Chelydri:
Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites.
Concolor exustis atque indiscretus arenis
Ammodytes: spinaque vagi torquente Cerastae:

691. *Sideribus Phoeboque vacat*, h. e. exposita est tota aestui solis et siderum.

692. *nec terra* etc., h. e. illic terrae umbra altior surgit, quam in ulla alia regione, et eclipsin efficit Lunae, si quando ea, oblita cursus sui obliqui, recta per zodiacum currit, nec terrae umbram, versus septentrionem aut meridiem declinans, effugit. *Nox* enim nihil aliud est, quam umbra terrae.

700. Sensus: Ac primum orti sunt serpentes Aspides dicti. *tabes* est *sanies*, h. e. sanguis concretus Medusae. — *caput movit*, h. e. in serpentem conversa est.

701. *somniferam*, quos enim mordet, enecat somno.

705. *sponte sua;* nam capta transfertur in alias oras.

708. *At* etc. Aliud genus serpentium describitur, Haemorrhois, quae sanguinem facit effluere per nares et aures, ut habet Nicander in Theriacis.

710. *Natus et* sc. est Chersydros, et Chelydri.

711. *tracti via fumante.* Hos Nicandri interpres ait *ἐν ἀσινδρῷ λίμνῃ διατρίβειν*. Erit igitur *via fumans* de via quam per aquam trahunt intelligenda. Unde falsi fuerunt, qui illud *fumante* pro *graveolente* aut *pulverulenta* dictum existimavere.

716. *Ammodytes* sc. natus est. — *spinaque* etc., h. e. et nati sunt Cerastae, qui vagi sunt,

Et Scytale, sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas: et torrida Dipsas:
Et gravis in geminum vergens caput Amphisbaena:
Et Natrix violator aquae, Jaculique volucres,
Et contentus iter cauda sulcare Pareas:
Oraque distendens avidus spumantia Prester:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, late sibi submovet omne
Vulgus, et in vacua regnat Basiliscus arena.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,
Pestiferos ardens facit Africa. Ducitis altum
Aera cum pennis, armentaque tota secuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros:
Nec tutus spatio est elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestes duro Cato milite siccum
Emetitur iter, tot tristia fata suorum
Insolitasque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum iuvenem Tyrrheni sanguinis Aulum

719. *vergens* Ar. b. c. d. V. *surgens*.

h. e. celeriter moventur, quum spina huc illuc torqueatur.

717. et Scytale, quae sola hiemis adhuc tempore exuvias suas ponit. Eam Scytalam Solinus scribit praefulgere tergi varietate.

719. Amphisbaena credebatur duo capita habere, quorum alterum in cauda, ut in utramque partem reperet; unde et nomen, ab *ἀμφὶς* et *βαίνω*. V. Plin. H. N. 8, 23. Solin. cap. 40.

720. *natrix*, a nando dicta, serpens aquaticus.

721. Pareas serpens pedes ad caudam habere credebatur.

724. *pestes*, h. e. ipsos serpentes reliquos fugans, quippe qui solo adspectu necet, nullo veneno.

727. *innoxia numina*, colebantur enim tamquam genii, eam ipsam ob caussam, quod innoxii essent, *ἀγαθοὶ δαίμονες* vocati. Pro *numina* Cortius *nomina*.

729. *ducitis altum aera cum pennis*, volatis per altum aera. *Pennae* possunt esse aves, ut V, 716; possunt et alae. Cf. 736. *cum vulnere*.

731. *rumpitis*, h. e. enecatis. — *verbere*, h. e. ictu et adstrictione caudae. Nam permagni credebantur esse, spirisque ingentibus cingere animalia etiam maxima.

732. *spatio*, i. e. magnitudine moleque sua.

733. *nec opus est veneno*, quippe qui spiris solum comprimant et ita suffocent.

734. *duro*, h. e. forti.

735. *tot tristia fata*, quae iam narraturus est poeta; hincque illud *tot*, ut saepius, h. l. dictum pro: *innumera*, *multa*.

736. *parvo cum vulnere*, h. e. parvo ex morsu serpentium.

Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
ronadolor aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
Frons caret invidia, nec quidquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, et in sicco linguam torrere palato
Coepit; defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non moesti iura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanain missus Rhodanumque Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatisque minorem
Famam Dipsas habet, terris adiuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenae:

753. *fatisque* Ar. c. — V. *fatique.*

740. *caret invidia frons leti*, h. e. vulnus adspectu minime est horrendum. *frons* autem sine dubio est scribendum; pro quo Cortius in ed. min. habet *fons*, fortasse per errorem typographicum. Cf. infra vs. 1063.

743. *Ebibit* etc. Venenum serpentis aufert omnem humorem circa cor et pulmones, siccamque facit linguam.

747. *Non decus imperii*, non signum quod gerebat. Erat enim signifer. — *non iura Catonis*, h. e. non summa potestas aut iussum Catonis.

748. *tenuere*, ut saepissime, pro *retinuere*, *continuere*. — *spargere signa*, abiicere signum militare, quod manibus gerebat.

753. *Accessit* etc. Libya auxit pestis h. e. serpentis vim. Nam Dipsas, ubi adiuvatur calore terrae, habet minus et mitius nomen, quam oporteret; vocatur enim Dipsas a siti efficienda, quum tamen non solum sitim, sed et mortem afferat. Pro *fatis minorem* plerique l. *fati minorem*. Nostra et lectio et interpretatio unice loco apta videtur: Dipsas habet nomen minoris ominis, quam quod affert malum. Atque ablativus ad comparativum plane hic deesse non debet, nisi sensu manco; — licet non sequar opinionem Orellii, infelicissimi omnium criticorum (qualem se luculenter praestitit vel in nuperrima editione sua Phaedri) qui in oratione Macri apud Sallustium verba: *quoniam omnis iniuria gravitate tutior est*, ratus ablativum plane aliter resolvi non posse, quam nominativo, addita coniunctione *quam*, *gravitate* in *probitate* mutavit, atque sic corruptum textum edere ausus est, quum Sallustius, qui non eguit profecto talis critici in istoc loco manu correctiva, optimum sensum ipse dederit, longeque graviorem ieiuna Orellii sententia, modo resolvatur dictio sic: *quo gravior, eo tutior.*

755. *Scrutatur* sc. Aulus. —

Nunc redit ad Syrtes, et fluctus accipit ore:
Aequoreusque placet, sed non sibi sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus mortemque veneni,
Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.
Jussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est, hoc posse sitim. Sed tristior illa
Mors erat ante oculos: miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem flexo dente tenacem
Avulsitque manu, piloque adfixit arenis:
Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentae
Tantum mortis habet. Nam plagae proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaque ossa retexit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus;
Membra natant sanie: surae fluxere: sine ullo
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, et nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras: saevum sed membra venenum
Decoquit; in minimum mox contrahit omnia virus

757. *sibi* Ar. — V. *sed non et suff. h.* Nimirum pro *sibi* dederat aliquis *ei*, unde *et* effectum.
764. *quem flexo* Ar. a. b. c. — V. *quem fixo.*
768. *rapta* Ar. Ac. c. — V. *rupta.*
776. *mox* C. — V. *mors.*

squalentis, i. e. ferventis, ut 1, 205. et supra vs. 626.

760. *os implere cruore*, h. e. suum ipsius sanguinem bibere.

761. *signa*, h. e. signum Auli. — *rapi*, arripi, tolli humo, quo abiecerat.

762. *Sed tristior* etc. Jam transit ad aliud genus serpentium, infestius etiam superiore, monstrandum. — *illa* sc. morte, quam passus erat Aulus.

764. *Seps* a graeco *σήπειν* ita vocatus, quia statim post eius morsum putredo sequebatur. Sic Solinus 40: *σὴψ δὲ καλεῖται παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας.* — *stetit*, adhaesit. — *flexo*, incurvo quasi; quo tenacior haesit.

765. *Avulsit* sc. Sabellus ille quidam.

769. *sinu laxo*, aperto vulneris ambitu.

773. *Dissiluit membrana*, rupta est cutis uteri, quae intestina continebat.

774. *nec, quantum* etc. nec solum partes molliores defluunt, ita ut corpus tamen totum h. e. integrum (cf. vs. 793.) maneat; sed omne etiam corpus dissolvitur, ossaque putrescunt et resolvuntur, ut in sequentibus demonstrat. — *debet*, h. e. exspectari potest ut defluat.

776. *in minimum* etc. Constructio est: Mox pestis in minimum virus (h. e. in minutam saniem) contrahit omnia nervorum vincula, aperitque laterum contexta (i. e. costas), et pectus cavum, et omne quidquid abstrusum (h. e. absconditum

Vincula nervorum, et laterum contexta, cavumque
Pectus, et abstrusum fibris vitalibus, omne
Quidquid homo est, aperit pestis. Natura profana
Morte patet: manant humeri fortesque lacerti:
Colla caputque fluunt. Calido non ocius Austro
Nix resoluta cadit, nec solem cera sequetur.
Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum:
Hoc et flamma potest. Sed quis rogus abstulit ossa?
Haec quoque discedunt, putresque secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
Ecce subit facies leto diversa fluenti.
Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Prester. Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor, toto iam corpore maior:
Humanumque egressa modum, super omnia membra
Efflatur sanies: late pollente veneno,
Ipse latet penitus congesto corpore mersus:
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro
Curvavere sinus. Tumidos iam non capit artus
Informis globus, et confuso pondere truncus.
Intactum, volucrum rostris epulasque daturum

777. *contexta* Ar. Ae. — V. *textura* — b. d. a. *iunctura.*
795. *pollente* C. a. b. c. — V. *tollente.*

est) fibris vitalibus, et quidquid interiorem hominis componit et efficit naturam atque formam. Pro *contexta* quomodo reponere potuerint editores *textura*, quum necessario debeat esse accusativus, ego non potui perspicere.

782. Pro *cadit* Grotius *cadet* de coniectura, contra libros omnes. Non autem opus est, hic quoque futurum poni, ideo quod futurum sequatur.

784. *flamma* sc. rogi.

787. *Cyniphias*, h. e. Libycas, a Cyniphe fluvio.

789. *diversa*, contraria facies leti illi leto, quod intulerat seps Sabello. Illa enim dissolverat, haec tumefacit.

795. *Efflatur*, extollitur, surgit, tumet, tamquam si inflata sit cutis; non: erumpit aut effluit.

796. *Ipse* sc. Nasidius.

802. *Intactum* etc. Construe: milites, non ausi busto tradere cadaver, intactum illud fugere, quod daturum erat epulas rostris volucrum atque feris, quamquam haud impune, quodque post mortem etiam increscere continuabat, dum modus, h. e. turgor, nondum staret, h. e. consisteret.

impune feris, non ausi tradere busto,
um stante modo, crescens fugere cadaver.
naiora parant Libycae spectacula pestes.
ssit dentes Haemorrhois aspera Tullo
animo iuveni, miratorique Catonis.
: solet pariter totis se effundere signis
ii pressura croci: sic omnia membra
re simul rutilum pro sanguine virus.
is erant lacrymae: quaecumque foramina novit
r, ab his largus manat cruor: ora redundant,
tulae nares: sudor rubet: omnia plenis
ra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.
i, Leve miser, fixus praecordia pressit
a serpente cruor: nulloque dolore
tus morsus, subita caligine mortem
is, et Stygias somno descendis ad umbras.
am veloci corrumpunt pocula leto,
s quae diro [virgas mentita Sabinas

haud impune, nam ipsae
e ferae volucresque, de
re gustantes, moriturae

miratori, imitatori eius
dinis.

Haec sic interpretatur
ius: Sic per totum eius
cruor effluxit, ut solet
s color emitti per omnia
na, quae sunt in charta
bula pictoris archetypa,
s in subiectam materiam
redduntur pressura croci,
cum expressum et dilu-
– Farnabius cum Schre-
sic: utque in sparsionibus
alibus crocus vino aut
dilutus e siphonibus et
latentibus eiaculatus dif-
ur. Vide Martial. Spect.
3. et Lib. V, 26. Apulei.
Lipsius de Amphitheatro
8. Ac deinde ad v. *signis:*
tuis quoque emittebatur
hic odoratus, *κρόκος ὁ*
ενος. Crocum autem opti-
provenit ad Corycum in
. *Pressura croci* est cro-
expressum machinis per
h. e. statuas in theatro.

811. *lacrymae*, h. e. ex oculis sanguis profluxit. — *novit*, h. e. per quae emanare solitus erat.

815. Alia mors narratur Levi cuiusdam, serpentis morsu continuo in letiferum somnum coniecti. — *fixus*, congelatus quasi et densatus.

820. *Stipite* etc. Locus impeditus, quem sic dedimus, ut emendatus est a Scaligero; antea enim legebatur: *virgas mentita Sabaeas*, quum statim sequenti versu legatur *Sabaei*. Sensus de Grotii sententia hic est: Non tam praesentem inferunt mortem venena, quae fatilegi Sabaei decerpunt ex arbore referente betullam, e qua Romani magistratus, Sabinis auctoribus, virgas gestabant. — *virgae Sabaeae* forent virgae thureae. — Sed primum omnis haec virgarum commemoratio hoc loco inepta est; subiectum enim est *pocula* dictum pro *venenis*, ad quae referuntur sequentia: *quae matura carpunt Sabaei stipite diro*, additumque *matura* significat fructus esse

Toxica fatilegi] carpunt matura Sabaei.
 Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
Torsit et immisit (iaculum vocat Africa) serpens:
Perque caput Paulli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est, quae funda rotat, quam lenta volarent,
Quam segnis Scythicae strideret arundinis aer.
 Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? Velox currit per tela venenum,
Invaditque manum: quam protinus ille retecto
Ense ferit, totoque simul demittit ab armo:
Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus, pereunte manu. Quis fata putaret
Scorpion aut vires maturae mortis habere?
Ille minax nodis, et recto verbere saevus,
Teste tulit coelo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat, Solpuga, latebras?

826. *volarent* C. Bentl. a. b. d. — V. *volaret.*

intelligendos, non autem ligna, quae cum virgis Sabinis possent comparari. Deinde *toxica* superflue additum videtur. Denique nescio quid sibi velit *fatilegi*. Ergo mihi eiicienda videntur ista: *virgas mentita Sabaeas* (sive *Sabinas* legas) *toxica fatilegi*, retinendaque solum: *Stipite quae diro carpunt matura Sabaei*, quae ad sensum plene probeque sufficiunt.

822. Aliud sequitur genus serpentis, quod se iaculatur ex arbore in corpus caputque Paulli cuiusdam, et instar sagittae tempora eius transigit.

825. *rapuit* sc. Paullum, abripuit, abstulit eum *fatum* h. e. mors, solo vulnere.

826. *Deprensum est* etc. h. e. ibi animadverti poterat, quam lenti volarent globuli ex funda missi, si cum illius serpentis volatu compararentur.

827. *Quam segnis* etc. quam segniter sagitta perrumpat aerem.

828. Murrum laesurus erat basiliscus; quem ille cuspide teli transfigit. At tanta erat veneni vis, ut per telum adeo ad manum penetraret. Quod quum sensisset Murrus, ipse stricto gladio suo manum sibi abscidit, et uno ictu ab armo demisit. Quo facto, servatus est, ita tamen ut manus perierit. Atque ita spectat ipse exemplar mortis, qua periturus fuisset, in manu sua.

833. *Quis fata* etc. Quis crederet Scorpium tantas habere vires accelerandae mortis?

835. *nodis* sc. caudae contortae, antequam pungat. — *recto* pro *erecto*. — *verbere* pro *cauda*, per metonymiam effectus pro re efficiente.

836. *decus*, gloriam.

837. Scribitur *Salpiga*, *salpuga*, *solipuga*, *solipunga*, *solpuga*, *scalpyga*, *solipugia*, *solipaga*, *solipagna*. Nomen deducitur a sole, quod eo fervente acrius pungat. Verum hoc in omnibus obtinet venenatis. Plinius 29, 4. solipugas dicit formicarum genus venenatum, quae una cum scorpionibus omnes eius regionis

Et tibi dant Stygiae ius in sua fila sorores.
Sic nec clara dies nec nox dabat atra quietem:
Suspecta est miseris in qua tellure iacebant.
Nam neque congestae struxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori: sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Adliciunt gelidas nocturno frigore pestes:
Innocuosque diu rictus torpente veneno
Inter membra fovent. Nec, quae mensura viarum,
Quisve modus, norant, coelo duce. Saepe querentes,
Reddite, *di*, clamant, *miseris*, *quae fugimus*, *arma:*
Reddite Thessaliam. Patimur cur segnia fata,
In gladios iurata manus? Pro Caesare pugnant
Dipsades, et peragunt civilia bella cerastae.
Ire libet, qua zona rubens atque axis inustus
Solis equis: iuvat aetheriis adscribere caussis,
Quod peream, coeloque mori. Nil, Africa, de te,
Nec de te, natura, queror: tot monstra ferentem,
Gentibus ablatum, dederas serpentibus orbem:
Impatiensque solum Cereris, cultore negato,
Damnasti, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus: accipe poenas,
Tu, quisquis superûm, commercia nostra perosus,
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem

847. *norant* C. d. — V. *norunt*.

incolas sustulerint. Cf. Plin. 8, 29. — *latebras;* videntur ea animalia in arena latuisse.

844. *gelidas pestes*, h. e. serpentes noctis frigoribus rigentes, et ob id innocuos.

846. *Nec*, *quae m.* etc. nec noverunt, quantum viae iam peregerint, quisve modus esset reliqui itineris, dum coelo solum duce utebantur. Cf. vs. 493. *Jamque iter omne latet, nec sunt discrimina terrae Ulla, nisi aetheriae medio velut aequore flammae. Sideribus novere vias.*

848. Valde dubium est, *arma* an *arva* legendum sit, quum utrumque in codicibus legatur. Sed pro vulgata lectione stare videntur, quae leguntur vs. 879.

849. *segnia fata*, per serpentes, mortem ignavam, non congruam viris.

852. *Ire libet* etc. eamus in loca torridiora adhuc, ut calore coeli potius emoriamur, quam hisce bestiis venenatis.

853. *axis inustus Solis equis*, coeli regio ea, quae ipsis Solis equis calcatur, ideoque adusta est.

856. *dederas*, sc. o natura. Sapienter instituisti, ut, qua in terra tot serpentium pestes essent, ibi nulli degerent homines.

859. *nos venimus*, nos potius culpandi sumus, qui sponte in haec loca devenerimus. — *poenas* sc. temeritatis a nobis. Alloquitur autem genium terrae.

860. *commercia nostra*, h. e. humana commercia, consuetudinem hominum.

Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus
Vadit; et arcani miles tibi conscius orbis
Claustra petit mundi. Forsan maiora supersunt
Ingressis. Coeunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. Sed longius ista
Nulla iacet tellus, quam fama cognita nobis
Tristia regna Jubae. Quaeremus forsitan istas
Serpentum terras; habet et solatia coelum:
Vivit adhuc aliquid. Patriae non arva requiro,
Europamque, alios soles, Asiamque, videntem:
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui,
Africa? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
Exiguane via legem convertimus anni?
Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
Terga damus ferienda Noto. Nunc forsitan ipsa est

870. Sic Ar. — V. *habet hoc sol. c.*

865. *claustra mundi*, ubi orbis terrarum clauditur oceano Atlantico; ubi terrarum finis. — *Forsan maiora supersunt* sc. nobis pericula subeunda, *ingressis* sc. nobis, ita ut haec nonnisi initium sint malorum.

866. *Coeunt* etc. Forsan maiora nobis supersunt illic ubi Sol atque sidera in undas calore ferventes demittuntur. Opinabantur enim, Solem occidentem in aequore stridere more ferri candentis in aqua extincti, idque credebant fieri in oceano ad columnas Herculis. Sic Juvenalis sat. 14. *Sed longe Calpe relicta, Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.*

867. *et premitur natura poli.* De polo arctico interpretantur, qui in terris illis depressior appareat. Potest in universum polus de coeli illa parte (cf. 873.) accipi, ubi occidit sol, quaeque *premitur* h. e. laborat tumultu coeuntis cum oceano Solis. — *Sed longius* etc. Propius autem ad illam partem terrae, ubi occidit Sol, nulla iacet terra, quam regnum Jubae, quo pergimus. Ibi ergo certo peribimus, et fortasse, quum eo venerimus, redire cupierimus in has serpentum terras, quippe mitiores illo Jubae regno. Haec enim terra hoc tamen habet solatii, quod adhuc aliqui nostrum vivunt.

869. *istas* hic poni pro *has* ne dubitato. Cf. III, 126. 135. et indicem.

873. Credunt, se non amplius in Africa versari, sed quasi in alium orbem devolutos esse. Unde non video quo iure Cortius improbet signum interrogationis post *Africa* positum.

874. *Cyrenis* etc. Modo quum Cyrenis essemus, hiems erat. Unde nobis tam subito aestus?

875. *legem convertimus anni?* Videntur sibi quasi extra omnem legem naturae positi.

876. *Imus* etc. Pergimus ad polum antarcticum, et ad Antipodas; nostrumque orbem, h. e. horizontem terrae cognitae et consuetae, relinquimus.

877. *Terga damus ferienda Noto.* Brevi fiet, ut eo deveniamus, ubi meridiem versus pergentibus Notus non pectora, sed terga feriet. Cogitatur ergo Notus ex certa regione v. c. sub aequatore sita flare atque oriri,

pedibus iam Roma meis. Solatia fati
petimus: veniant hostes, Caesarque sequatur,
fugimus. Sic dura suos patientia questus
erat: cogit tantos tolerare labores
na ducis virtus, qui nuda fusus arena
bat, atque omni Fortunam provocat hora.
bus unus adest fatis: quocumque vocatur,
lat, atque ingens meritum maiusque salute
ılit, in letum vires: puduitque gementem
este mori. Quod ius habuisset in ipsum
lues? Casus alieno pectore vincit,
tatorque docet, magnos nil posse dolores.
'ix miseris serum tanto lassata periclo
ium Fortuna dedit. Gens unica terras
it a saevo serpentum innoxia morsu,
aridae Psylli: par lingua potentibus herbis:
cruor tutus, nullumque admittere virus,
cantu cessante, potest. Natura locorum
t, ut immunes mixti serpentibus essent.
ıit in mediis sedem posuisse venenis.
illis cum morte data est. Fiducia tanta est
uinis: in terras parvus quum decidit infans,
ua sit externae Veneris mixtura timentes,
'era dubios explorant aspide partus.
e Jovis volucer, calido quum protulit ovo
ames natos, solis convertit ad ortus:
potuere pati radios, et lumine recto

88. Sic Ar. — V. *in pect.* — 901. *Letifera* C. — V. *Letifica.*

citra aequatorem adver-
esse versus meridiem per-
bus, ultra secundus.
. *Casus*, fortunae impetus,
que vim. Praepositionem
lii habent, alii omittunt.
nque fieri potest, eodem
: Cato vincit casus pecto-
h. e. in pectoribus mili-
h. e. efficit constantia sua,
ctora militum facilius su-
t casus, minusque iis affi-
ur.
. *terras* sc. illas, ultra Ga-
ntes, in Marmarica. De
lis v. Herodot. IV, 173.
VIII, 25. et 28, 3. Solin.
Iell. 16, 11.

893. *par lingua*, lingua eorum exsugendo venenum valet, quantum potentissimae herbae.

894. Ipse sanguis eorum tutus est a veneno, nec admittit illud, etiam si cessaverint incantatione, qua plerumque utuntur.

899. *sanguinis* sc. sui, quem a natura habent. — *quum decidit*, h. e. quum nascitur. Sub dio enim vivebant, humique iacebant, natusque infans in terram decidebat. Ibi statim illi infantibus adhibebant serpentes, quo explorarent, an genuini essent, suique sanguinis.

Sustinuere diem coeli, servantur in usus;
Qui Phoebo cessere, iacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum gens illa sua contenta salute:
Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. Qui, tunc Romana secutus
Signa, simul iussit statui tentoria ductor,
Primum, quas valli spatium comprendit, arenas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
Ultima castrorum medicatus circuit ignis.
Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non laeta comis, Eoaque costus,
Et panacea potens, et Thessala centaurea:
Peucedanumque sonat flammis, Erycinaque thapsos;
Et larices fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, et longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. At si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicae miracula gentis,
Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.
Nam primum tacta designat membra saliva,
Quae cohibet virus, retinetque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua
Murmure continuo, nec dant suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.

917. Sic Ar. — V. *costos*. — 928. Sic Ar. — V. *dat*.

906. *iacent*, abiiciuntur. — *pignora gentis*, certum pignus, quo agnoscat, vere ex se natum esse infantem.

910. *excubat hospitibus*, inservit etiam peregrinis, opem suam iis praestat.

911. *populis* suppl. externis, peregrinis.

917. *non laeta comis*, humilis atque tenuis.

921. *longe nascentis*, videlicet longe ab illa regione Psyllorum Africaeque, in qua nulli erant cervi.

924. et tunc ingens fit pugna inter Psylles et venenum *raptum*, h. e. per corpus propagatum. Hunc enim sensum subesse posse vocabulo, ne dubitato. Similiter de propagato igne, III, 501. *rapiens incendia ventus*, et ibidem vs. 504. *sed tota raptus ab omni* sc. *ignis* etc. Sulpicius tamen et hic, ut alibi, participium praeteriti pro futuro ait positum, ut sit pro: *eliciendi, eripiendi*. Cf. II, 176. 342. 513. III, 132. IV, 190.

925. *tactā salivā*; videtur *tecta* quasi transitive accipiendum, ut sit pro: *tangente* sc. membra. Nam quae tanguntur, etiam tangunt. Saliva autem membris tactu illinebatur. — *membra* sc. dente serpentium laesa.

926. *pestem*, venenum, ne propagetur in alia membra.

928. *nec dant suspiria cursus vulneris*, neque periculum vulneris, properandam desiderantis

Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, et elicitum iussumque exire repugnat,
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, et siccat dentibus artus,
Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Exspuit: et cuius morsus superaverit anguis,
Jam promtum Psyllis vel gustu nosse veneni.
Hoc igitur melior tandem Romana iuventus
Auxilio, late squalentibus errat in arvis.
Bis positis Phoebe flammis, bis luce recepta
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
Jamque illis magis atque magis durescere pulvis
Coepit, et in terram Libye spissata reverti.
Jamque procul rarae nemorum se tollere frondes:
Surgere congesto non culta mapalia culmo.
Quanta dedit miseris melioris gaudia terrae,
Quum primum saevos contra videre leones!
Proxima Leptis erat, cuius statione quietam
Exegere hiemem, nimbis flammisque carentem.

938. *melior* Ar. — V. *levior*.
943. *reverti* Ar. — V. *redire*.
944. *rarae nemorum* Ar. C. b. — V. *nemorum rarae*.
948. *quietam* Ar. C. a. b. c. — V. *quieta*.

medelam, permittit ut incantator respiret aut carmen intermittat.

931. *audit*, h. e. paret incantationibus venenum.

935. *gelido*, h. e. iam paene emortuo.

936. *et cuius* etc. imo Psylli dignoscere valent gustu, qualis fuerit anguis, cuius morsus superaverit, h. e. straverit sc. militem.

938. Lectionem *melior* et boni edd. habent et Argentin. ed. eaque dictio de convalescentibus solemnis est. Sic Celsus: *neque vigilando melior fit aeger, sed per se, si melior est, vigilat*; et idem 3, 6. *quando aeger febricitat, quando melior est.* Vulgata: *levior*.

939. *squalentibus*, ferventibus, calidis, ut I, 205. et supra 755.

939. — Pro *errat* Ar. *haeret*.

940. Duos igitur menses integros Cato cum exercitu in istis regionibus erravit.

941. *surgens fugiensque*, oriens atque occidens.

942. Jamque, relictis arenis, accessere ad regiones, in quibus solum terrenum magis erat.

945. *mapalia* pastorum erant casae in illa parte Africae, de quibus v. Sallustium Jug. 18. et 46. — *non culta* i. q. inculta. Cf. X, 51. 60.

946. Quantum gaudebant miseri spe melioris terrae, quam visis primum leonibus concepere, quoniam inde sperabant neque armenta neque hominum vicos urbesque longe abesse.

948. *Leptis* sita erat ad syrtim minorem, intelligendaque est Leptis minor in Libyphoenicum regione, quum maior sita fuerit ad Syrtin maiorem.

Caesar ut Emathia satiatus clade recessit,
Caetera curarum proiecit pondera, soli
Intentus genero: cuius vestigia frustra
Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,
Threiciasque legit fauces, et amore notatum
Aequor, et Heroas lacrymoso litore turres,
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquae disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.
Sigeasque petit famae mirator arenas,
Et Simoentis aquas, et Graio nobile busto
Rhoetion, et multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustae nomen memorabile Troiae,
Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri.
Jam silvae steriles et putres robore trunci
Assaraci pressere domos, et templa deorum
Jam lassa radice tenent: ac tota teguntur
Pergama dumetis: etiam periere ruinae.
Adspicit Hesiones scopulos, silvasque latentes,
Anchisae thalamos; quo iudex sederit antro:
Unde puer raptus coelo: quo vertice Nais
Luserit Oenone: nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat. Securus in alto
Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. Discussa iacebant

950. *Emathia*. V. quae diximus ad I, 693. in fine.

954. *Threiciasque legit fauces*, Hellespontum adit. — *amore notatum aequor*, videlicet amore Leandri et Heronis.

955. *Heroas*, ab Hero puella dictas. — *lacrymoso*, propter ipsum illum amorem infelicem.

957. Ibi, apud Hellespontum, brevissimus transitus est ex Asia in Europam, quamvis et Bosporus Thracius sit perangustus, Propontisque ibi irruat parvo freto, et Ponti Euxini aquas transmittat in mare Aegaeum.

962. *Graio busto* sc. Aiacis Telamonii. — *umbras*, et sepulcra heroum ab Homero aliisque poetis celebratorum.

964. *nomen*, quasi nomen tantum superstes, quum ne ruinae quidem superfuerint. Sic alibi *nominis umbra*, I, 135. II, 303.

970. *Hesiones scopulos*, in quibus Hesione exposita iacuerat ceto, Laomedontis filia, quam Hercules liberavit.

975. *Securus*, nescius Caesar, se calcare Hectoris manes, per altum gramen transiit, quum ab incola quodam edoctus est, Hectorem ibi situm esse.

977. *Discussa* etc. Alio in loco dissipata iacebant saxa: Herceae erant arae, h. e. Jovis

Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
Herceas, monstrator ait, *non respicis aras?*
O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus aevum.
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent: Pharsalia nostra
Vivet, et a nullo tenebris damnabimur aevo.
Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votaque thuricremos non irrita fudit in ignes.
Di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas,
Aeneaeque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat et Alba, lares, et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique adspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
Gentis Juleae vestris clarissimus aris
Dat pia tura nepos, et vos in sede priori
Rite vocat: date felices in cetera cursus.
Restituam populos: grata vice moenia reddent
Ausonidae Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.
Sic fatus, repetit classes, et tota secundis
Vela dedit Coris; avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras, Asiamque potentem
Praevehitur, pelagoque Rhodon spumante reliquit.
Septima nox, Zephyro numquam laxante rudentes,
Ostendit Phariis Aegyptia litora flammis.
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas. Ibi plena tumultu

986. *damnabimur* C. — V. *damnabitur.*
1003. *reliquit* Ar. C. a. c. — V. *relinquit.*

Hercei, ἑρκείου. Cf. Virg. Aen. II, 512. Juven. Sat. 10, 268. et Ovid. in Ibide vs. 284. *Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.*

990. *Di cinerum*, manes et umbrae.

991. *mei*, a quo originem duco. Genitivus autem pendet a v. *lares.*

993. *Phrygius*, h. e. Vestalis. Cf. I, 199.

994. *Pallas*; Palladium, in Vestae templo adservatum, quod viris conspici nefas erat.

998. *restituam populos*, i. e. habitatores agro Troiano, ex Italia deducendos.

1001. *avidus* etc. cupidusque, impellente vi venti, compensare moram, quam apud Ilium fecerat.

1005. Per ignem in Pharo ardentem agnovere litus Aegyptium.

1006. *texit*, obscuravit.

Litora, et incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac, dubiis veritus se credere regnis,
Abstinuit tellure rates. Sed dira satelles
Regis dona ferens, medium provectus in aequor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta,
Ac prius infanda commendat crimina voce:
   Terrarum domitor, Romanae maxime gentis,
Et, quod adhuc nescis, genero secure perempto;
Rex tibi Pellaeus terrae pelagique labores
Donat, et, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet: absenti bellum civile peractum est.
Thessalicas Magnus quaerens reparare ruinas,
Ense iacet nostro: tanto te pignore, Caesar,
Emimus: hoc tecum percussum est sanguine foedus.
Accipe regna Phari, nullo quaesita cruore:
Accipe Niliaci ius gurgitis: accipe, quidquid
Pro Magni cervice dares; dignumque clientem
Castris crede tuis, cui tantum fata licere
In generum voluere tuum. Nec vile putaris
Hoc meritum, nobis facili quod caede peractum est.
Hospes avitus erat: depulso sceptra parenti
Reddiderat. Quid plura feram? tu nomina tanto
Invenies operi, vel famam consule mundi.
Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
Quod scelus hoc non ipse facis. Sic fatus, opertum
Detexit tenuitque caput. Jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
Non primo Caesar damnavit munera visu,
Avertitque oculos: vultus, dum crederet, haesit.
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam bonus esse socer; lacrymas non sponte cadentes

1009. *dubiis regnis*, regi Aegyptiorum, cuius fides erat dubia.

1012. *Phario*, h. e. Aegyptio.

1016. *Pellaeus*, h. e. Aegyptius, a Macedonibus oriundus, quorum caput Pella; unde Alexander *ductor Pellaeus* vocatur III, 233.

1028. *Hospes avitus* sc. Ptolemaei Lathyri. — *Depulso parenti.* Auctoritate sua Ptolemaeum Auletem in regnum restituerat. Cf. vs. 132.

1029. *feram?* dicam, eloquar, afferam? — *tu nomina* etc. tu ipse indicabis, factum hoc nostrum beneficiumne sit vocandum, an scelus. Sin ipse indicare nolis, quaere, quo nomine mundus appellet. Videlicet summi erga te beneficii.

1036. *avertitque*, h. e. neque avertit oculos; suppleta negatione, ex more Lucani; de quo vide I, 78. 506. II, 40. 295. 355. etc.

it, gemitusque expressit pectore laeto,
aliter manifesta putans abscondere mentis
ia, quam lacrymis: meritumque immane tyranni
uit, et generi mavult lugere revulsum,
ı debere, caput. Qui duro membra senatus
rat vultu, qui sicco lumine campos
at Emathios, uni tibi, Magne, negare
audet gemitus. O sors durissima fati!
cine tu, Caesar, scelerato Marte petisti,
ibi flendus erat? Non mixti foedera tangunt
eneris, nec nata iubet moerere neposque?
is apud populos Pompeii nomen amantes
castris prodesse tuis? Fortasse tyranni
eris invidia, captique in viscera Magni
aliis licuisse doles, quererisque perisse
ctam belli, raptumque e iure superbi
ris generum. Quisquis te flere coegit
tas, a vera longe pietate recessit.
et hoc animo terras atque aequora lustras,
bi suppressus pereat gener? O bene rapta
rio mors ista tuo! Quam magna remisit
ina Romano tristis Fortuna pudori,
te non passa est misereri, perfide, Magni
ıtis! Nec non his fallere vocibus audet,
iritque fidem simulati fronte doloris:

053. *aliis* Ar. a. c. — V. *alii*.
062. *audet* C. b. — V. *audes*.
063. V. *Adquirisque*.

1. *meritumque* etc. et la- is suis minuit destruitque ım meriti Ptolemaei cru- atque feri.

3. *membra senatus*, h. e. orum in proelio Pharsalico orum.

8. *Non mixti generis foe-* non affinitas ex coniugio eii cum Julia.

9. *nata neposque*, Julia et infans immaturus, cuius abortum fecerat. V. Lib.).

4. *raptumque* etc. et gene- potentiae victoris superbi um.

7. Haec per ironiam quae- Est enim interrogatio.

1058. *Necubi* etc. ne quis eum contra voluntatem Caesaris occidat. — *O bene r.* O quam bene actum est, quod mors Pompeii tuo arbitrio est erepta.

1059. *Quam m.* Fortuna crudelis, passa per Ptolemaeum interfici Pompeium, magna crimina remisit pudori Romano, quod non passa est, te, Caesar, condonare vitam Pompeio viventi. Hoc enim summo pudori fuisset toti populo Romano.

1062. *Nec non* etc. i. e. atque tamen audet fallere populos verbis, quae iam sequentur infra.

1063. *fronte*, externo adspectu, ut *leti frons* supra vs. 740.

Aufer ab adspectu nostro funesta, satelles,
Regis dona tui: peius de Caesare vestrum,
Quam de Pompeio, meruit scelus. Unica belli
Praemia civilis, victis donare salutem,
Perdidimus. Quodsi Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi,
Quod meruit, fratrique tuum pro munere tali
Misissem, Cleopatra, caput. Secreta quid arma
Movit, et inseruit nostro sua tela labori?
Ergo in Thessalicis Pellaeo fecimus arvis
Jus gladio? vestris quaesita licentia regnis?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem:
Te, Ptolemaee, feram? Frustra civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quam Caesar: si tellus ulla duorum est.
Vertissem Latias a vestro litore proras:
Famae cura vetat, ne non damnasse cruentam,
Sed videar timuisse, Pharon. Nec fallere vos me
Credite victorem. Nobis quoque tale paratum
Litoris hospitium. Ne sic mea colla gerantur,
Thessaliae Fortuna facit. Maiore profecto,
Quam metui poterat, discrimine gessimus arma:
Exsilium generique minas Romamque timebam:
Poena fugae Ptolemaeus erat. Sed parcimus annis,
Donamusque nefas. Sciat hac pro caede tyrannus
Nil venia plus posse dari. Vos condite busto
Tanti colla ducis: sed non, ut crimina solum
Vestra tegat tellus; iusto date thura sepulchro
Et placate caput, cineresque in litore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
Audiat umbra pias. Dum nobis omnia praefert,
Dum vitam Phario mavult debere clienti,
Laeta dies rapta est populis: concordia mundo

1068. *Quodsi* etc. Quodnisi odisset Ptolemaeus sororem suam Cleopatram, eius (sororis) ego caput pro Pompeii capite mitterem.

1079. *Vertissem* etc. Ego certe fugerem hoc litus, scelus vestrum detestatus. Sed famae cura hoc vetat, primum, ne videar Aegyptum timuisse, deinde, ut demonstrem vobis, me improbare damnareque Aegyptum propter crimen interfecti Pompeii.

1087. *annis* sc. Ptolemaei, pueri adhuc.

1095. *praefert* sc. Pompeius.

1096. *clienti* sc. suo, quem olim in tutelam suam receperat.

1097. *laeta dies* sc. pacis inter me et Pompeium factae.

tra perit. Caruere deis mea vota secundis,
te complexus, positis felicibus armis,
ectus abs te veteres vitamque rogarem,
me, tuam: dignaque satis mercede laborum
tentus, par esse tibi, tunc pace fideli
ssem, ut victus posses ignoscere divis,
sses, ut Roma mihi. Nec, talia fatus,
nit fletus comitem, nec turba querenti
lidit: abscondunt gemitus, et pectora laeta
ite tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
bona libertas!) quum Caesar lugeat, audent.

)0. amorem pristinum, et elles vitae a me donatae re frui.

1104. *Fecisses*, et tu contra effecisses, ut Roma mihi ignosceret bellum civile.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER DECIMUS.

SUMMARIUM.

Caesar, inter dubiae fidei Aegyptios intrepide versans, Alexandriam venit, locumque adit, quo Alexandri magni ossa dicebantur esse condita. — 20. *De Alexandro Eoisque populis declamatio poetae.* — 52. *Interim rex puer, Ptolemaeus, sedato populo suo, apud Caesarem est; ad quem et astu advehitur Cleopatra.* — 60. *Declamatio de illa.* — 81. *Cleopatra Caesarem alloquitur supplex, rogatque ut se fratremque contra Pothini satellitis impotentiam tutetur.* — 103. *Adnuit Caesar. Luxuries Aegyptiorum describitur.* — 135. *Accumbunt epulis. Depingitur ornatus et forma Cleopatrae, luxusque in convivio.* — 171. *Caesar in convivio alloquitur Achoreum sacerdotem summum, ab eoque cupit se edoceri de diis Aegyptiorum, deque Nili fontibus.* — 192. *Ille ergo primum de Sole planetisque et Zodiaco, deinde de Nilo disserit, cuius incrementi caussas latere adhuc ait, pariter atque fontes. Cursum enarrat.* — 331. *Interim Pothinus Achillam excitat ad Caesaris necem.* — 398. *Is igitur, collectis militibus, ad regiam accedit.* — 443. *Caesar portas claudi iubet, regemque obsidem apud se retinet.* — 467. *Adversarii oppugnant aedes.* — 484. *Caesar ubique adest. Etiam navibus res geritur. Caesar, rate conscensa, cum navibus Pharon occupat.* — 509. *Dein Pothinum punit, absciso eius capite.* — 519. *Interea minor regis filia Arsinoe, regia relicta, ad exercitum venit, Achillaque interemto, Ganymedi copias mandat; qui deinde contra Caesarem bellum facit.* — 533. *Caesar in summis periculis, meminit Scaevae illius fortissimi (VI, 141. sqq.), pariter quondam in castello, atque ipse, obsessi.* — 546. *Atque ibi carmen imperfectum desinit.*

Ut primum terras, Pompeii colla secutus,
Adtigit, et diras calcavit Caesar arenas:

1. Sensus: ubi Caesar in litus Aegyptium escendit, magno in periculo erat ab Aegyptiis, ne interficeretur. Pugnabat Fortuna cum fato Aegypti, utrum Aegyptum Caesar sub Romanum imperium redigeret, an Aegyptii Caesarem una cum Pompeio e medio tollerent. — *Pompeii colla*, satellitem, qui Pompeii caput a rege missum Caesari obtulerat. Cf. IX, 1010.

'agnavit Fortuna ducis fatumque nocentis
.egypti, regnum Lagi Romana sub arma
'et, an eriperet mundo Memphiticus ensis
ictoris victique caput. Tua profuit umbra,
lagne, tui socerum rapuere a sanguine manes.
le populus post te Nilum Romanus amaret.]
ıde Paraetoniam fertur securus in urbem
ignore tam saevi sceleris, sua signa secutus.
ed fremitu vulgi, fasces et iura querentis
ıferri Romana suis, discordia sensit
ectora et ancipites animos, Magnumque perisse
lon sibi. Tum vultu semper celante timorem,
ıtrepidus superùm sedes et templa vetusti
luminis, antiquas Macetum testantia vires,
ircuit: et, nulla captus dulcedine rerum,
lon auro cultuque deûm, non moenibus urbis,
ffossum tumulis cupide descendit in antrum.
llic Pellaei proles vesana Philippi,

8. Versus sine dubio concinnatus ex loco infra posito vss. 87 — 389. ubi Pothinus adhortans Achillam: *Iugulus mihi Caesaris haustus*, ait, *hoc praestare potest*, *Pompeii caede nocentes ut populus Romanus amet*. Nam exulat prorsus ab editione principe et a 21 codicibus Cortii. Non legitur in c., in margine sic adscriptus, uti dedit Cortius: *Ne — amaret*. — b. sic habet: *Nec populum Romanum Nilus habebit*. — Ar. et Ae. sic: *Nec populus post te Nilum Romanus haberet*. — V. sic: *Ne populus post te Nilum Romanus haberet*. Ergo includendum arbitror, praesertim quod et universus locus et imprimis verba *post te* iusto maiorem hic obscuritatem habent, et sensus oratioque probe constant, illis omissis.

10. *secutus* Ar. Ae. V. a. b. c. d. — C. *secutam*.

6. *Tua profuit umbra*, tua mors effecit, ut cautior esset Caesar, tuique manes socerum eripuere a sanguine, h. e. ab interitu.

9. *Paraetoniam in urbem*, h. e. Alexandriam, a Paraetonio portu et oppido Aegypti, non longe ab Alexandria sito. Videtur omnino *Paraetonius* poetae pro Aegyptio dici; sub Aegyptia autem urbe intelligi hic debere Alexandriam, e contextu patet. Similiter *Pharium* crebro vocat Aegyptium, nec non et Pelusiacum. — *securus*, sperans, eam ab suis partibus stare, ideo quod Pompeium illa interemisset.

10. *sua signa secutus*, praeeuntes milites et praelatos fasces; quorum iam statim mentio fit. — Verba autem: *pignore — sceleris* coniungenda constructione sunt cum v. *securus*, neque admittenda Cortii lectio *secutam*.

12. *suis* sc. iuribus fascibusque.

16. *Numinis*, Isidis templum, a Macedonibus ibi exstructum, quemadmodum omnis urbs ab Alexandro erat condita.

Felix praedo, iacet, terrarum vindice fato
Raptus. Sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis. Fortuna pepercit
Manibus, et regni duravit ad ultima fatum.
Nam sibi libertas umquam si redderet orbem,
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetum fines latebrasque suorum
Deseruit, victasque patri despexit Athenas:
Perque Asiae populos fatis urgentibus actus
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen;
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, et sidus iniquum
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undae,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa secutus,
Ambissetque polos, Nilumque a fonte bibisset:
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi;
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,

21. *terrarum vindice fato raptus* interpretantur: morte subita ablatus, quae sola potuit vindicare terras ab illo subactas. Sed alii, ut Bersmannus et Arg. *terrarum* iungunt cum v. *praedo*.

22. *spargenda*, h. e. quae meruissent 'spargi per totum orbem, propter vesanam eius cupidinem, omnem terrarum orbem occupandi.

24. *regni duravit ad ultima fatum*, h. e. et fortuna regni Aegyptii duravit usque ad ultima tempora. Quoad autem hoc durabat, magni etiam fuere manes eius. — *fatum regni;* vide VIII, 10. 158. et infra vs. 45 et 384.

25. *si redderet*. si libertas sibi vindicasset orbem.

26. *Ludibrio* etc. tunc fortasse ludibrio forent habiti eius manes. — *non utile mundo*, per *λιτότητα;* perniciosum enim erat exemplum mundo; quoniam futurum erat, ut alii quoque, Alexandri exemplum secuti, terrarum orbem sibi subiicere conarentur.

37. *exteriore mari*, h. e. in mari Indico.

43. *Qui secum invidia* etc. qui eadem invidia insatiataque cupidine, qua totum orbem terrarum ceperat, morte etiam imperium secum ad manes abstulit, nullo herede universi regni sui (totius fati) constituto; unde factum est, ut urbes posteris suis ducibusque dilacerandas praeberet. Sic autem interpungendum, quemadmodum fecimus, ut *Totius fati* ad praecedentia trahatur, non ad urbes, ut inepte trahunt interpretes. *fatum* eodem fere sensu v. supra vs. 24.

lit imperium; nulloque herede relicto
s fati, lacerandas praebuit urbes.
:ecidit, Babylone sua Parthoque verendus.
›udor! Eoi propius timuere sarissas,
nunc pila timent, populi. Licet usque sub Arcton
:mus, Zephyrique domos terrasque premamus
ıntis post terga Noti: cedemus in ortus
ldum domino. Non felix Parthia Crassis
ae secura fuit provincia Pellae.
m, Pelusiaco veniens a gurgite Nili,
›uer imbellis populi sedaverat iras;
e quo pacis Pellaea tutus in aula
r erat: quum se parva Cleopatra biremi,
pto custode Phari laxare catenas,
; Emathiis, ignaro Caesare, tectis;
ıus Aegypti, Latii feralis Erinnys,
no non casta malo. Quantum impulit Argos
ıque domos facie Spartana nocenti,
ırios auxit tantum Cleopatra furores.

Haec quasi in admiratio- lexandri adduntur a poe- ›ensus: sed ille tamen, moriebatur, Babylonem ab se occupatam tene- Parthisque timebatur.

›arissas, h. e. Macedonas.

›uam pila, quam Roma-

lagrantis post terga Noti: ultimum meridiem, ubi Notus ad meridiem per- ns post tergum fiat. Con- ns locus, quem supra le- , IX, 877. terga damus fe- Noto, ubi v. n. Sensus: terras septentrionales et ntales et meridionales no- nperio subiecerimus, in e tamen cedimus Arsaci- domino, h. e. Parthorum 7. I, 108. — pro in artus ortus, ut ait: ad Orien- ›rsus. Cortius: in Ortu. in ortus possit esse: ad em.

Non felix etc. Quam de- exiguae Pellae potuerit s Parthos, Crassi nostri ab illis sunt occisi proelioque victi.

53. *Pelusiaco a gurgite*, h. e. ex regione ostii Nili prope Pelusium. Ibi enim in Casio monte castra habebat. Cf. VIII, 470. Gesserat autem bellum cum sorore Cleopatra, quam regno expulerat. Ea ex Syria contractis copiis, bello ius suum persequi conata fuerat. Erat autem maior natu Ptolemaeo, eidemque in matrimonium data. Evocata a Caesare, clanculum se ad eum adferri iussit, culcitra involutam.

54. *imbellis* iunge cum *populi* sc. Aegyptii. Tales enim Aegyptii fere ubique fuisse declarantur. Cf. 64.

57. *Corrupto* etc. postquam corruperat Phari custodem, ut is portus claustra sibi aperiret.

58. *Emathiis tectis*, h. e. Alexandriae urbi et regiae, a Macedonibus olim conditae, quorum terra Emathia erat.

60. *non casta* pro: incasta; ut supra *non felix* vs. 51. et *non utile* vs. 26. et *non culta* IX, 945.

Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,
Caesare captivo Pharios ductura triumphos:
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quae prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
Quis tibi vesani veniam non donet amoris,
Antoni, durum quum Caesaris hauserit ignes
Pectus, et in media rabie, medioque furore,
Et Pompeianis habitata manibus aula,
Sanguine Thessalicae cladis perfusus adulter
Admisit Venerem curis, et miscuit armis
Illicitosque toros, et non ex coniuge partus?
Pro pudor! oblitus Magni, tibi, Julia, fratres
Obscena de matre dedit: partesque fugatas
Passus in extremis Libyae coalescere regnis,
Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.
Quem, formae confisa suae, Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Qua decuit, veluti laceros dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: *Si qua est*, *o maxime Caesar*,

84. *Qua decuit* C. b. — Ar. Ae. d. a. c. *Quam decuit*. — V. *Quem decuit*.

63. *Terruit* etc. Quemadmodum Horatius ait, Od. I, 37. *Dum Capitolio regina dementes ruinas funus et imperio parabat.* — *si fas* sc. hoc eloqui. — *sistro suo*; quo utebantur Aegyptii in proelio loco tubae. Sic Propert. 3, 10, 43. *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.* Virgiliusque Aen. VIII, 696. *Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.*

64. *imbelli Canopo*, imbelli Aegyptio Romanis bellum intulit. Canopus oppidum Aegypti. Locus autem pro habitatore.

65. *Caesare* sc. Augusto.

69. *ducibus nostris*, h. e. J. Caesari, post quem in eius amore secutus est Antonius.

75. Nota indicativos *admisit* et *miscuit*, quum v. 71, praecesserit coniunctivus *hauserit*.

78. *Obscena*, utpote Aegyptia et incesta. Cf. 105. 363. — *partesque fugatas* sc. Pompeianorum sub Catone.

81. *donare Pharon* etc. dum Aegyptum potius ordinare Cleopatraeque donare, quam suum ipsius bellum persequi studet.

84. *qua decuit*, quatenus non impedivit aut turbavit corporis sui decorem atque pulcritudinem.

85. *Si qua est* etc. Ego, nobilis, si qua alia nobilis est, filia regis Aegyptii, depulsa ab regno patrio, ut exul essem in aeternum, ego regina complector pedes tuos, an fortasse restituere me velis in priorem

Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
Exsul in aeternum, sceptris depulsa paternis,
Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. Tu gentibus aequum
Sidus ades nostris. Non urbes prima tenebo
Femina Niliacas: nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. Lege summa perempti
Verba patris, qui iura mihi communia regni
Et thalamos cum fratre dedit. Puer ille sororem,
Sit modo liber, amat: sed habet sub iure Pothini
Adfectus ensesque suos. Nil ipsa paterni
Iuris inire peto: culpa tantoque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare iube. Quantosne tumores
Mente gerit famulus, Magni cervice revulsa!
Iam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
Sat fuit indignum, Caesar, mundoque tibique,
Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini.
Nequidquam duras tentasset Caesaris aures:
Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.
Exigit infandam, corrupto iudice, noctem.
Pax ubi parta duci donisque ingentibus emta est,
Excepere epulae tantarum gaudia rerum:
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in saecula luxus.
Ipse locus templi, quod vix corruptior aetas
Extruat, instar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus sectisque nitebat

94. *Et thalamos* C. a. b. c. d. — V. Ar. Ae. *Et thalami.*
95. *amat* C. a. b. c. d. Ar. — V. et Ae. *amet.*
97. *Iuris inire* b. c. — V. *Iuris habere peto.* — C. *Iuris, nil repeto.*

fortunam, ut parte potiar regni mihi debita.
95. *amat*, pro futuro: amabit. Cf. 343.
104. Frustra illa Caesarem precibus tentasset, nisi vultus eius pulcritudoque cum precibus coniuncta fuisset. — *Frustra* autem, quoniam alia iam erant Caesari agenda, quam ut vacare posset his inter reges Aegyptios dissidiis componendis. Confer vss. 77 — 81.

106. *Exigit*, transigit cum Caesare.
107. *Pax ubi parta duci* sc. Ptolemaeo cum Cleopatra.
109. *tumultu*, strepitu et concursu ministrorum.
110. *Nondum* etc., i. e. luxus ignotos adhuc Romanis.
114. *Nec summis* etc. Nec parietes erant obducti marmore. *Summa marmora* sunt marmora in superficie parietis locata, quae quasi crustam efficiebant

Marmoribus: stabatque sibi non segnis Achates
Purpureusque lapis; totaque effusus in aula
Calcabatur Onyx. Hebenus Meroetica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili,
Auxilium, non forma, domus. Ebur atria vestit,
Et subfixa manu foribus testudinis Indae
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.
Fulget gemma toris, et iaspide fulva supellex:
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima suco
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
Tum famulae numerus turbae, populusque minister;
Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas:
Haec Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,

parietum; quemadmodum *summae undae* dicuntur. Non igitur marmore obducti erant parietes, uti alibi in sumtuosis aedificiis, imo nec ex marmore exstructi, sed ex solidis lapidibus pretiosioribus, ita ut hi lapides non crustam solum efficerent parietum, sed *sibi*, h. e. per se, solidi *starent* (cf. vs. 118.) h. e. parietem verum efficerent, ferrentque tectum et fulcirent aedificium, *non segnes*, h. e. non speciem tantum externam praebentes, neque ornamenti tantum caussa parietibus inducti, sed tamquam vera domus materia.

116. *Purpureus lapis* sarda est, gemma rubicunda in similitudinem carnis.

117. Postes non erant inducti tantum ebeno, sed ex ebeno solida constructi, ita ut ebenus *staret*, h. e. vere fulciret domum, neque solum forma esset domus externaeque pulcritudini inserviret, sed auxilium verum. Pro *Mareotica*, quod vulgata habet et omnes libri, Cortius, Salmasium secutus, dedit *Meroetica*, ideo quod in insula Meroe et apud Aethiopes crebra ea arbor provenerit; quemadmodum ipse poeta infra habet vs. 303. *nigris Meroe fecunda colonis, laeta comis ebeni.* Verum. Sed nullibi legitur *Meroetica*.

118. *pro robore vili*, pro ligno querno.

120. Fores operiebantur putaminibus testudinis Indicae, in lamnas dissectis, et gemmis intertextis distinguebantur. — *manu* sc. operariorum.

121. *maculas* acc. absol. ut intelligantur smaragdi loco macularum testudinis fuisse impositi.

124. *non uno aheno*, ergo pluries tincta. — *virus*, colorem purpureum.

125. *plumata*, intertexta auro atque varii coloris liciis; in modum plumarum contexta; qualia opera Graeci ποικίλματα vocabant. Martial. 14, 150. — *pars ignea cocco*, pars cocco nitet, quasi igneo colore. Videtur autem per hypallagen dictum pro: *pars nitet auro plumata, pars cocco igneo.*

127. *Tum famulae — minister*, supple: admirationem excitabant. Est autem aposiopesis. Perperam enim vulgata sequentem versum uncis includit, quasi tertius continuaret constructionem.

Ut nullis Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas; pars sanguinis usti,
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita iuventus
Atque execta virum. Stat contra fortior aetas,
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.
    Discubuere illic reges, maiorque potestas
Caesar: et immodice formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Niliotis acus compressum pectine Serum
Solvit, et extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis sectos Atlantide silva
Imposuere orbes; quales ad Caesaris ora
Nec capto venere Juba. Pro! caecus et amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. Non sit licet ille nefando

130. *Ut nullis* C. a. b. c. d. — V. *Ut nullas.*
136. *illic* C. a. b. c. d. — V. *Disc. toris reges.*

131. *sanguinis usti*, h. e. nigri coloris.

132. *torta caput*, mit gekräuseltem Haar, uti sunt Aethiopes et Afri plerique. Sic Martial. Spect. ep. 3. *tortis crinibus Aethiopes.*

134. *virum*, virilitatem.

135. *vix ulla lanugine;* carent enim Afri barba.

140. *laborat*, oneratur, gravatur gemmis, vix sustinet. Vel: sollicita est de cultu, ut placeat Caesari; quippe non contenta regno suo neque fratre marito, illius amòrem captare cupiens. Attamen prior explicatio praeplacet. Nam de amore iam minus sollicita esse poterat.

142. Acus Aegyptiaca solvit filum Sidonium, compressum, h. e. depexum, pectine Serico (quoniam Seres utebantur pectine, quemadmodum ait Virgil. Georg. II, 122. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.*) ut laxarentur stamina velo extenso, h. e. ut rariora fierent, tenuiorque syndon et perlucidior evaderet. — Ex terra igitur Sidonia fila tantum venerant purpura tincta, e quibus acus Aegyptia syndonem admodum tenuem confecit, pectine ad id adhibito Serico.

144. De mensis sermo est, quarum tabulae sectae erant ex ligno citreo, pedes ex ebore. Juvenal. Sat. 11. *latos sustinet orbes grande ebur.* Martial. II, 43. *Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.* — *Hic*, i. e. ibi, postquam discubuere reges.

146. *Juba;* ex eius enim terra citreae illae mensae advehebantur. — *ora*, adspectum.

149. *Non sit* etc. Sensus: Luxus ille vel Fabricios Curiosque potuisset corrumpere; quidni Caesarem, qui mundi adeo ruina opes sibi armis quaerere paratus erat. *Etiamsi Caesar non*

Marte paratus opes mundi quaesisse ruina:
Pone duces priscos et nomina pauperis aevi,
Fabricios Curiosque graves: hic ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriae talem duxisse triumphum.
Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quaesivit in orbe,
Non mandante fame. Multas volucresque ferasque
Aegypti posuere deos: manibusque ministrat
Niliacas crystallus aquas: gemmaeque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvae,
Nobile sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et numquam fugiente rosa: multumque madenti
Infudere comae, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra:
Advectumque recens vicinae messis amomum.
Discit opes Caesar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
Et caussas Martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Caesar producere noctem
Inchoat adloquiis: summaque in sede iacentem
Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacris devote senex, quodque arguit aetas,

esset, *ipse Cincinnatus optasset patriae talem duxisse triumphum*, qualem tunc Caesar duxit, eo quod praesidebat in eo convivio tam laute instructo.

155. *auro*, aureis vasis, patinis. — *Infudere* de cibis intellige auro impositis. Subiectum autem sunt ministri. — *quod* referto ad *epulas*, suppleto: *quae compositae erant ex omni* quidquid terra, aer, mare aut flumen praebebat, h. e. ex feris, avibus, piscibus marinis et fluviatilibus.

159. *Aegypti deos* appositionem faciunt ad *volucres* et *feras*.

162. *Nobile sed* etc. Sulpicius: „sed natum apud Meroen, insulam Nili, in qua vinum in optimum saporem intra paucos annos decoquitur."

163. *indomitum cogens spumare Falernum* sic interpretor, ut Meroe dicatur cogere potuisse spumare etiam vinum Falernum, indomitum alias, h. e. non spumans.

167. *aera*, i. e. odorem atque vim et virtutem suam, in terram externam advectum.

175. *Achoreus* sacerdos erat Aegyptiorum, ideo *liniger* vocatus a poeta. Nomen autem eius haud ignotum in historia Aegyptia. Idem enim est cum Acoris illius nomine, qui ibi regnum usurpavit circa annum 386 ante Chr. n.

Non neglecte deis, Phariae primordia gentis,
Terrarumque situm, vulgique edissere mores,
Et ritus formasque deûm: quodcumque vetustis
Insculptum est adytis, profer, noscique volentes
Prode deos. Si Cecropium sua sacra Platonem
Maiores docuere tui: quis dignior umquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
Sed tamen et vestri. Media inter proelia semper
Stellarum coelique plagis superisque vacavi,
Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.
Sed quum tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim,
Quam fluvii caussas per saecula tanta latentes,
Ignotumque caput. Spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes, bellum civile relinquam.
Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:
Fas mihi, magnorum, Caesar, secreta parentum
Prodere, ad hoc aevi populis ignota profanis.
Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
Ast ego coelicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges.
Sideribus, quae sola fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,

183. *mundique capacior*, h. e. magis capax mundi caussis noscendis, sc. quam ego?

187. Nec ordinatio anni a me instituta superabitur a fastis h. e. ab anni ordinatione, quam olim Eudoxus instituit, mathematicus Cnidius, discipulus Platonis. — Nota *fastibus* pro *fastis* dictum, ut apud Colum. 9, 14. et Sil. Ital. 2, 10. et Claudian. ad Prob. 15. item ex quarta declinatur.

188. *Sed quum* etc. Coni. *quum* h. l. obtinet locum coni. *quamvis*. Sensus: Quamvis tanta mea, quantam dixi, sit virtus, h. e. tantus vigor ad maxima quaeque vel perficienda vel cognoscenda, tantusque amor veri discendi circa maxima quaeque, tamen ego, ceteris omnibus relictis, nihil est quod noscere malim, quam Nili fontes. Sic recte locum interpretabere; neque audiendus Sulpicius, qui *virtutem* de sola virtute bellica interpretatus est.

191. *Spes sit mihi*, h. e. si mihi sit spes etc. Male distinxit Cortius, semicolo post *fontes* posito. Nam verba *bellum* c. *rel.* apodosin faciunt. Cf. IV, 218.

194. *parentum*, maiorum nostrorum.

197. *ire per omnes*, i. e. omnibus haec aperiri.

199. *fugam Olympi*, i. e. coeli cursum. Cf. III, 706.

200. *Occurrunt polo*, h. e. contra coelum moventur. — *prima lege*, h. e. in origine mundi.

Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies et zona nivalis
Cessit. Habet ventos incertaque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies et numquam turbidus aer.
At fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet; immensae Cyllenius arbiter undae est.
Hunc ubi pars coeli tenuit, qua mixta Leonis
Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
Exerit, et varii mutator circulus anni
Aegoceron Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quae quum dominus percussit aquarum
Igne superiecto, tunc Nilus fonte soluto
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest, auctusque suos non ante coarctat,
Quam nox aestivas a sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,
Aethiopum prodesse nives. Non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. Testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.
Adde, quod omne caput fluvii, quodcumque soluta

202. *astra ire vetat*, efficit, ut planetae, ubi ad certum cursus sui terminum pervenere, quasi consistere videantur ac deinde retro ire. De hac planetarum statione cf. Plin. H. N. II, 15 — 17.

204. *miscet*, vim suam exserit in mare et in terram, plantas, animalia.

205. *Saturnus* credebatur praeesse frigidis, unde et mare glaciale Cronium est vocatum a veteribus.

209. *undae*, fluminum, et ipsius Nili, cuius in inundatione immensae sunt undae.

210. Mercurius ubi eam coeli partem tenet, qua leo cancerque sibi vicini sunt, quaque Sirius ardet, et circulus, qui mutat annum, capricornum et cancrum tenet, sub quo latent fontes Nili, tunc, ubi Mercurius (dominus aquarum) vim suam exserit in fontes Nili, Nilus pariter crescit, ac mare sub lunae incremento; neque ante decrescit, quam aequinoctium fiat auctumnale. Locus paulo obscurior. Quaeritur enim quis sit *circulus mutator anni*, in quo capricornus cancerque sit. Sulpitius circulum meridionalem intelligit, in quo fiat solis conversio; eum enim, per summum coeli a septentrione ad meridiem tendentem, cancrum et capricornum dividere, quae sint tropica sidera. Alii zodiacum intellexere; atque J. Scaliger in prolegomenis ad Manilium taxat poetam, quod ex duobus tropicis unum faciat, et quod zodiacum, non solem, dirigat ad puncta solstitialia. Ego manum de tabula; quum enim nostratium circa haec doctrinam assequi haud cuique contingat, at veterum de iisdem dogmata qui componere susceperit, Danaidum saepe laborem subierit.

Praecipitat glacies, ingresso vere tumescit
Prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis adligat amnem
Ante parem nocti, Libra sub iudice, Phoebum.
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hibernus, quum, longe sole remoto,
Officiis caret unda suis: dare iussus iniquo
Temperiem coelo, mediis aestatibus exit.
Sub torrente plaga, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
Imploratus adest: nec campos liberat undis,
Donec in autumnum declinet Phoebus, et umbras
Extendat Meroe. Quis caussas reddere possit?
Sic iussit natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. — Zephyros quoque vana vetustas
His adscribit aquis, quorum stata tempora flatus
Continuique dies, et in aëra longa potestas:
Vel quod ab occiduo pellunt tot nubila coelo
Trans Noton, et fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quod aquas toties rumpentis litora Nili

237. *possit* C. a. b. d. Ar. Ae. — V. *posset*.
240. *adscribit* C. b. — V. *adscripsit*.
241. *in aera* Ar. et mpt. Bersm. — V. *in aere*.
242. *pellunt tot* C. b. a. — V. *depellunt nub. coelo*.

229. *quum longe* etc., h. e. quum hiemis tempore, ubi remotior a Nilo est sol, Nilus officio suo, terras irrigandi, non fungitur.

231. *temperiem*, sed potius, quo temperetur coelum calore torrens, media aestate exundat.

236. *umbras extendat*, umbras faciat, quum aestate aut nullas, aut brevissimas.

239. *Zephyros* etc. Aliam phaenomeni explicationem exponit. Zephyros quidam inundationis caussam crediderunt; sub quibus Etesias videtur intelligere, qui media aestate per 40 dies, sed ex eadem cum aquilone regione flant. Eos tamen Acoreus hic ab Occidente flantes facit, aitque vel nubes ad Nilum cogere, vel fluctus eius quasi reprimere et retinere, quominus se in mare effundant, illud ex Democriti, hoc ex Thaletis opinione. — *Zephyros adscribit*, h. e. Zephyros caussam esse ait.

240. *flatus*, genitivo casu accipiendum, regitur a v. *stata tempora*, ut suppleatur *sunt*. Sensus: quorum flatus per stata tempora durent, et per dies continuos, quorumque potestas in aera longa sit.

242. *vel quod;* verte: sei es nun, dafs sie etc. vel: indem sie entweder etc. — *tot nubila*, ut saepe, pro: *multa nubila*. Cf. IV, 676. V, 676. VI, 129. 443.

243. *trans Noton* i. e. q. versus Noton.

244. *Nilus toties rumpens litora* est Nilus per septem ostia effluens. *litora* enim intellige

Adsiduo feriunt, coguntque resistere fluctus.
Ille mora cursus adversique obiice ponti
Aestuat in campos. — Sunt, qui spiramina terris
Esse putant, magnosque cavae compagis hiatus.
Commeat hac penitus tacitis discursibus unda,
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,
Quum Phoebus pressit Meroen, tellusque perusta
Illuc duxit aquas. Trahitur Gangesque Padusque
Per tacitum mundi. Tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
Rumor, ab Oceano, qui terras adligat omnes,
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Aequoreosque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phoebumque polumque
Credimus: hunc, calidi tetigit quum brachia Cancri,
Sol rapit, atque undae plus, quam quod digerat aer,
Tollitur. Hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam ius est mihi solvere litem,
Quasdam, Caesar, aquas post mundi sera peracti

245. V. *Assidue feriunt, coguntque resistere flatus.* — C. Ae. *Assidue f.*, — *fluctu.* — Ar. *Assidue* — *fluctus.* — a. b. d. *assidue.* — b. *fluctu*, sed *s* erasa.

248. *putant* C. et mp. Bersm. — V. *putent.*

maris, per quae Nilus effluit, quaeque fluctibus suis perrumpit. Venti igitur feriunt ostia Nili, ex adverso flantes, atque ita fluctus eius resistere h. e. longius morari cogunt.

246. *adversi obiice ponti*, videlicet quia ipse quoque pontus, flante vento assiduo, altius ibi insurgit, fluviumque non admittit.

249. *Commeat* etc. Ergo per illos subterraneos meatus credebant fluviorum terrae plurimorum aquas Solis calore ad Aethiopiam attrahi, indeque fieri inundationem Nili.

253. *per tacitum mundi*, per eadem illa spiramina.

254. *non uno gurgite perfert*, h. e. non uno alveo, sed exundans supra ripas. Interpunctio autem ea instituenda quam nos fecimus. Nam alii post *aquas* habent comma, post mundi colon; falso.

255. Sunt qui Nilum ab Oceano exteriore, qui ambit terrarum orbem, credant oriri, longeque per terras cursu dulcescere. — *adligat*, coercet, circumdat, ambit.

258. Aliam opinionem commemorat. Oceano credebant sidera pasci; solemque, ubi in Cancro esset, rapere ad se plus undae, quam quod aer digerere posset; eam ergo aquam noctu ex aere deprimi, in Nilumque effundi.

262. Jam Acoreus suam eloquitur opinionem.

263. *Quasdam aquas* non de fluviis aliis, ut interpretes accepere, sed de certis Nili aquis intelligit, quae partim casu erumpant, partim certo et ab initio rerum definito alveo de-

la, concussis terrarum erumpere venis,
id agente deo, quasdam compage sub ipsa
toto coepisse reor, quas ille creator
opifex rerum certo sub iure coercet.
ιae tibi noscendi Nilum, Romane, cupido,
tariis Persisque fuit, Macetumque tyrannis:
que non aetas voluit conferre futuris
am: sed vincit adhuc natura latendi.
ıus Alexander regum, quos Memphis adorat,
t Nilo, misitque per ultima terrae
ypum lectos: illos rubicunda perusti
poli tenuit; Nilum videre calentem.
ad occasus mundique extrema Sesostris,
tarios currus regum cervicibus egit:
tamen, vestros amnes, Rhodanumque Padumque,
Nilum, de fonte bibit. Vesanus in ortus
yses longi populos pervenit ad aevi,
tusque epulis et pastus caede suorum,
ɔ te, Nile, redit. Non fabula mendax
loqui de fonte tuo est. Ubicunque videris,
eris: et nulli contingit gloria genti,
ilo sit laeta suo. Tua flumina prodam,

8. *cupido* C. — V. *cupido est.* — a. *est Romane cupido.*
6. *occasus* C. a. c. d. — V. *occasum.*

Nam flumina pariter a principio mundi condi- lebantur.

Compages est creatio et ordinatio.

cum toto sc. mundo.

Invidit Nilo, h. e. noluit latere, superare eum cupiit. Sequentium con- o est: et misit electos atores ad extremam Ae- m terram.

tenuit, h. e. continuit, re- quin ulterius progrede- , ut centies simplicia pro sitis ponuntur. Cf. in In- *Simplicia.* — *Nilum*, non eius.

vestros amnes scito esse tionem, non subiectum ; quemadmodum saepe ter praemittitur appositio. IV, 809.

280. *longi ad aevi*, ad Aethiopes μακροβίους.

281. *Defectus epulis*, i. e. deficiente sibi commeatu. Sic *sol defectus lumine* Tibull. 2, 5, 75. *defecti dentibus*, Plin. 8, 16. *defecta cubili*, Val. Flacc. 7, 116. — *pastus caede suorum*, et postquam coactus fuerat, quo famem toleraret, decimum quemque suorum militum, sorte ductum, reliquis comedendum praebere, uti Herodotus narrat III, 25.

282. *Non fabula* etc. nec inane est proverbium, te, ubicunque videaris, quaeri.

285. *suo*, nativo. Nulla gens gloriari potest, in terra sua oriri Nilum. — *Tua flumina prodam.* Ergo non fontes tuos, sed tantum cursum, quatenus potero, prodam.

Qua deus, undarum celator, Nile, tuarum,
Te mihi nosse dedit. Medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:
In Borean is rectus aquis, mediumque Booten:
Cursus in occasum flexu torquetur et ortus,
Nunc Arabum populis, Libycis nunc aequus arenis:
Teque vident primi, quaerunt tamen hi quoque, Seres,
Aethiopumque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse, tuos. Consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
Atque hiemes adferre tuas: solique vagari
Concessum per utrosque polos. Hic quaeritur ortus,
Illic finis aquae. Late tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroe fecunda colonis,
Laeta comis ebeni: quae, quamvis arbore multa
Frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra:
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.

287. *medio ab axe*, h. e. a meridie, ultra zodiacum, audesque ad zodiacum, ubi Cancer, *ripas attollere*, h. e. procedere meatu.

290. *Cursus* etc. Deinde modo ad Occidentem, modo Orientem flecteris, nunc ad Arabes versus, nunc ad Libyam.

291. *aequus*, benignus, irrigans eorum campos. Cf. 232 — 235.

292. *Seres*; videtur populum ultra Aethiopas situm in terra Africa intelligere, commemoratum et Heliodoro lib. IX.

293. *alieno gurgite*, h. e. non apud ipsos orto flumine. — *feris campos*, irrigas, inundas.

297. *sinus* Nili sunt recessus aquarum, ex quibus oritur. Sic apud Virg. Georg. IV, 360., ubi Cyrene Aristaeum filium ad fontem suum adducit, simulque omnium reliquorum fluminum fontes monstrat: *At illum Curvata in montis faciem circumstetit unda, accepitque sinu vasto, misitque sub amnem. Jamque domum mirans genetricis, et humida regna, speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes, ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum, omnia sub magna labentia flumina terra spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque, et caput unde altus primum se erumpit Enipeus, unde pater Tiberinus, et unde* etc.

298. *Consurgere* etc. Tu in Aegypto crescere soles in solstitio aestivo, ex nivibus terrae longe ad Orientem remotae, ex qua affers aquas hiemales. Tibi soli concessum est et per australem et per nostrum orbem ire.

302. *rupto*, flumine diviso.

305. *nulla umbra*; nullam enim umbram faciunt ibi arbores, ut in omnibus terris sub aequatore sitis.

306. Sub *linea mundi* intellige aequatorem, sub quo iacet Meroe ex mente veterum, et super

Inde plagas Phoebi, damnum non passus aquarum,
Praeveheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, et spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra Philae. Mox te deserta secantem,
Qua dirimunt nostrum rubro commercia pontum,
Mollis lapsus agit. Quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis iras,
Nile, putet? Sed quum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, et praecipites cataractae,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis: spuma tunc astra lacessis:
Cuncta fremunt undis: ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hinc montes natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyae te, Nile, negant: quos inter in alta
It convalle iacens iam molibus unda receptis.

314. Sic V. Ar. Ae. bene, licet inepte censeat C. qui habet: *Quae dirimunt nostro rubri commercia ponti.*
324. *Terra potens* V. — C. *Petra patens.*
328. Sic Ar. Ae. — V. *quos inter*, *ut alta In convalle iacens, stat molibus unda receptis.*

quem recta linea Leo ascendit. Perperam alii lineam perpendicularem a Sole ad terram intellexere.

307. *Inde* etc. Inde transis per zonam torridam, nullum detrimentum aquarum per calores passus; ita immensae tibi sunt undae.

310. *spargens*, disiiciens exundando.

311. *piger alveus*, non exundans, tranquille fluens.

312. ubi Philae, in finibus Aegypti sitae, Aegyptum ab Arabia dividunt.

313. *Mox* flecteris versus rubrum mare, cumque eo parallele alveo defluis.

314. Nota versus eiusdem initii *Qua dirimunt* 312. et 314. *Commercia;* intellige regionem per quam transeunt mercatores ex Africa in Asiam, ad Gazam. Est autem Hysteronproteron.

315. *lapsus* est: *das Dahingleiten.*

319. *nusquam vetitis;* nihil enim usquam obstare sibi patitur.

325. *fluvii venas*, h. e. originem, quoniam ibi flumen oriri credebant.

326. *Quod* etc., quia ibi primum appareat fluvii incrementa.

329. *iacens*, cursu tranquillo et intra ripas contento. Sic III,

Prima tibi campos permittit apertaque Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.
Sic velut in tuta securi pace trahebant
Noctis iter mediae: sed non vesana Pothini
Mens imbuta semel tam sacra caede, vacabat
A scelerum motu. Magno nihil ille peremto
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque deae dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
Poenaque civilis belli, vindicta senatus
Paene data est famulo. Procul hoc avertite, fata,
Crimen, ut haec Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani poena tyranni,
Exemplumque perit. Struit audax irrita fatis:
Nec parat occultae caedem committere fraudi,
Invictumque ducem detecto Marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Caesaris, et socerum iungi tibi, Magne, iuberet:
Atque haec dicta monet famulos perferre fideles
Ad Pompeianae socium sibi caedis Achillam,
Quem puer imbellis cunctis praefecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi iure retento,
In cunctos, in seque simul. *Tu mollibus*, inquit,

340. Sic Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *belli, et vindicta.*

524. *Servatum bello iacuit mare.* — *molibus rec.* i. e. ratibus onerariis ad devehendas merces. Cf. III, 418. *firma gerendis molibus insolito contexunt robora ductu* et 445. *complentur moles, avideque petitis insula deseritur ratibus.* Describuntur eae rates, ab Aegyptiis βάρεις vocatae, Herodot. II, 96. ubi haec addita leguntur: ἔστι δέ σφι τὰ πλοῖα ταῦτα πλήθεϊ πολλὰ, καὶ ἄγει ἔνια πολλὰς χιλιάδας ταλάντων. — Interpretes frustra fuerunt in loco vel constituendo vel explicando.

332. *trahebant*, extrahebant, simplici pro composito.

338. *Dignatur* etc. Paene dignata esset Fortuna dextras Pothini Achillaeque Caesaris etiam sanguine, h. e. Caesare etiam interimendo, quem Senatoribus demum Brutoque perfundendum mandatura erat.

343. *It.* Praesens hic pariter ac vs. 338. resolvendum: *paene isset.* Poena Caesaris parum aberat quin iret in scelus Aegyptium, h. e. quin Aegyptius eam per scelus ab eo sumeret, paeneque *exemplum perisset*, quod a Bruto demum in tyrannum erat statuendum. Nam si Aegyptius interemisset Caesarem, parricidium aut homicidium erat, non tyrannicidium.

344. *Struit* etc. Pothinus facere suscepit, quae irrita erant futura per fatum, quae fatum fieri nolebat.

Nunc incumbe toris, et pingues exige somnos:
Invasit Cleopatra domum. Nec prodita tantum est,
Sed donata Pharos. Cessas accurrere solus
Ad dominae thalamos? Nubit soror impia fratri:
Nam Latio iam nupta duci est: interque maritos
Discurrens Aegypton habet, Romamque meretur.
Expugnare senem potuit Cleopatra venenis:
Crede, miser, puero: quem nox si iunxerit una,
Et semel amplexus incesto pectore passus
Hauserit obscoenum titulo pietatis amorem,
Meque tuumque caput per singula forsitan illi
Oscula donabit. Crucibus flammisque luemus,
Si fuerit formosa soror. Nil undique restat
Auxilii: rex hinc coniux, hinc Caesar adulter.
Et sumus, ut fatear, tam saeva iudice sontes:
Quem non ex nobis credet Cleopatra nocentem,
A quo casta fuit? Per, te, quod fecimus una
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Foedus, ades: subito bellum molire tumultu:
Irrue nocturnus: rumpamus funere taedas,

357. *Nubit* C. e. b. — V. *Nubet.* — Ar. Ae. d. *nupsit.*
373. Sic C. d. b. — V. *Irrue; nocturnas r. f. t.*

355. *Nec prodita* etc. Nec solum prodita est Aegyptus, quatenus Ptolemaeo nobisque competit, eo quod intromissa est in regiam Cleopatra, sed etiam eidem Cleopatrae ab Caesare dono data.

356. *Cessas* etc. Ironia. En, accurre ad pedes Cleopatrae, ut salutes reginam. — Verum reliqui interpretes sic: tu vero solus cessas armatus accurrere et opprimere Cleopatram, quae iam domina est nostra nuptiasque iungit? Ego tamen vereor, an recte hic sensus subiici queat his enunciatis.

357. *Nubit*, in eo est, ut matrimonium vere ineat cum fratre, quod ante nomine solum tituloque initum erat.

358. *Nam* etc. Causalis coni. referri potest ad *impia* adiectivum, quod supra posuerat; nisi malis ante *nubit* supplere: duobus illa nubit; modo nubit fratri; nam Caesari iam nupta est; ut *impia* ad solum incestum matrimonium cum fratre referatur; cf. 362.

359. *Aegypton habet*, *Romamque meretur*, h. e. et fratris et Caesaris sibi gratiam conciliabit.

360. *senem*, Caesarem. Natus enim erat iam 52 annos. — *venenis*, philtris.

366. *si fuerit formosa*, si placuerit illa fratri.

368. Et, ut verum fatear, caussam illa habet, quare sontes nos iudicet. Nam casta a nobis est: illa autem pro saevitia sua unumquemque nocentem habebit, a quo casta est.

370. *Per te*, i. e. Obtestor te per nefas, quod commisimus Pompeium interficiendo.

371. *perdidimus*, frustra fecimus, nisi armis res recuperabimus

Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis
Cum quocumque viro. Nec nos deterreat ausis
Hesperii Fortuna ducis. Quae sustulit illum
Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. Adspice litus,
Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus,
Quid liceat nobis: tumulumque e pulvere parvo
Adspice Pompeii non omnia membra tegentem.
Quem metuis, par huius erat. Non sanguine clari:
Quid refert? nec opes populorum ac regna movemus:
Ad scelus ingentis fati sumus. Adtrahit illos
In nostras Fortuna manus. En, altera venit
Victima nobilior. Placemus caede secunda
Hesperias gentes. Jugulus mihi Caesaris haustus
Hoc praestare potest, Pompeii caede nocentes
Ut populus Romanus amet. Quid nomina tanta
Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis
Miles erit? Nox haec peraget civilia bella,
Inferiasque dabit populis, et mittet ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo caput. Ite feroces
Caesaris in iugulum: praestet Lagea iuventus
Hoc regi, Romana sibi. Tu parce morari:

376. *Quae sustulit illum etc.* Facinoris illius, quod evexit Caesarem tutamque reddidit eius potentiam, nostra est gloria; ergo nobis quoque competit fructus ex Pompeii morte; nos quoque incrementa ex Pompeio interfecto capiemus.

378. De praesenti *facit* vide vs. 343. — *litus*, in quo Pompeium interfecimus.

379. *fluctus* sc. maris. — *pollutos* sc. sanguine Pompeii.

382. *Non sanguine clari* sc. nos sumus.

384. *ingentis fati*, satis nobis suppetit facultatem atque fortunae ad scelus tale comittendum. Sed Ar. habet: *ingentes facti sumus*. De *fato*, ut sit i. q. potentia, facultas, cf. vs. 24. et 45. — *illos*, duces Romanos, Pompeium atque Caesarem.

390. *quibus ille relictis*, h. e. absque quibus (viribus, exercitibus) foret, miles simplex erit Caesar, facile interimendus. Cf. similia V, 365.

391. *peraget*, i. e. finiet.

392. *populis* sc. in bello civili caesis.

394. *Praestet* etc. Milites Aegyptii hoc praestent regi Ptolemaeo, milites autem Romani, qui sunt in exercitu nostro, sibi ipsis praestent reique publicae Romanae. Merebant autem haud pauci Romani in exercitu Aegyptiorum, qui remanserant in Aegypto ex illo tempore, quo Gabinius Pompeii voluntate Ptolemaeum reduxerat, Archelao expulso. Cf. Caesar B. C. III, 110. Ii uxores ibi duxerant, Romanosque mores et consuetudinem vitae cum Aegyptiacis mutaverant. Cf. 402. Quorum unus, Septimius, tribunus olim militum Gabinianorum, adeo Pompeii interemti caput absciderat. Cf. VIII, 668.

Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
Invenies: aude: superi tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent. Non segnis Achillas
Suadenti parere nefas. Haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma
Ullius clangore tubae: temere omnia saevi
Instrumenta rapit belli. Pars maxima turbae
Plebis erat Latiae: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo iussuque satellitis irent,
Quos erat indignum Phario parere tyranno.
Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur;
Venalesque manus, ubi fas, ubi maxima merces,
Aere merent parvo: iugulumque in Caesaris ire
Non sibi dant. Pro fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliae subducta acies in litore Nili
More furit patrio. Quid te plus, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? Dat scilicet omnis
Dextera, quod debet superis: nullique vacare
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus

398. *Non segnis* C. a. b. — V. *non lentus.*
408. Sic praeclare Ar. et Ae. — V. *ibi fas, ubi maxima merces.* — C. *ibi fas, ubi proxima m.*
413. *Quid te plus* C. b. — V. *Quid plus te.* — Ar. *Plus quod te.* — Ae. *Quod te pl.*

397. *superi tibi tribuent;* efficient dii, ut a te perficiatur, quod Bruto Catonique tantopere in votis est. Mutavit Cortius: *superos*, h. e. vota Catonis Brutique efficient, ut dii ausum tuum secundent. Verum non opus est istac mutatione, licet saepius *superi* eo sensu legantur.

401. *temere*, raptim, nullo ordine.

402. *instrumenta*, milites, arma, tela. Cf. 442. — *rapit*, celeriter adducit, ut I, 228. *Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor.*

403. *Plebis erat Latiae*, ex Gabinianis militibus in Aegypto relicta. Conferto Caesarem de B. C. libro III.

408. *uoi fas, ubi maxima merces*, ubi summo iure suo maximaque mercede (nempe laude summa gloriaque sua) armis uti poterant contra Caesarem, tamquam Romani, non tamquam Aegyptiorum mercenarii. Hanc lectionem unice veram esse, verba sequentia probant.

409. *iugulumque — non sibi dant* sc. sed in Aegyptiorum gratiam illud faciunt.

412. *Thessaliae subd. ac.*, h. e. milites Romani, qui proelio Pharsalico non interfuere.

413. *Quid te plus* etc. Quid Aegyptii plus potuissent audere, si incolumem te recepissent, contra Caesarem?

Dis placitum: non in soceri generique favorem
Discedunt populi: civilia bella satelles
Movit, et in partem Romani venit Achillas.
Et nisi fata manus a sanguine Caesaris arcent,
Hae vincent partes. Aderat maturus uterque,
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias, poteratque cruor per regia fundi
Pocula Caesareus, mensaeque incumbere cervix.
Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
Ne caedes confusa manu permissaque fatis
Te, Ptolemaee, trahat. Tanta est fiducia ferri.
Non rapuere nefas: summi contemta facultas
Est operis: visum famulis reparabile damnum,
Illam mactandi dimittere Caesaris horam.
Servatur poenas in aperta luce daturus.
Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phoebeos Caesar dilatus in ortus.
Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque
Misit in Aegyptum, primo quoque sole calentem,
Quum procul a muris acies non sparsa maniplis
Nec vaga conspicitur, sed iustos qualis ad hostes
Recta fronte venit. Passuri cominus arma,
Laturique ruunt. At Caesar, moenibus urbis
Diffisus, foribus clausae se protegit aulae,
Degeneres passus latebras. Nec tota vacabat
Regia compresso; minima collegerat arma
Parte domus: tangunt animos iraeque metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rabidos praemorso carcere dentes;

417. *soceri generique* Ar. Ae. C. a. b. c. d. — V. *generi socerique*. — 419. *Romani* Ar. C. a. b. c. — V. *Romanam*.

419. *et in partem R.*, praeter Pompeii et Caesaris, tamquam tertias partes se quoque ingerit Achillas.

427. *te, Ptolemaee, trahat*, h. e. te interimat.

428. *non rapuere*, non maturavere. — *summi operis*, maximae rei occasio praetermissa est ab illis.

434. *a Casia rupe*, a monte Casio, qui est ad Orientem versus ab Alexandria.

435. *primo quoque sole calentem* sc. diem, calentem adeo oriente sole.

437. *iustos*, pares, bene armatos.

438. *Passuri* etc. Accedunt Aegyptii ad muros, tamquam facturi bellum et passuri.

442. *compresso*, Caesari, in angustum redacto. — *arma*, milites.

Nec secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Aetnam.
Audax Thessalici nuper qui rupe sub Aemi
Hesperiae cunctos proceres aciemque senatus
Pompeiumque ducem, caussa spectare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas, intraque penates
Obruitur telis: quem non violasset Alanus,
Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus;
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quaerit tuta domus: spem vitae in limine clauso
Ponit, et incerto lustrat vagus atria cursu:
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus poenas et grata piacula morti,
Missurusque tuum, si non sint tela nec ignes,
In famulos, Ptolemaee, caput. Sic barbara Colchis
Creditur, ultorem metuens regnique fugaeque,
Ense suo fratrisque simul cervice parata
Exspectasse patrem. Cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: missusque satelles
Regius, ut saevos absentis voce tyranni
Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
Sed neque ius mundi valuit, neque foedera sancta
Gentibus: orator regis pacisque sequester

447. *Nec secus* Ar. Ae. C. d. c. b. — V. *Non secus.*
449. *nuper qui* C. c. — V. *qui nuper.*
451. *spectare* praeclare Ar. — V. *sperare.*

451. *caussa spectare vetante*, h. e. quum mala caussa, quam agebat, vetare eum debebat, ne adspiceret illic adversarios, quippe rebellis contra rempublicam imperiumque Romanum. Vulg. *sperare*, admodum ieiune.

454. *quem non viol.* suppl. si Caesar in eius terram venisset cum exercitu.

455. *qui ludit*, qui exercitii caussa hoste interfecto affixo, pro scopo utitur, in quem tela ingerat.

459. *tuta*, tutum receptum.

464. *in famulos*, Pothinum et Achillam. — *Colchis*, Medea.

465. *ultorem*, patrem. — *regni*, quoniam ablato vellere aureo proditum etiam erat regnum.

466. Ense suo parato, et cervice fratris parata, h. e. ense stricto et cervice fratris abscisa.

467. *ultima rerum*, extremum discrimen, in quo versabatur Caesar.

469. *voce tyranni*, verbis Ptolemaei, *absentis* apud Caesarem.

470. *corriperet f.* etc. h. e. exquireret corripiendo ex illis, quis ad bellum eos concitaverit.

471. *ius mundi* sc. ut oratores missi sancti haberentur.

472. *orator regis pacisque se-*

Aestimat in numero scelerum ponenda tuorum,
Tot monstris Aegypte nocens. Non Thessala tellus,
Vastaque regna Jubae, non Pontus et impia signa
Pharnacis, et gelido circumfluus orbis Ibero
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Deliciae fecere tuae. Premit undique bellum,
Inque domum iam tela cadunt, quassantque penates.
Non aries uno moturus limina pulsu,
Fracturusque domum; non ulla est machina belli:
Nec flammis mandatur opus: sed caeca iuventus
Consilii, vastos ambit divulsa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
Fata vetant, murique vicem Fortuna tuetur.
Nec non et ratibus tentatur regia, qua se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxuriosa domus. Sed abest defensor ubique
Caesar, et hos aditu gladiis, hos ignibus arcet:
Obsessusque gerit (tanta est constantia mentis)
Expugnantis opus. Piceo iubet unguine tinctas
Lampadas immitti iunctis in vela carinis.
Nec piger ignis erat per stuppea vincula perque
Manantes cera tabulas: et tempore eodem
Transtraque nautarum summique arsere ceruchi.

483. *divulsa* Ar. — V. *divisa*. — Ae. *diversa*.
489. *aditu* C. — V. *aditus*.
492. *in vela* Ar. Ae. a. d. — V. *in bella*.

quester, supple: caesus ab adversariis. Duos autem miserat Ptolemaeus ad Achillam, Serapionem et Dioscoridem, qui uterque ab eo interfecti sunt, antequam quae mandata sibi essent eloquerentur. V. Caes. de bello civili III, 109.

473. *aestimat* etc., h. e. exemplo quasi est, quo aestimare possimus, quantum scelerum ausa sit Aegyptus, seu ad quae scelera audenda propensa. Aestimare enim h. l. est: aestimari facere. Plane erravit Grotius, qui, non perspecta dictione, emendat: *res minima in numero* etc. Nihil pulcrius aut verius lectione genuina, quam omnes habent libri.

475. *impia signa Pharnacis*, filii Mithridatis, qui patrem prodidit regnumque ei abstulit.

476. *gelido circumfluus orbis Ibero*, Hispania, *quam torrens ambit Iberus*, ut est VII, 15.

478. *deliciae tuae*, tu, Aegypte, deliciis luxuique dedita.

483. *divulsa*, i. e. divisa in varias partes; ut *avulsus* III, 636. Certe autem hic rarior lectio praeferenda.

485. Fata vetant expugnari murum, statque Fortuna pro muro.

492. immitti in vela *iunctis carinis*, quae coniunctae stabant. At vulgata l. *in bella*, quod interpretantur: navibus quae raesidii caussa Alexandriae esse consueverant.

Jam prope semustae merguntur in aequore classes,
Jamque hostes et tela natant. Nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quae vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem:
Et cladem fovere Noti, percussaque flamma
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quam solet aetherio lampas discurrere sulco,
Materiaque carens atque ardens aere solo.
    Illa lues clausa paullum revocavit ab aula
Urbis in auxilium populos. Nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed caeca nocte carinis
Insiluit Caesar, semper feliciter usus
Praecipiti cursu bellorum, et tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. Insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos: at nunc est Pellaeis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum praestitit usus:
Abstulit excursus et fauces aequoris hosti;
Caesaris auxiliis aditus et libera ponti
Ostia permisit. Nec poenas inde Pothini
Distulit ulterius: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum;
Heu facinus! cervix gladio male caesa pependit:
Magni morte perit!
                    Nec non, subrepta paratis
A famulo Ganymede dolis, pervenit ad hostes

502. *discurrere* C. b. — V. *decurrere*.

499. *longis rapuere vaporibus ignem*, propagaverunt ignem, ita ut longissimus existeret vapor i. e. fumus. *rapere* idem esse quod *propagare* ne dubitato, edoctus locis III, 501. 504. 684. IX, 924.

501. *non alio motu* etc. eadem celeritate per tecta propagata est, qua μετέωρος lampas per aethera currit, quae nulla materia, aere solo ardet.

504. Ignis in privatorum tectis exortus effecit, ut multitudo a regiae obsidione ad incendium exstinguendum accurreret.

505. *cladis* sc. navibus inferendae.

506. *caeca*, tenebrosa.

519. *Magni morte perit*, eadem, qua Pompeius perierat morte, Pothinus quoque interficitur. — *Nec non* etc. Caesar de B. C. III. extr. *Interim filia minor Ptolemaei regis, vacuam possessionem sperans, ad Achillam sese ex regia transiecit, unaque bellum administrare coepit. Sed celeriter est inter eos de principatu controversia orta* etc. — *subrepta*, erepta Caesari, dolis Ganymedis, qui eius erat nutricius. Cf. Hirt. de b. Alex. cap. 4.

Caesaris Arsinoe: quae castra carentia rege,
Ut proles Lagea, tenet, famulumque tyranni
Terribilem iusto transegit Achillea ferro.
Altera, Magne, tuis iam victima mittitur umbris:
Nec satis hoc Fortuna putat. Procul absit, ut ista
Vindictae sit summa tuae. Non ipse tyrannus
Sufficit in poenas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viscera Caesaris enses,
Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris
Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma
Auspiciis Ganymedis eunt: ac multa secundo
Proelia Marte gerunt. Potuit, discrimine summo
Caesaris, illa dies in famam et saecula mitti.
Molis in exiguae spatio stipantibus armis,
Dum parat in vacuas Martem transferre carinas

533. Vulg. et C. *una dies*. — Nostr. ed. princ. et Lovan. — al. *ima*.

521. *carentia rege*. Nam Ptolemaeus Alexandriam venerat, ibique apud Caesarem tamquam obses, detentus erat.

522. *ut proles Lagea*, h. e. quia erat ex stirpe regum Aegyptiorum, qui a Ptolemaeo, Lagi Macedonis filio, descendebant.

523. *Achillea*, Graeca forma, tamquam ab *Achilleus*, aut uti *Xerxes* passim *Xerxea* habet accus. casu, apud Herodotum.

524. *altera iam*. Prior enim missus erat Pothinus, vs. 515. altera ergo victima iam mittebatur Achillas. Nondum enim de Ptolemaeo rege sermo est, quemadmodum quidam videntur accepisse, quem tamen ipsum quoque interiisse, in sequentibus statim innuit.

525. *Nec satis hoc fortuna putat*. Requirit enim ipsius Caesaris necem, non Ptolemaei, ut videtur accepisse Hortensius.

526. *tyrannus*, Ptolemaeus, qui paullo post ad suos elapsus e proelio fugiens receptusque in navigium, eo demerso multitudine adnatantium, periit, uti auctor est Hirtius de bello Alex. et Florus IV, 2. Paterculusque. Ceterum is Ptolemaeus Nostro, ut videtur, idem est cum Ptolemaeo puero, qui serius demum occidit, a Cleopatra interemtus; quamquam ille quoque ipse, licet maior natu, valde puer fuit.

528. *patrii*, patrum, senatorum.

529. *auctore furoris sublato*, videlicet Achilla, qui auctor fuerat belli illius contra Caesarem regesque faciendi.

531. *eunt* sc. Aegyptii.

533. Sensus: Potuisset illa dies aeternam nancisci famam, interfecto Caesare. Quantum autem fuerit discrimen, in sequentibus declarat.

534. *Molis*, aut pontis aut aggeris. Cf. Suet. Caes. 64. et Plutarchum. — *stipantibus* Caesarem *armis* adversariorum.

535. dum milites navibus impositos traiicere in Pharon parabat, eruptione hostium subita compulsus in scapham, a multis Aegyptiorum navibus petitus, in mare se coniecit, ac per ducentos passus natans, ad suos evasit incolumis.

Dux Latius, tota subiti formidine belli
Cingitur: hinc densae praetexunt litora classes,
Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis,
Non fuga, non virtus: vix spes quoque mortis honestae.
Non acie fusa, nec magnae stragis acervo
Vincendus tunc Caesar erat, sed sanguine nullo,
Captus sorte loci. Pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori. Respexit in agmine denso
Scaevam, perpetuae meritum iam nomina famae
Ad campos, Epidamne, tuos, ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem moenia Magnum.

543. *Respexit* etc. Subiit illius animum memoria et imago illius Scaevae, qui unus Pompeio oppositus, victoriam Pompeii moratus fuerat. Cf. 6, 144.

545. *ubi solus* etc. ubi Scaeva solus, quum iam muri aperti essent, contra Pompeium, calcantem iam muros, ita fortiter pugnavit, ut paene videretur Pompeius a Scaeva obsideri, non Scaeva a Pompeio.

EMENDANDA.

Pag. 4. vs. 54. post *Austri* pone comma.
— 6. in nota ad vs. 112. l. exanimata.
— 25. in nota ad v. 599. l. *qui fata deûm*.
— 42. in notis l. 252. *Hos*, h. e. alios.
— 56. vs. 548. post *Passus* dele comma.
— 68. vs. 13. item post *nocentes*. Ibidem in nota ad v. 14. l. cepistis.
— 73. in fine vs. 117. pone semicolon.
— 78. vs. 190. l. Absyrtis.
— 83. in fine vs. 276. pone colon.
— 89. in nota ad vs. 386. l. aquari.
— 96. dele comma in fine vs. 516.
— 107. in nota ad v. 735. l. ὀφθαλμῶν.
— 177. vs. 658. ante *numina* pone comma.
— 184. linea ult. l. foetet.
— 193. vs. 201. l. Summoveat: stat etc. Ibidem vs. 211. l. ferae. Tot f. s.
— 200. vs. 375. post *Solus* pone comma.
— 215. vs. 749. dele comma post *estis*.
— 217. vs. 795. post *Drusos* pone comma.
— 267. in nota ad vs. 288. l. supra vs. 31.
— 306. vs. 403. pone punctum post *virtuti*.
— 309. vs. 448. semicolon post *Austrum*.
— 322. in nota ad vs. 753. l. apud Sallustium in verbis.
— 341. ad vs. 58. adde notam criticam: *Latii* Ar. — V. *Latio*.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

B.

F.

K.

L.

M.

O.

S.

U.

V.

TACITI, C. CORN., de origine, moribus ac situ Germanorum libellus. Omnium codicum hucusque cognitorum lectione accuratissime subinnotata nec non de libelli fatis et codice ceterorum omnium fonte quaestione addita. Cura JOAN. FERD. MASSMANN. 4 Mk. 50 Pf. Velinpapier 6 Mk.

Atlas antiquus. *Schul-Atlas* der alten Welt. Nach d'Anville, Mannert, Kruse, Reichard u. A. bearbeitet. Nebst einem kurzen Abrisse der alten Geographie von C. HERM. WEISS. 14 Blatt in gross Querfolio. 4 Mk. 50 Pf.

Inhalt: 1) Orbis terrarum. 2) Hispania. 3) Gallia. 4) Italia superior. 5) Italia inferior. 6) Germania. 7) Graecia. 8) Asia minor et Syria. 9) Palaestina. 10) Aegyptus et Arabia petraea. 11) Athenae cum Piraeo. 12) Acropolis. 13) Roma. Mons Capitolinus. 14) Campus Martius.

MASSMANN, H. F., Geschichte des mittelalterlichen, vorzugsweise des deutschen Schachspieles. Nebst vollständiger u. fortlaufender Literatur d. Spieles, sowie Abbildungen (15 Tafeln) u. Registern. 5 Mk.

WOHLFARTH, *Dr.* JOH. FR. TH., Geschichte des gesammten Erziehungs- und Schulwesens, in besonderer Rücksicht auf die gegenwärtige Zeit und ihre Forderungen. Für Schulaufseher, Geistliche, Lehrer, Erzieher und gebildete Eltern. 2 Bände. 13 Mk. 50 Pf.

MEINEKE, J. H. F., Handwörterbuch der Metrik, in besonderer Beziehung auf das Eigenthümliche derselben in der deutschen Sprache. 3 Mk.

ENGLA AND SEAXNA SCOPAS AND BOCERAS. Anglosaxonum poëtae atque scriptores prosaici, quorum partim integra opera, partim loca selecta collegit, correxit, edidit Ludov. Ettmüllerus. 5 Mk. Velinpapier 6 Mk.

VORDA VEALHSTOD ENGLA AND SEAXNA. Lexicon anglosaxonicum ex poëtarum scriptorumque prosaicorum operibus nec non lexicis anglosaxonicis collectum, cum synopsi grammatica edidit Ludov. Ettmüllerus. 13 Mk. 50 Pf. Velinp. 16 Mk.

ZIEMANNI, AD., in Demosthenem de bello Philippi Olynthico commentatio. Edidit et epistolam adiecit C. F. RANKE. 2 Mk.

L. K. E. SEIDLER's Mythologie der alten Völker, hauptsächlich der Inder, Aegypter u. Römer. Für d. gebild. Stände, insbes. für die stud. Jugend u. angeh. Künstler. 2 Theile u. Atlas mit 32 Tafeln Abbildungen. 8 Mk. 50 Pf.